Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
19 K
4 M

M. 6

CONTROVERSIA

DOGMATICA

IN TRES PARTES DIVISA.

PRO

VERITATE SPIRITU PERFECTIONE legis gratiæ, & alijs excellentijs illius privativè datis, & conceſsis in ſtatu præſenti Eccleſiæ ex plenitudine gratiæ, & meritis Chriſti præſentis, & paſsi, & in adventu Spiritus Sancti confirmatis.

BON · PROF · ROM · IHS

CONTRA

ASSERENTES QVOD IN VETERI Teſtamento fuit verus ſtatus Religioſus cum votis, & conſilijs inſtitutus in ſpiritu legis gratiæ ſubſtantialiter evangelicus, & eiuſdem rationis cum ſtatu Religioſo Chriſtiano.

AD EXC^MVM^ PRINCIPEM, Ac D. D. IOANNEM THOMAM DE ROCABERTI, Archiepiſcopum Valentinum, & Generalem Hiſpaniarum Inquiſitorem.

AVTHORE

R. P. M. Fr. *FRANCISCO GALIANO SPVCHE*, *Inclytæ Hieronymianæ Familiæ Generali.*

Cum Privilegio: MATRITI. Anno M.DC.XCVI.

SANCTISSIMO PATRI, AC D.D. INNOCENCIO XII. PONTIFICI MAXIMO,

F[R]. FRANCISCVS GALIANO *Hieronymianus felicitatem.*

PRODEVNT in hoc ſæculo per vniverſum Orbem novitates, tàm in diſputationibus Theologicis, & Dogmáticis, quàm in diſcertationibus Ethicis, & Hiſtoricis Eccleſiaſticis; & quanta ex illis pericula, & ſemina hæreſum pullulaverint in Eccleſia, olim docuerunt Sancti Patres, & quotidie Sedis Apoſtolicæ in extirpandis novatorum opinationibus ſolicitudo demonſtrat in ſalutiferis decretis contra ſententias novas, quibus fidelium mentes opprimebantur, & Chriſtianorum periclytabantur conſcientiæ. Nuper apparuit Orbi Chriſtiano verus Monachatus Elianus in votis inſtitutus in Carmelo ante legem gratiæ: invaluit hæc novitas in Hiſpania ſuis limitationibus explicata; & tanta eſt antiquitatis huius ſtatus Religioſi cupiditas in Elianiſtis, quod in

publicis diſputationibus, iam prælo datur verus veritate evangelica, Evangelicus ante Evangelium, & ante Chriſtum Chriſtianus, in ſpiritu legis gratiæ inſtitutus eiuſdem rationis cum Monachatu Chriſtiano, quamvis minus perfectus in aliquibus ſolemnitatibus, & perfectionibus ſtatui accidentalibus, quas modo in præſenti Eccleſia habet Chriſtianus. Ad hunc ſtatum verum in Synagoga aſtruendum addunt quamplurimas alias novitates in illa lege, quæ Eccleſiam Chriſti confundere videntur cum Synagoga, quam nimis his novis iuſtificationibus, & ſubſtantialibus perfectionibus exaltant quibus Catholicorum ingenia torquent, & mentes obruunt: ſed in Scrinio pectoris Pontificis Max. vtrumque reſervatur teſtamentum, quod aperuit occiſſus agnus antiquis Patribus veteris legis olim reſeratum: itaque ad Pontificem Max. pertinet declarare: an in veteri illa lege ſub ſtatu ſervitutis generi humano corrupto per peccatum Adami datus fuit ſpiritus legis gratiæ in aliquo vero ſtatu? & an huic ſtatui Religioſo dederit Elias in veteri lege ſubſtantialem perfectionem in Synagoga, & Sanguis Chriſti cui vnita erat divinitas accidentalem tantum in hac præſenti Eccleſia legis gratiæ? & interim cum Apoſtolo toto corde defendam, quod omnes ſtatus, & miniſteria ſenſibilia, & viſibilia Synagogæ figurativa fuere, mortis, & damnationis, inutilia, & vacua, ſine ſpiritu, & ſine ſubſtantia legis gratiæ, & in littera occidente inſtituta ſub vmbris.

Sed

Sed quia trepidare poſſunt Catholici his novitatibus, & Iudæi novis iuſtificationibus ab Elianiſtis veteri Sinagogæ conceſsis ſuperbire ; ne ſe extollant in fecibus Sinagogæ , vt ex Apoſtolica traditione docet Auguſtinus Pſalmo 74. ibi : *Ne longum faciant , quomodo Apoſtoli exortabantur gentes , ne deſperarent , quod in magnis peccatis iacuiſſent , & reprimebant Iudæos ne ſe extollerent quaſi ex iuſtificationibus legis ; ideò ſe putarent iuſtos , gentes autem peccatores eſſe , quia Iudæis , & lex erat , & templum erat , & Sacerdotium erat.* Ad Cathedram Petri expono novitates , & Parentis mei Hieronymi veſtigijs inſiſtens ad ſanctitatis tuæ pedes accedo magnitudine perterritus , & humanitate invitatus , vt dilectus quemadmodum filius vnicornium Chriſti Vicarius , venenum latens in Syllabis aperiat , & ſalutiferas aquas ſitientibus purificet , & mundet ab infectis novitatibus , ſic ad Pontificem Max. Damaſſum Maximus Doctor epiſt. 57. ibi: *Quamquam igitur tui me terreat magnitudo , invitat tamen humanitas ; à Sacerdote victimam ſalutis , à Paſtore præſidium ouis flagito. Faceſſat inuidia : Romani culminis recedit ambitio : cum ſucceſſore Piſcatoris , & Diſcipulo Crucis loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens Beatitudini tuæ, ideſt, Cathedræ Petri communione Conſortior, ſuper illam petram, edificatam Eccleſiam ſcio.* Et cauſam exponit ibidem : *Chriſti vineam exterminant vulpes : vt inter lacus contritos , qui aquam non habent, difficilè , vbi fons ſignatus , & hortus ille concluſus ſit : poſsit intelligi , ideò mihi Cathedram Petri , &*

fidem Apoſtolico ore laudatam, cenſui conſulendam.

Ex vnius vocis novitate venenum latens in ſyllabis, in ſilvis Syriæ evigilans Leo Maximus timuit, & ne Monachorum deſerta penetraret, in concavis Vallium novum vocabulum confundebat Pauli monitu ad Thimotĩ de vita profanarunt vocum novitates, & vocem detulit Pontifici Maxim. huius igitur Leonis catulus Patris veſtigia ſequens; & exemplum tenens, pedes Beatitudinis tuæ deoſculans ſequentes propopoſitiones, vt novas, cenſui Cathedræ Petri conſulendas.

I. Ante legem gratiæ Eccleſia, ſeu Sinagoga in ſtatu ſervitutis veteris teſtamenti quoad ſubſtantialia, & eſſentialia fuit eiuſdem rationis cum præſenti Eccleſia legis gratiæ.

II. Ante legem evangelicam fuit Eccleſia Catholica.

III. Ante legem evangelicam natura humana fuit ſufficienter illuminata ad cognoſcendum virtutes, & conſilia evangelica, vt fideles poſſent emittere vota evangelica in veteri teſtamento.

IV. Ante legem gratiæ fuit ſtatus gratiæ, iuſtitiæ, iuſtificationis, adoptionis, & perfectionis.

V. Pontifices Aaronici veteris teſtamenti habebant authoritatem, & poteſtatem ad approbandum ſtatus veros veritate evangelica; & ſubſtantialiter evangelicos inſtitutos in ſpiritu legis gratiæ in veteri teſtamento.

VI. In veteri lege, & in ſtatu ſervitutis illius fuit in Synagoga ſtatus ante Evangelium Evangelicus, & ante Chriſtum Chriſtianus.

VII. In ſtatu ſervitutis Synagogæ fideles illius populi erant Chriſtiani *In re.*

VIII. An-

VIII. Ante legem evangelicam fuit in Synagoga verus ſtatus in veritate evangelica ſubſtantialiter evangelicus inſtitutus in conſilijs legis gratiæ.

IX. Chriſtus futurus fuit Magiſter in veteri lege, & in ea docuit perfectionem evangelicam in ſpiritu legis gratiæ amplectendam.

X. Elias in veteri lege fuit verus Chriſti Miniſter in veritate evangelica ad inſtituendum ſtatum verum Religioſum in ſpiritu vivificante.

XI. Vocatio qua vocavit Elias, Eliſeum ad prædictum ſtatum Religioſum fuit maioribus auxilijs, & favoribus præventa, quam vocatio qua Chriſtus vocavit Apoſtolos ad ſuum Diſcipulatum.

XII. In prædicto ſtatu Religioſo revelata fuit omnibus Monachis, & Monialibus, & omnibus profitentibus in eo exemplaritas Chriſti futuri, & voti virginitatis Deiparæ, vt vota emitterent ad exemplar vitæ Chriſti Domini & voti Beatæ Mariæ.

XIII. In eodem ſtatu revelabatur profitentibus præmium æternum, vt vota evangelica emitterent propter Regnum Cœlorum.

XIV. Prædictus ſtatus Religioſus in triplici voto inſtitutus ſubſtantialiter evangelicus ab Elia vſque ad Chriſtum Dominum permanſit in ſua primitiva obſervantia, ſine relaxatione aliqua, & mitigatione ſui primevi inſtituti.

XV. Idem ſtatus Religioſus præter tria ſubſtantialia vota inſtitutus fuit etiam in abſtinentia non ſolum carnium, ſed piſcium, & ex regula Monachi, & Moniales tantum herbis victitabant.

XVI. In illo ſtatu Religioſo Synagogæ per novena ſæcula, & amplius ab Elia vſque ad Chriſtum nullus à vocatione receſsit: nullus in Monachis Elianis veteris teſtamenti fuit lapſus.

XVI. Ad illum ſtatum Elianum Sinagogæ nullus recipiebatur

batur impurus, quia impuritas, etiam mentis, revelabatur Prælatis, vt oſtium impuris clauderent.

Hæc omnia in veteri lege, vt Monachatus circumciſſus ſubſiſtat, defendunt, non ſolum in actu animæ aliquorum iuſtorum, ſed etiam in ſtatu à puro homine inſtituto ex meritis Chriſti futuri per fidem; & non facilè aſsignari poterit, his ſtatutis, in quo differat ſtatus præſentis Eccleſiæ ex meritis Chriſti præſentis, & paſsi per legem gratiæ inſtitutus, & conſtitutus per fidem paſsionis Chriſti, ab illo ſtatu legis ſervitutis, & peccati; nec facilè demonſtrari poterit, quomodo omnia nova in præſenti Eccleſia, prædicet Apoſtolus Paulus his inſtitutis, & ſtatutis, & conſtitutis gratijs ſubſtantialibus in Eccleſia veteris legis, & ſtatu ſervitutis illius, quæ permanent quoad ſubſtantialia eadem in Eccleſia legis gratiæ. Quid nobis attulit Sanguis Chriſti? & quid Eccleſiæ, & Sponſæ novæ deſcendenti de Cœlo dedit Sponſus Cœleſtis in ſpiritu legis gratiæ? Quoad ſtatum Religioſum accidentia tantum dicunt addidiſſe Chriſtum in ſolemnitate votorum, & clavium poteſtate; dediſſeque Eccleſiæ alias perfectiones quas modo habet, perfectionem Sinagogæ limitant verbis, & his novitatibus admiſsis, illam exaltant, & eius excellentiam nimis laudant.

Quid excellentius, quàm Eccleſia Catholica eiuſdem rationis cum præſenti Eccleſia Chriſtiana? Quid perfectius, quam ſtatus iuſtitiæ, iuſtificationis, gratiæ, filiationis, & adoptionis divinæ? Quid ſublimius, quam Summus Pontificatus cum poteſtate, & authorita-

ritate ad approbandum ſtatus verè, & ſubſtantialiter evangelicos inſtitutos in ſpiritu,& veritate legis gratiæ? Quid dignius, quam ſtatus in quo fideles erant in Re Chriſtiani?Quid vtilius,quam verum miniſterium Chriſti ad inſtituendum ſtatum ſubſtantialiter evangelicum in ſpiritu vivificante?Quid tàm altum,quàm exemplaritas Chriſti Domini revelata Monachis circumciſsis , & Monialibus illius legis , & in ea videre votum virginitatis Deiparæ , Nativitatem Chriſti ex Virgine,vitam illius, & mortem in Cruce, vt temporalibus omnibus abdicatis,Crucem tollerent,& Chriſtum ſequærentur in ſpiritu,& veritate evangelij?

Et quod omnem admirationem excedit , & ſuperat ſenſum humanum,eſt ille ſtatus Religioſus in abſtinentia carnium,& piſcium inſtitutus per novem ſæcula in populo illo carnali , ſine aliqua mitigatione, vel relaxatione permanens, in quo ab Elia , vſque ad Chriſtum Dominum,nullus fuit in Monachis lapſus, & nullus à vocatione receſsit: O felix Sinagoga illa, ſi vera eſſent quæ narrantur ! in Apoſtolatu ſub cura Chriſti,cecidit Iudas ; & à vocatione receſsit Proditor: ſub Cura Apoſtolorum à vocatione receſſerunt Anania,& Saphira;& in diſcipulatu Eliæ adhuc genere humano corrupto per peccatum Adami , nullus lapſus! nulla impuritas ! nullus à vocatione receſsit in miſero ſervitutis ſtatu! Quid nobis profuit lauacrum regenerationis Chriſti in ſtatu Religioſo Chriſtiano, Chriſti Sanguine conſummato,in quo quaſi aqua, dilabitur humana mortalitas?

Sed

Sed quidquid dicant hi recentiores Elianiſtæ Theologi, & Hiſtorici, ego (Beatiſsimæ Pater) in Cruce Dñi noſtri Ieſu Chriſti in Calvario gloriabor, & vbi nati ſunt filij Crucis, ibi credam natum, & inſtitutum Crucis ſtatum: gloriam, gratiam, & virtutem Calvarij, Carmelo non dabo, & cum filijs Chore, Crucis, Eccleſiæ, & Chriſtianorum Matris, laudes cantabo in Calvario iuxta D. Aug. in Pſ. 41. ibi: *Chorē aliquis homo fuerit ſicut fuit, habueritque filios qui appellarentur filij Chore: nos tamen arcanum Sacramenti ſcrutemur, vt nomen hoc in myſterio, quod grauidum eſt, pariat: magni enim Sacramenti res eſt, vt Chriſtiani appellentur filij Chore. Vnde filij Chore? Filij Sponſi, Filij Chriſti: dicti ſunt enim Chriſtiani filij Sponſi: quare ergo Chore Chriſtus? quia Chore interpretatur Calvaria. Multo remotius eſt hoc: quærebam quare Chore Chriſtus: intentius quæro quare Chriſtus ad Caluariam pertinere videatur: nonne iam occurrit in loco Caluariæ crucifixus? occurrit omninò: ergo filij Sponſi, filij paſsionis illius, filij redempti Sanguine illius, filij Crucis illius, portantes in fronte quod inimici in loco Caluariæ fixerunt, appellantur filij Chore: illis cantatur iſte Pſalmus.* Ergo Religioſi Chriſtiani (Beatiſsimæ Pater) in ſtatu Crucis filij ſumus Chriſti, & Calvariæ, & non Eliæ & Carmeli; ſic accepi à Sanctis Patribus, & in hoc parvo Opuſculo demonſtro, & Sanctitatis Veſtræ pedibus dico, & ſubmitto.

EXCELLENT^MO. PRINCIPI,
AC D. D. IOANNI THOMÆ
DE ROCABERTI,
ARCHIEPISCOPO VALENTINO,
ET HISPANIARVM GENERALI
INQVISITORI.

EXC^MI. PRINCEPS, AC DOMINE.

IN ipſo ſurgentis Eccleſiæ exordio adhuc Petro Pontificiæ Dignitatis Claves,& Paulo evangelicæ prædicationis gladium tenentibus in terris; primaque radiante luce Apoſtolorum, ab Hieroſolymis diffuſa per orbem, Pſeudo-Apoſtoli ſurrexerunt è Synagogis perverſi, & Moſaicis vmbris, ac Judaicis tenebris ſplendorem, & veritatem, virtutemque, & gratiam æterni luminis obumbrabant in Eccleſijs, & ex putrido, ſætidoque cadavere Judaiſmi converſis ex Gentibus ſuſurrabant vene-

nati Vermes, legem veterem adhuc ſuperſtitem, mandatá illius bona, miniſteria vera, licèt evangelicis novis minus perfecta, & legalia cum evangelio miſcentes veritatem in figuram, & evangelium in veterem legem convertabant: Quod vt ad aures Pauli pervenit, gladio ex vtraque parte acuto in ſpiritu Apoſtolicæ prædicationis Pſeudo-Apoſtolorum concidit cervices, Chriſtianos judaizantes damnavit, & canonicè difinivit, & declaravit: mortuum Synagogam, translatum Sacerdotium illius cum imperfecta inani, ac vacua lege, miniſteria illius mortis, & damnationis, in littera occidente inſtituta, omniaque veteris teſtamenti Symbola, monumenta, ſimulacra in figura contigiſſe, & vmbris; & morte Chriſti non ſolum inutilia ad ſalutem; ſed mortifera, nullumque fuiſſe evangelium, niſi Ieſu-Chriſti per quem gratiam, veritatem, virtutem, & perfectionem obtinuit præſens Eccleſia ex lege conſtituente ſt tum filiationis, hæreditatis libertatis, & perfectionis: ſuam ſententiā miſit ad Galat. & anathematis pœnam impoſuit; cap. 1. verſ. 8. ibi: *Sed licèt nos. aut Angelus de Cœlo euangelicet vobis præterquam, quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Et ad textum Div. Thomæ Lect. 2. ibi: *Oſtendit autem authoritatem ſuæ ſententiæ multam eſſe: eo quod non ſolum in perverſores, & in ſeductores ſubditos; ſed etiam in pares, ſicut ſunt alij Apoſtoli: & etiam in ſuperiores, ſicut ſunt Angeli, ſi huius criminis, ſcilicèt converſionis euangelij in veterem legem rei eſſent, efficatiam haberet.* Pauli decreto acquieverunt omnes fideles, Hieroſolymitani, Corinthij, & Galatæ, & quievit Eccleſia.

Poſtea Manichæus, Fauſtus, & Pelagius varijs erroribus imbuti, & partim Pſeudo-Apoſtolorum hæreſi infecti, in gratia adiutrice, & redemptrice aberrantes, pœnas, & languores peccati originalis negantes; ſpiritum, veritatem, virtutem, & evangelij fidei lumen in veterem legem conver-

te-

tebant, docentes: quod in veteri teſtamento fuit revelatum Regnum Cœlorum, promiſſa illius hæreditas, mandata erant bona, iuſtaque præcepta, & genus humanum ſanum, & illæſum poſt peccatum Adami, in veteri lege obtinuiſſe per fidem, quod ex meritis Chriſti paſsi obtinuit, excepta remiſſione pœnæ excluſionis à Regno: vndè docebant, quod in miſero, & infælici ſtatu ſervitutis, & peccati revelatum, & promiſſum fuit Regnum Cœlorum, aperta myſteria legis gratiæ, manifeſtus ſenſus ſpiritualis ſcripturarum, & ſpiritus evangelij datus Judæis in Chriſtum credentibus ex fide illius legis, quam non negabant hæretici.

Contra hos perfidos Hæreſiarcas bellum indixerunt Patres Latini, & Græci, & Pauli accinti gladio, & divino ſpiritu muniti, dignitatem divinæ gratiæ, quam per primum peccatum homo amiſerat cognoſcentes; pœnas, languores, culpam, maculas, tenebras, cæcitatem, & alia infirma in poſteros tranſmiſſa confitentes; naturaque humana lapſa, & læſa in naturalibus, & gratuitis ſpiritualibus iuſtè privata, generi humano corrupto per peccatum pauca fuiſſe revelata docuerunt ante redemptionem, quæ inquiſitionem humanam excederent, & contra hæreticos vno ore docent, quod Regnum Cœlorum non fuit revelatum in veteri lege, nec promiſſa hæreditas Patriæ Cœleſtis, nec ſenſus ſpiritualis ſcripturarum apertus, nec myſteria legis gratiæ manifeſta, nec ſpiritus evangelij datus; ſed omnia in figura contingebant illis, & vt ſervi ſub lege terrenis manuducebantur, vt parvuli, & timore vt ſervi. Hæc ſperabant ex communi fide illius legis, & ſi aliquibus paucis, vel paucisſimis (vt ait Auguſtinus) ex pijſsima Dei miſericordia, & ſpeciali revelatione interna conceſſum fuit è longinquo aliqua videre in vmbris contenta, numquam luce, veritate, claritate, & propinquitate novi teſtamenti, vt docet D. Thomas. Nullus vmquam Sanctus Pater dixit, quod in veteri lege, antequam genus humanum liberaretur à corruptione, languoribus,

pœ-

pœnis, cæcitate, & tenebris peccati originalis, inſtitutus fuiſſet ſtatus verus ſubſtantialiter evangelicus, eiuſdem rationis cum Chriſtiano, in quo homines ſufficienter eſſent illuminati ad cognoſcendum virtutes, & conſilia evangelica, vt ſpiritu legis gratiæ viverent, & manifeſtarentur præmia æterna, vt vota emitterent propter RegnumCœlorum, antequam removeretur impedimentum peccati, & natura humana repararetur per Chriſtum, & quod hic ſtatus eſſet in illa lege publicus non vni, vel alteri, ſed omnibus illum profiteri volentibus. Hic ſtatus veteris legis, & ante redemptionem generis humani corrupti per peccatum Adami non fuit auditus in Chriſti Eccleſia: vel afferant aliquem Patrem, & Doctorem tàm alte ſentientem de Synagoga, & hanc gratiam docentem de ſtatu communi ſervitutis veterites ſtamenti.

Noſtro ſæculo, & præterito, quidam Hiſtorici, & Theologi in lucem prodiderunt in noſtra Hiſpania: quod S. Propheta Elias inſtituit in veteri teſtamento verum Monachatum, ſeu ſtatum Religioſum cum conſilijs evangelicis in ſpiritu legis gratiæ ante evangelium evangelicum, & ante Chriſtum Chriſtianum eiuſdem ſubſtantiæ, & rationis cum ſtatu Religioſo evangelico Chriſtiano, in quo revelabantur exemplaritas Chriſti, & vita ipſius, & votum virginitatis Deiparæ, vt vitam Chriſti amplecterentur, & votum B. Mariæ imitarentur, ex fide communi illius legis, vel ſpeciali revelatione omnibus facta, vota emittebantur propter Regnum Cœlorum; ſpiritus evangelij dabatur, & omnes circumciſi profitentes erant veri Monachi, & Religioſi veri ſubſtantialiter evangelici; & nouiſsimè aſſerunt aliqui Theologi hanc ſententiam eſſe probabiliorem, antiquam in Eccleſia, communem SS.PP. & DD. approbatam à Sede Apoſtolica in Officis Eccleſiaſticis, & confirmatam in Bullis Pontificijs, quam ſpecialiter atribuunt D. Thomæ.

Illuſtriſsimus Araùjo Primarius Doctor Salmanticenſis, & Magiſter, Dominicanus, doctrina, ingenuitate, & Religione in-

inſignis, teſtatur, eam nouam iudicaſſe Sapientiſsimos eiuſdem Vniverſitatis Magiſtros ſuo calculo, & negativam docere D.Thom. cum omnibus ſuis diſcipulis. Quis non mirabitur (ſanè orbis litterarius admirabitur) quod oculatiſsimis Magiſtris, & lynceis Doctoribus Salmanticenſibus ignota eſſet antiqua, & communis SS.PP. doctrina ab Eccleſia approbata, & confirmata in Officijs Eccleſiaſticis, & Bullis Pontificijs, eamque novam iudicaſſe, & alijs indicaſſe cenſuris? Areopagus Salmanticenſis Athenienſi ſapientior, & prudentior præcipitanter in re gravi, & theologica iudicium protulit? Silentium miratur ſilentio; aſtra ſilent, & verbum Domini permanet in Cœlo.

Hic ſtatus verus Religioſus cum votis, & conſilijs evangelicis vetus, & novus eſt, Excellentissime Princeps, quia ex veteri, & novo teſtamento inſtitutus mundo apparuit, antiquis, & novis propoſitionibus defenſus. Antiquæ propoſitiones vniverſales limitantur ad novum, & particulare ſubiectum, & determinatum ſtatum. Pſeudo-Apoſtoli hanc vniuerſalem propoſitionem defendebant: ſtatus veteris legis fuit verus, miniſteria eius bona, & perfecta; licèt non omninò, vel conſummatè bona, vera, & perfecta; ſicut ſtatus, & miniſteria legis gratiæ, & legalia miſcebant cum evangelio in præſenti Eccleſia. Hi neoterici Theologi ad ſtatum particularem veteris legis deſcendentes hoc affirmant: ſtatus Religioſus ab Elia inſtitutus in veteri teſtamento fuit verus veritate evangelica, & in ſpiritu legis gratiæ ſubſtantialiter perfectus, eiuſdem rationis cum Chriſtiano, licèt non omninò perfectus ſicut evangelicus, & in illo ſtatu ſpiritus, & veritas legis gratiæ miſcebantur cum legalibus in Synagoga veteris legis: Vniverſalem Pſeudo-Apoſtolorum damnavit D. Paul.

Manichæus, Fauſtus, & Pelagius alia perditionis via procedebant, & hanc vniverſalem propoſitionem docebant: in ſtatu veteris teſtamenti Regnum Cœlorum fuit revelatum,

&

& promiſſum fidelibus illius populi, ſenſus ſpiritualis ſcriptu-rarum apertus, myſteria legis gratiæ cognita, & ſpiritus evā-gelij manifeſtus, intellectus fide illius legis illuminatus ad cognoſcendas virtutes, & veritates legis gratiæ, & perfectio-nem illius. Hi Theologi affirmant: in ſtatu Religioſo vero evangelico ſubſtantialiter inſtituto efficienter ab Elia ante-quam removeretur impedimentum peccati Adami fuit reve-latum Regnum Cœlorum, & promiſſum, vt vota emitterent propter illud; intellectus fuit ſufficienter illuminatus ad cog-noſcendum virtutes, & excellentiam votorum legis gratiæ in exemplaritate Chriſti revelata omnibus profitentibus manifeſtabatur vita Chriſti imitanda, & perfectio legis gra-tiæ amplectenda, & in ſpiritu legis gratiæ profitebantur vi-tam evangelicam omnes, qui ex Iudæis viri, aut fœminæ pro-feſsionem emittebant in illa veteri lege.

Vniverſalis propoſitio damnatur à Sanctis Patribus Lati-nis, & Græcis, præſertim à Maximo Doctore in Pelagium, & D. Auguſtin. eam detulit, vt Pelagianam Innocentio Primo. Oſtendere debent hi Theologi qua gratia, quo privilegio inſtitutus fuit ſtatus ille evangelicus verus, in quo omnibus circum iſsis profitentibus revelabantur Regnum Cœlorum, & præmia æterna, & vitæ Chriſti exemplaritas in ſpiritu le-gis gratiæ, ante redemptionem à corruptione peccati Ada-mi, languoribus, & pœnis.

Plura addunt noviſsimi propugnatores inaudita in Chri-ſti Eccleſia ad defendendum ſtatum Religioſum Elianum ve-teris legis, ſcilicèt: quod ſub illa lege ſervitutis fuit ſtatus filiationis Dei, adoptionis, iuſtitiæ, iuſtificationis, & perfe-ctionis: Aſſerunt etiam: quod in illa lege erant Chriſtiani *in re*, ac perconſequens filij Dei, & hæredes in *re*: Nimis exal-tant Synagogam, & iuſtificationes Iudæorum: vtuntur anti-quis Rabbinorum argumentis ex ſanctitate perſonarum, ad ſtatum perfectionis veteris legis, & alia plurima aſſerunt in laudem ſtatus Religioſi veteris legis ſupra ſtatum Religio-ſum legis gratiæ.

Hæc

Hæc controverſia, non eſt facti Hiſtorialis, & Monaſtica, vt aliqui autumarunt; ſed iuris divini theologica, & dogmatica ad radicem pertinens Chriſtianæ fidei, quæ eſt lex gratiæ, multis principijs, & concluſionibus Theologicis connexa, & implicata, præſertim ad intelligentiam diſcriminum novi, & veteris teſtamenti; & diſtinctionibus, ſubdiſtinctionibus, & argutijs, quibus hic ſtatus Religioſus defenditur; plurima poſſunt Judæi excogitare argumenta ad perfectionem veteris legis in illo ſtatu Moyſaico, & aliæ excitantur difficultates ex hac novitate, quæ Catholicorum mentes oppriment. Curis Archiepiſcopatus Valentini non parcens, ſed ſolicitè incumbens in controverſijs contra Gallos de Pontificis Romani authoritate, infallibilitate, & ſpirituali poteſtate inſudaſti, Cathedram Petri ſummo labore, & mira eruditione firmaſti in tot voluminibus Eccleſiæ neceſſarijs, & Summo Pontifici Chriſti Vicario gratis; in Petro, EXCELLENTISSME PRINCEPS, doces ſtabilitam, inſtitutam primam Sedem, Cathedram, & poteſtatem evangelicam, & ſpiritualem ad gubernandum Eccleſiam evangelicam, & omnes ſtatus Chriſtianos nulli ante Petrum conceſſam, & poſt Petrum ſolis Chriſti in terris Vicarijs. Ex novitate ſtatus Religioſi veri evangelici ſubſtantialiter in ſpiritu legis gratiæ inſtituti in Synagoga inſurgunt graviſsimæ quæſtiones inter Hiſpanos neceſſario diſputandæ circa authoritatem Pontificiam veteris, & novæ legis. Prima: an in Synagoga fuerit congregatio aliqua fidelium viſibilis, & ſenſibilis ſubſtantialiter evangelica eiuſdem rationis cum aliquo ſtatu Chriſtiano, ſubiecta Pontifici illi Aaronico figurativo in ſpiritualibus legis gratiæ; cui tenentur reſpondere affirmativè prædicti ſtatus Religioſi defenſores Theologi. Secunda: an Pontifices Aaronici habuerint poteſtatem ſpiritualem ad approbandos, & confirmandos ſtatus verè, & ſubſtantialiter inſtitutos in illa lege ſecundum ſpiritum legis gratiæ: etiam tenentur reſpondere affirmativè. Tertia: an

¶¶ pri-

prima dignitas ſubſtantialiter evangelica cum poteſtate ſpirituali ad gubernandum ſtatus verè evangelicos in ſpiritu legis gratiæ inſtituta fuerit in Elia in Synagoga, vel in Petro in præſenti Eccleſia: & tenentur reſpondere quod in Elia in Synagoga, quia in illa fuit primus Prælatus in ſtatu evangelico ad gubernandum evangelicum ſtatum in ſpiritu legis gratiæ. Quarta: an Chriſtus Dominus inſtituerit vitam evangelicam Apoſtolorum in ſtatutis Elianis Religioſis veteris legis, vel ſtatum Religioſum evangelicum in Apoſtolis. Reſpondent: quod vita evangelica inſtituta fuit à Chriſto in ſtatutis Elianis veteris legis. Quinta: ſuppoſito ſtatu communi ſervitutis illius legis, in quo propter peccatum Adami omnia erant figurativa, & in littera occidente, & humana natura in pœnam peccati originalis languores, & infirmitates patiebatur in naturalibus, & ſpiritualibus, & erat ſub iugo illius legis carnalis: An Pontifices Aaronici habuiſſent poteſtatem ſpiritualem ad concedendam indulgentiam à pœnis, & infirmitatibus pecccati Adami, vt omnes profitentes illum ſtatum ex vi profeſsionis fierent Religioſi ſubſtantialiter evangelici, ſpiritum legis gratiæ acciperent in veritate illius ſtatus, & mentes eorum illuminarentur ad intelligentiam vitæ Chriſti, & Regnum Cœlorum ſperandum pro præmio; tenentur reſpondere: quod hæc poteſtas data fuerit Pontifici Aaronico, vel Eliæ ad conſtituendum ſtatum verè evangelicum cum ſuis indulgentijs, & gratijs ante reparationem generis humani, & remotionem impedimenti, & læſionis peccati Adami.

Hæ, & aliæ difficultates pullulant ex novitate veri ſtatus evangelici Eliani veteris legis, qui pulchris exornatur verbis, tituliſque decoratus antiquis, latenter proponitur ſub vmbra veteris legis imperfectè; ſed verè ſubſtantialem perfectionem, & principalem rationem legis gratiæ in Synagoga ſuadent; aliud verba ſonant, & aliud intentio argumentorum probat; plurima de Elia huius ſtatus inſtitutore in ſta-

tu

tu præterito iactant, & inveroſimilia in futuro ſtatu prædicant, & ſcribunt: & cum Maximo Doctore ad Pontificem Maximum Hiſpanum Hiſpanos interrogo, epiſt. 57. ibi: *Qui, quæſo, iſta Apoſtoli prodiere? Quis novus Magiſter, Gentium Paulus hæc docuit?* Et de Eliæ diſputationibus ad rem, epiſt. 148. ad Marcellam, ibi: *De Enoch autem, & Elia, quos venturos Apocalyſis refert, & eſſe mortuos, non eſt iſtius temporis diſputatio: cum omnis ille liber, aut ſpiritualiter intelligendus ſit, vt nos exiſtimamus; aut, ſi carnalem interpretationem ſequimur, Iudaicis fabulis acquieſcendum ſit, vt rurſum ædificetur Hieruſalem, & hoſtiæ offerantur in templo, & ſpiritali cultu imminuto, carnales obtineant ceremoniæ.* Relegantur attente quæ de Elia, & de hoc ſtatu Religioſo veteris teſtamenti referuntur, & citantur, & videbitur nova Hieruſalem de Cœlo deſcendens (Eccleſiam Chriſti dico) in Synagoga palam deſcripta. Contra hunc novum ſtatum ſubſtantialiter evangelicum veteris legis, & illius nouitates monumenta Pontificia produco, Officia Eccleſiaſtica Breviarij Romani propono, teſtimonia Sanctorum Patrum fideliter refero, & producta à recentioribus Theologis pro ſua ſententia ad rem non pertinere demonſtro, omnia Eccleſiæ ſubmitto, & defero, vt iudicet Sancta Sedes.

Eſt etiam in Hiſpania, qui Sedis Apoſtolicæ authoritate iudicet: Supremus, Sanctæ Inquiſitionis Sapientiſsimus integerrimuſque Senatus, in quo primam ſedem Feliciter obtines, EXCELLENTISSIME PRINCEPS ROCABERTINE, VALENTINE ARCHIEPISCOPE, olim Sacri Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis, & Regij Cœnobij Prædicatorum filij. Mira nobilitatis, dignitatum, Religionis, & profeſsionis coniunctio! Non caſu, ſed altiſsimo (vt reor) conſilio, Filius Conventus Prædicatorum Valentiæ; quia Apocalyſis Angelus D. Vincentius Ferrarius eiuſdem domus filius, orbi evangelizauit: quod ſtatus Religioſus inſtitutus fuit primo in Apoſtolis, & in eo Chriſtus Dominus fuit primus Prior: Magiſter Generalis Ordinis; quia alius Angelus, Ordinis vni-

verſalis Magiſter D. Thomas Aquinas hanc ſententiam docet, repetit; probat, & confirmat, in Summa, in Sententiarijs, in Opuſculis, in libris contra Gentiles, in expoſitionibus ad Evangelia, & ad Pauli Epiſtolas, quam quidem ſententiam ex Magiſtris, & Doctoribus Ordinis, qui ſupra Stellas ſedent in Cœlis, & quos ſupra Altaria venerantur in terris, docent Magnus Albertus, Antoninus Florentinus, & Apoſtolus Valentinus Vincentius; & omnes cum Chriſto regnantes celeberrimi Magiſtri: Archiepiſcopus Valentinus; quia eiuſdem Sedis Antiſtes, D. Thomas à Villanova Eccleſiæ prædicavit: quod Domina noſtra Virgo Maria ſine præcepto, exemplo, & conſilio prima Deo voto virginitatem obtulit, & maledictum infæcunditatis abſtulit in mundo; admiſſo ſtatu Religioſo cum votis in veteri lege. Hæc excellentia Virginis Virginum, & Virginitatis negatur Deiparæ Dominæ noſtræ, & conceditur Eliæ, INQVISITOR GENERALIS ROCABERTINE! Hic ſiſtere oportet pauliſper.

Antiqua ROCABERTINORVM domus; vndè nomen ſumpſerit, & originem, non facilè invenitur in monumentis lapideis. Vetuſtior eſt litteris, & Hieroglificis; celſitudinem, Dei gratia accepit in Montanis nobilitatis ſublimibus; Orbem redimivit coronis, Sceptra dedit Imperijs, & Cœlis Divos; è Cœlo accerſivit Dei gratia, & è ROCABERTINA STIRPE fama, nobilitas, immortalitas, & gloria mundi. Qui in terris originem quærunt, & inquirunt, cacumina montium ſpeculantes ſuper inacceſſam rupem ſideribus Stelliſque connexam domum invenerunt ROCABERTINAM; à rupe aperta lumem accipiunt, nomen imponunt, & nomen claturam capiunt, & inſignia. Sit igitur rupes aperta ROCABERTINA NOBILITAS, non clauſa; quia nulli clauditur ad gratiam rupes, quæ habet viſcera regia: Ab hac rupe aperta, ad aliam ſubliminorem elevatur diſcurſus: nulla in terris; ſuper aſtra Chriſtus, à quo firmitas fidei; ſuper hanc rupem fundatur Eccleſia; Clauſa ne, vel aperta rupes Chriſtus? In veteri lege

lege clauſa erat rupes Chriſtus in duritie litteræ vmbris te-
cta, operta nebulis, & concluſa figuris. In lege gratiæ, in qua conuertit rupem in fontes aquarum, ſeipſum aperuit, & à rupe aperta, latereque exciſſo aquam dedit, & lumen, & in aqua, & ſanguine, ſpiritum, veritatem, perfectionem, & gratiam infudit in primós lapides ex aperta rupe exciſſos, & Eccleſiæ vnitos. Ex his omnibus ſtructura Eccleſiæ Chriſti, & omnes ſtatus illius ſunt fundamenta Maximi ædificij myſtici. Loquimini ad petram ait Dominus: ad apertam rupem Chriſtum Dominum Authorem fidei in Cœlis loquor, per quem accepimus veritatem, ſpiritum, & ſubſtantialem perfectionem ſtatus Religioſi euangelici, non per Eliam: & ad rupem apertam in Hiſpania ad cauſas fidei EXCELLENTISSIMVM DOMINVM ROCABERTINVM. Vale, & viue fœliciter.

AD

AD REVERENDISSIMOS Patres Magiſtros Dominicanos pro Angelico Doctore exoratio.

BEnè *ſcripſiſti de me, Thoma*: Reſpondit Angelico Doctori ipſa veritas in imagine Crucifixi; quam Neapoli lætabundus humiliter adoravi, & gaudio ineffabili vidi. De Chriſto Domino ſcripſit Div. Thomas: quod ſtatum Religioſum cum votis inſtituit in conſilijs evangelicæ perfectionis; quæ in veteri lege convenienter non fuerunt data: ergo hæc erit optima conſequentia, RR. PP. MM. in veteri lege non inſtituit Elias veruſti ſtatum Religioſum cum evangelicis conſilijs. Qui benè ſcripſit de Chriſto, qui eſt finis vtriuſque teſtamenti, benè ſcripſit etiam de pertinentibus ad vtrumque teſtamentum. Div. Thomas ſcripſit: quod in veteri lege inſtituta fuerunt, quæ ſpectant ad imperfectionem, & in nova quæ ad perfectionem pertinent: ergo hæc erit optima propoſitio: Elias non inſtituit in veteri lege illa conſilia, quæ pertinent ad perfectionem evangelicam. Qui benè ſcripſit de Chriſto, benè ſcripſit de ſtatu fidei in Chriſtum futurum, & de ſtatu fidei paſsionis Chriſti. D. Thomas ſcripſit: quod licèt Chriſtus futurus in apprehenſione animæ iuſtificaret per fidem in veteri lege; ad ritum, & vſum exteriorum rerum Religionis Chriſtianæ, & evangelicæ, neceſſaria fuit Chriſti præſentia, & influentia efficienter: ergo hæc erit optima propoſitio: Elias non inſtituit efficienter in veteri lege, ex fide in Chriſtum futurum, ſtatum verum evangelicum publicum, & exteriorem ſecundum vſum, & ritum Religionis Chriſtianæ, qui quidem ſtatus exterior eſſet eiuſdem rationis cum ſtatu evangelico Chriſtiano. Qui benè ſcripſit de fide in vtroque teſtamento, benè ſcripſit de revelatis in vtraque lege: D. Thomas ſcripſit: quod in veteri lege pauca fuerunt revelata, quæ humanam inquiſitionem excederent: ergo hæc erit optima propoſitio: Elias non inſtituit in veteri lege ſtatum publicum, & notorium omnibus circumciſsis, in quo omnibus profitentibus Monachis, & Monialibus revelabantur exemplaritas vitæ Chriſti, & Apoſtolorum, votum virginitatis Deiparæ, Myſteria Incarnationis, & mortis Chriſti in paupertate, virginitate, & obedientia, &

vita

vita evangelica, vt ſequelam Chriſti amplecterentur. Qui benè ſcripſit de Chriſto in vtroque teſtamento, benè ſcripſit de præmijs revelatis,& promiſsis in vtraque lege: D. Thomas ſcripſit: quod in veteri lege fuerunt promiſſa terrena, & in nova ſpiritualia, & cœleſtia: ergo hæc erit optima propoſitio; Elias non inſtituit in veteri lege verum ſtatum eiuſdem rationis cum Chriſtiano, in quo revelarentur præmia æterna,vt omnes Judæi profitẽtes emitterent vota evangelica propter Regnum Cœlorum. Qui benè ſcripſit de Chriſto,qui eſt finis virtutum vtriuſque legis, benè ſcripſit de virtutibus pertinentibus ad vtramque legem: D. Thom.ſcripſit: quod virginitas non erat laudabilis in illa lege; quod nullum præmium ei redderetur; quod matrimonium præferebatur virginitati; quod conſilium virginitatis fuit reſervatum novæ legi: ergo hæc erit optima propoſitio: Elias non inſtituit in veteri lege ſtatum publicum, in quo laudaretur virginitas, & commendaretur caſtitas,vt virtus, & Deo voto conſecraretur in illa lege. Qui benè ſcripſit de excellentijs Chriſti, benè ſcripſit de prærrogativis Matris: D.Thomas ſcripſit: quod Domina noſtra fuit prima, quæ Deo virginitatem obtulit, & quod votum emiſsit conditionatum ante deſponſationem cum Joſeph: ergo optima erit hæc propoſitio: Elias non inſtituit ſtatum publicum in illa lege, in quo omnes viri, & fœminæ votum emittebant abſolutum virginitatis. Qui benè ſcripſit de plenitudine gratiæ Chriſti, benè etiam ſcripſit de plenitudine gratiæ Matris: D. Thomas ſcripſit: quod ſicut plenitudo gratiæ aliquomodo inchoata fuit in B. Maria, & perfectè fuit in Chriſto; ita obſervatio conſiliorum aliquomodo inchoata fuit in Deipara, & perfectè fuit in Chriſto: ergo hæc erit optima propoſitio: Elias non inſtituit in veteri lege ſtatum verum Religioſum, in quo inchoata fuit obſervatio conſiliorum, vel in quo imperfectè incepit eorum obſervantia.

Omnes ſunt propoſitiones expreſſæ, & ad litteram D. Thomæ cuius loca citantur, & verba formalia dantur in hac controverſia. Eas propugnant omnes Thomiſtæ antiqui,& moderni. Ex Dominicana familia primi, ex Beatis Albertus Magnus, Antoninus Florentinus, & Vincentius Ferrarius: non adhibeo teſtes dormientes, ſed fideles ſervos, & Beatos, quos vigilantes invenit Dominus ſuper ſuam domum, & familiam, quos ſequuntur omnes Dominicani Doctores cum Angelico Magiſtro. Pactum pepigiſtis cum illis; & in verba iuraſtis Magiſtri: Vigilate igitur, quia quidam inſurgunt Theologi, qui fideliſsimi diſcipuli D. Thomæ exiſtimantur,

tur,

tur, & contra Magiſtrum affirmant, & per vniverſum orbem ſcribunt: quod in veteri lege fuit verus ſtatus Religioſus cum votis, quod conſilia evangelica fuerunt data in illa lege, quod virginitas fuit laudabilis, & matrimonio præferebatur, quod conſilium virginitatis fuit revelatum in illa lege, & viri, & fœminæ votum emiſerunt abſolutum, & omnes propoſitiones Magiſtri impugnant, vt verum ſtatum Religioſum veteris legis inſtituant: & addunt, quod ſua ſententia eſt approbata à Sede Apoſtolica in Bullis, & confirmata in ſuis Eccleſiaſticis Officijs, & quod mirum eſt, defendunt quod credi non poteſt de fide divina Theologica communiter dicta. Si ita eſt, neceſſe eſt improbare quamplurimos D. Thomæ articulos; ſed ne miracula D. Thomæ his novis propoſitionibus inter Thomiſtas improbentur; veras eſſe antiquas D. Thomæ oſtendo in hac controverſia ex monumentis Pontificijs, ex Officijs Eccleſiaſticis Breviarij Romani, ex Sanctis Patribus, & Doctoribus Eccleſiæ, & præcipuè ex D. Paulo iuxta explicationem Angelici Magiſtri. Si erravi; ò fœlix error, qui talem habuit Magiſtrum, cui Dominus è Cruce dixit: *Benè ſcripſiſti de me, Thoma*, & eius Vicarius de ipſius doctrina Innocentius VI. *Qui eam doctrinam tenuerit, numquam à veritatis tramite deviaſſe, & qui eam impugnauerit, ſemper de veritate ſuſpectum fuiſſe.* Sic docetis, ſcribitis, & prædicatis: & ego ſubſcribo. Sic ergo defendite Magiſtrum contra adverſarios, ſivè Thomiſtas, ſivè Anti-Thomiſtas. Valete, vt prævaleat veritas veſtra antiqua, & ingenua doctrina.

PRÆSENTEM STATUM CONTROVERSIÆ proponit, & explicat Author, & totum hoc opus Sancto Inquiſitionis Tribunali ſubmititit.

VArios ſtatus, & caſus habuit circumciſſus Monachatus Elianus veteris teſtamenti in noſtro ſæculo; primum in noſtra Hiſpania apparuit, tàm in vulgàribus hiſtorijs, quàm in diſputationibus ſcholaſticis verus in veritate evangelica, in ſpiritu legis gratiæ inſtitutus cum ſolemnitate votorum, & clavium poteſtate ex Dei expreſſo mandato, ante Evangelium Evangelicus, & ante Chriſtum Chriſtianus; & Sanctum Inquiſitionis Supremum Tribunal deleri, & expungi præcepit ſolemnitatem, & poteſtatem clavium, & omnimodam perfectionem quammodo habet ex Chriſti Domini inſtitutione in lege gratiæ, prout in decreto anno 1639. Iterùm ad examen vocatus permittitur cum eiſdem limitationibus, & declarationibus, & præcipitur deleri inſtitutus ex Dei expreſſo mandato, & quod dicatùr, ex divina inſtitutione, prout in decreto anno 1673. His terminis circumſcriptum permiſsit Sanctum Tribunal Monachatum circumciſſum Elianum veteris legis ſcribi, imprimi, & legi in nova.

Decreta permiſsiva Sedis Apoſtolicæ, ſeu fidei Tribunalium circa aliquas propoſitiones cenſuram prohibent; ſed intellectum non captivant in illarum obſequium, diſputari, & impugnari poſſunt, niſi aliter iuſtis de cauſis à Iudicibus in decretis præſcribatur. In hac controverſia poſt decretum anni 1639. ſcripſit Illuſtriſsimus Araùjo, & ob ſapientiſsimi Tribunalis decretum probabilem Monachatum Elianum appellans ex communi conſenſu Thomiſtarum ſententiam affirmativam impugnat: Romæ etiam in Magiſterio Sacri Palatij conſtitutus, Monachatum veteris teſtamenti impugnavit Emminentiſsimus Cardinalis Capiſuccus cum communi

¶¶¶ Theo-

Theologorum conſenſu, & Magiſter Nazarius Italus eiuſdem Ordinis Dominicani novam ſententiam Monachatus Eliani reijcit in ſuis diſputationibus ſcholaſticis; & in celeberrima controverſia de ſcientia media, vel conditionata apud Sedem Apoſtolicam toties ventilata, partibus auditis, vtraque ſententia permittitur defendi, & impugnari hinc indè, ſine cenſura, quia Sancta Sedes veritatis Magiſtra in rebus Theologicis, Eccleſiaſticis, & dogmaticis necdum diffinitis, diſputationes permittit, & ſæpè præcipit, vt magna conquiſitione facta, quid Spiritui Sancto, & ſibi viſum eſt, declaret, & diffiniat, vt in Actis Apoſtolorum legitur, c. 15.

Hac igitur ſubmiſsione erga Sanctum, & Supremum Inquiſitionis Tribunal iuxta decreta probabilem dico Monachatum circumciſſum, ſed quia poſt decreta plurima addunt, in quibus tranſgredi videtur decretorum terminos nova, & vetera impugno: addunt poſt vltimum decretum, quod ille Monachatus fuit ſubſtantialiter, & eſſentialiter evangelicus, eiuſdem rationis cum Chriſtiano, & novitatem hanc novis exemplis, paritatibus, & ſtatibus confirmant deſumptis ex præſenti Eccleſia, ad ſtatum veteris teſtamenti translatis, quæ in decretis Sancti Officij non continentur, & examine indigent: vndè hæc controverſia mutavit ſtatum, quia ante decreta, vt ipſi propugnatores ſæpè aſſerunt, directè hiſtorialis erat & facti, & indirectè Theologica; nunc autem ex novis aſſertis directè dogmatica eſt, & iuris divini, & indirectè hiſtorialis, & facti, & præter argumenta ex imperfectione legis veteris facta, oportet etiam diſputare; an genus humanum in communi illo miſero ſtatu per peccatum Adami conſtitutum mortis, iræ, ſervitutis ſub poteſtate diaboli capax erat, vt inſtitueretur in illo ſtatus viſibilis ſpecialis verus eſſentialiter evangelicus in ſpiritu legis gratiæ, & eiuſdem rationis cum ſtatu Chriſtiano redempto, & à miſero ſtatu mortis, & ſervitutis liberato, & an Elias purus homo ante remotionem impedimenti peccati Adami potuit ſecun-

dum

dum quod conſtat ex ſcripturis efficiente r inſtituere ſtatum verè ſubſtantialiter evangelicum,& in ſpiritu legis gratiæ, & libertatis ex Chriſti ſibi, & ſuis revelata exemplaritate; nam ſpiritus legis gratiæ in ſtatu hominum ex Chriſti meritis præſentis, & paſsi efficienter fuit datus in præſenti Eccleſia generi humano iuxta doctrinam D. Pauli.

Dogmata hæc, quæ ſupponunt adverſarij in ſuis aſſertis, nova ſunt; ad cuius intelligentiam reflectendum eſt ad Sacri Concilij Tridentini decreta ſeſſ.6.in qua ſtatum generis humani declarat, & cap.1. de miſero ſtatu ſervitutis ante redemptionem, ibi: *Primum declarat Sancta Synodus, ad iuſtificationis doctrinam probe, & ſincere intelligendam, oportere, vt vnuſquiſque agnoſcat, & fateatur, quod cum omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidiſſent facti immundi, & vt Apoſtolus inquit, natura filij iræ, quemadmodum in decreto de peccato originali expoſuit, vſque adeò ſervi erant peccati, & ſub poteſtate diaboli ac mortis, vt non modo gentes per vim naturæ, ſed ne Iudæi quidem per ipſam etiam litteram legis Moyſi, indè liberari, aut ſurgere poſſent; tametſi in eis liberum arbitrium minimè extinctum eſſet, viribus licèt attenuatum, & inclinatum.* Hæc Sancta Synodus: & hic erat hominum ſtatus poſt prævaricationem Adami; ſervitutis, mortis, peccati, iræ, ſub poteſtate diaboli; & liberum arbitrium licèt non extinctum, viribus attenuatum, & pronum in malum.

Sequenti cap. 2. felicem ſtatum hominum poſt redemptionem declarat, ibi: *Quo factum eſt, vt Cœleſtis Pater, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, Chriſtum Ieſum, Filium ſuum, & ante legem, & legis tempore, multis Sanctis Patribus declaratum, ac promiſſum, cum venit beata illa plenitudo temporis, ad homines miſerit, vt & Iudæos, qui ſub lege erant, redimeret, & gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, iuſtitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris; non ſolum autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi.* Hæc Sancta Sy-

nodus de ſtatu felici hominum in lege gratiæ, & præſentis Eccleſia, in qua iuſtitiam, & adoptionem accepimus in ſpiritu, & veritate ex meritis Chriſti præſentis efficienter in ſanguine ipſius in ſtatu ex lege gratiæ.

In quibus decretis advertendum eſt: quod licèt Deus in exemplari oſtenſo, & revelato Moyſi in monte legem dederit Iudæis, ritum, & ſacrificia; littera tamen occidebat, omniaque in figura fuerunt ſine ſpiritu, ſine veritate, & populus ille in eodem ſtatu permanſit, in quo erat per peccatum Adami. Inter hos ſtatus mortis per Adam, & vitæ per Chriſtum nullum ſtatum medium audivit Eccleſia per purum hominem inſtitutum efficienter in ſpiritu legis gratiæ eiuſdem rationis cum Chriſtiano, in quo præmia æterna promittebantur, & myſteria legis gratiæ in Chriſti futuri vita imitanda proponebantur, & revelabantur Iudæis: Hunc ſtatum perſuadere conantur propugnatores novisſimi veri Monachatus circumciſsi ante beatam plenitudinem temporis.

Nova hæc propoſitio magnam conquiſitionem requirit; nam ante remotionem peccati Adami, ſi vera eſſet; Elias per ſuam legem, vel ritum ſui Monachatus efficienter dediſſet in ſtatu viſibili Monaſtico ſpiritum, & veritatem legis gratiæ pro omnibus profitentibus illum, & Chriſtus Dominus miſſus à Patre inveniret ſpiritum ſuæ legis, & gratiæ, in quo vivimus redempti, & filij, datum per Eliam in vero ſtatu evangelico ſubſtantialiter, & Chriſtiano, quod impoſsibile videtur; nam ſtatus ille Elianus viſibilis eſſet, quod non negant adverſarij; viſibilis ſtatus ſubſtantialiter evangelicus in ſpiritu legi, gratiæ inſtitutus exteriori ritu, & viſibilibus ſignis debuit conſtitui, gratiam, & ſpiritum conferentibus; nam inviſibilis infuſio gratiæ ex actibus internis, licèt actu iuſtum conſtituat, ſtatum viſibilem non facit, nec iuſtificatum ponit in ſtatum iuſtificationis, & gratiæ. Quibus ergo ſignis? quo ritu? inſtituit Elias ſtatum illum circumciſſum in veritate, & ſpiritu legis gratiæ? nam ſi gratia non dabatur in ritu, & pro-

feſ-

feſsione illius ſtatus; non eſſet in ſpiritu legis gratiæ inſtitutus, licèt eiſdem viſibilibus vterentur, quibus Religioſi Chriſtiani in lege gratiæ; nec eſſet evangelicus ſubſtantialiter eiuſdem rationis cum Chriſtiano, vt aſſerunt adverſarij novisſimè, ſed purè, & nudè figurativus, & vmbraticus.

Celebris eſt ad rem doctrina Angelici Doctoris in 3. part. quæſt. 38. art. 6. in corpore, vbi irrationabile reputat dictum Magiſtri aſſerentis, quod baptizati baptiſmo Ioannis, qui ponentes ſpem in Chriſtum, & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum credebant, non erant poſtea baptizandi in baptiſmo Chriſti; vndè Angelicus Magiſter irrationabile iudicat aſſerere, quod baptiſmus Ioannis, præſente Chriſto Domino in fide expreſſa Trinitatis, & ſpe in Chriſtum tùnc præſentem, licèt in eadem aqua, fide, & ſpe, verus in veritate evangelica eſſet, & evangelicus ſubſtantialiter eiuſdem rationis cum baptiſmo Chriſtiano, & rationem aſsignat, quia baptiſmus Ioannis in eadem aqua, eadem fide, & ſpe, ante redemptionem Chriſti, nec gratiam conferebat, nec Spiritum Sanctum dabat, ſed tantum ablutionem à puro homine in illo ſtatu; dato igitur, & non conceſſo, quod Elias inſtitueret ſtatum illum, & Monachatum in cucula, regula, & votis, non poteſt dici ſubſtantialiter evangelicus, & eiuſdem rationis cum Chriſtiano in ſpiritu, & veritate legis gratiæ, quia inſtitutio Eliæ, nec gratiam contulit, nec collatam ſupponebat ex lege, nec caracterem imprimebat, nec ſupponebat impreſſum ritu aliquo Chriſtiano; eſſetque ſtatus magis figurativus, & vmbraticus ex exemplaritate Chriſti futuri, quam baptiſmus Ioannis ex revelatione Chriſti præſentis: eſt ergo novum dogma aſſerere, quod purus homo Elias inſtituit verum ſtatum evangelicum ſubſtantialiter eiuſdem rationis cum Chriſtiano, vt aſſerunt poſt decreta Sancti Officij; quod dignitati Chriſti capitis derogare videtur.

Certum eſt, quod à gratia Chriſti capitis omnes ſtatus evangelici ordinantur in præſenti Eccleſia. Quis igitur fuit

pri-

primum caput, à quo ſpiritus legis gratiæ fuit datus efficienter ſtatui vero evangelico Eliano circumciſſo? Non Chriſtus Dominus; quia Chriſtus futurus efficienter ſpiritum legis gratiæ non dedit in aliquo ſtatu hominum. Dicunt noviſsimè adverſarij: quod ex exemplaritate Chriſti conſtitutus fuit Elias verus miniſter in ſpiritu legis gratiæ, qui ſtatum illum efficienter inſtituit ex illa exemplaritate, quod novum eſt, nam Chriſtus Dominus in tempore exiſtens homo, non eſſet primum caput efficienter illius ſtatus, nec à gratia Chriſti capitis inſtitutus fuiſſet in novo teſtamento, ſiquidem per Eliam iam antea fuerat datus ſpiritus evangelij in illo ſtatu ſubſtantialiter evangelico circumciſſo, quo labefactari videtur dignitas Sacerdotij Chriſti Domini.

Quia omnes ſtatus, & gradus præſentis Eccleſiæ participationes ſunt Sacerdotij Chriſti, & ad Sacerdotium Chriſti ordinantur, hic ſtatus Elianus circumciſſus ſubſtantialiter evangelicus eiuſdem rationis cum Chriſtiano, & permanens in lege gratiæ in eadem ſubſtantia, & eſſentia veteris leges ad quod pertinebat Sacerdotium? An ad Sacerdotium Aaronicum, & ad ſtatum prioris tabernaculi, de quo D. Paulus ad Hebr. cap. 9. verſ. 8. ibi: *Adhuc priore tabernaculo habente ſtatum*: vel ad Sacerdotium Chriſti, & ad ſtatum præſentis Eccleſiæ? ſi ad primum Sacerdotium, & ſtatum prioris tabernaculi, non fuit ſubſtantialiter evangelicus, nec in ſpiritu legis gratiæ, nec in nova lege permanet, quia ſtatus prioris tabernaculi, & Sacerdotij translatus fuit, vt docet Apoſtolus ibidem ad Rom., cap. 7. verſ. 17. *Tranſlato Sacerdotio, &c.*

Si dicatur: quod Elias vt Miniſter Chriſti futuri inſtituit prædictum ſtatum eiuſdem rationis cum Chriſtiano independenter à ſtatu, & Sacerdotio prioris tabernaculi, qui verè, & ſubſtantialiter evangelicus erat, etiam Elias vt Vicarius Chriſti futuri eſſet primum caput ſubſtantialiter evangelicum, & viſibile dependens à Chriſto futuro inviſibili capite in ſua exemplaritate, quod magis videtur inſtitutio Eccleſiæ, quàm

Mo-

Monachatus, & priore teſtamento habente ſtatum, duo eſſent ſuprema capita in Synagoga; ſummus Sacerdos figurativus ſuper populum, & Elias Miniſter Chriſti ſuper illum ſtatum medium Elianum eiuſdem rationis cum Chriſtiano, ac perconſequens dignitas capitis ſtatus veri, & ſubſtantialiter evangelici, & eiuſdem rationis cum Chriſtiano, prius participata fuiſſet Eliæ reſpectu illius ſtatus circumciſi ante Evangelium Evangelici, & ante Chriſtum Chriſtiani à Chriſto futuro exemplariter, quam Petro reſpectu præſentis Eccleſiæ efficienter in ſuo ſanguine.

Si tertium dicant: quod ſtatus ille medius fuit verus in veritate evangelica eiuſdem rationis cum Chriſtiano, & ſimul vmbraticus, & figurativus, ſtatus Religioſi perfecti præſentis Eccleſiæ, manifeſtam implicat contradictionem hoc aſſertum, & vtrique legi repugnantiam, nam nulla figura veteris legis habebat ſubſtantiam, veritatem, & ſpiritum ſtatus legis gratiæ, quem præfigurabat, aliàs non eſſet figura, & vmbra, ſed veritas, & lux. Tùm etiam: quia ſecundum adverſariorum aſſerta, omnia quæ habet ſtatus Religioſus conſumate perfectus in præſenti Eccleſia, poſt inſtitutionem Eliæ, accidentia quædam ſunt eidem ſtatui, vt ſolemnitas votorum, & poteſtas clavium; vndè ſubſtantia evangelica, & veritas in veteri teſtamento præfigurarent, accidentia ſtatus Religioſi gratiæ, & eſſet figura perfectior figurato in ſubſtantialibus.

Ex his novis aſſertis poſt decreta Sancti Officij novum habet controverſia ſtatum; & vt illum defendant, nova addunt argumenta, quæ omnimodam perfectionem concludunt in veteri lege, quam confirmant novis etiam paritatibus, & exemplis, Eccleſiæ, gratiæ, fidei, filiationis, & adoptionis ſtatus præſentis Eccleſiæ, quæ toto zelo materiam, & ſubiectum diſputationis variant; nam, nunc non diſputatur: an in Carmelo extiterint aliqui eremitæ ſub aliquibus particularibus ſtatutis, caputium, & capam albam portantes, quia

hæc

Hæc quæſtio facti eſt, & ad præſens inſtitutum inutilis, & impertinens, nam habitus non facit Monachum: ſtatus igitur præſentis controverſiæ ex novis aſſertis poſt decreta Sancti Officij altior eſt, & ſubtilior: an, ſcilicèt, in miſero hominum ſtatu poſt peccatum Adami, & ante remotionem impedimenti peccati per Chriſtum adhuc Priore tabernaculo habente ſtatum: Elias purus homo inſtituerit medium ſtatum Religioſum ſubſtantialiter evangelicum in ſpiritu, & veritate legis gratiæ eiuſdem rationis cùm Chriſtiano? In quo profitentes: erant Chriſtiani in *re* Religioſi veri evangelici vita Chriſti proponebatur imitanda, & præmia cœleſtia revelabantur in ſpiritu legis gratiæ, & veritate evangelica. Hunc ſtatum cum omnibus ſuis inſtantijs, exemplis, & argumentis impugno ſub correctione Sancti Officij Tribunalis, & quamvis plurima lateant ad ſtatum vniverſalem Chriſtianiſmi pertinentia, relinquo intacta quæ montes tangunt, & fumigata nubecula parva Carmeli, culmina Eccleſiæ operiunt caligine nubium, & vmbrarum veteris teſtamenti, quæ Deo dante, in alio parvo opuſculo demonſtrabo. Calamum reſtringuo ad Monachatum tantum, & ad humilem vallem ſtatus Religioſi deſcendens, Sanctorum Patrum, & Doctorum torrentem ſequor, deſertum Chriſti floribus, & gemmis vernans, & viridans irrigantem, & fluentem in abyſum Thomam Angelicum Doctorem: nullam invenies in hoc parvo rivulo guttulam ex alio fonte: nullum ſtillicidium, quod abyſum non ſapiat.

Rmi P. Fr. FRANCISCI DE LOS SANTOS, Chroniſtæ Generalis Ordinis, Ex-Prioris Regij Monaſterij Sancti Laurentij del Eſcurial, Viſitatoris Generalis in Regnis Caſtellæ, & Legionis, & ad Epiſcopatum Cotronenſem, quem recuſavit, electi.

EPIPHONEMA

HVIVS CONTROVERSIÆ, SEV ACCLAMATIO, & Reverendiſsimi, atque Præſtantiſsimi Authoris Elogium.

HOc magnum Opus (Reverendiſsime Pater M. N. Fr. Franciſce Galiano, Sacræ noſtræ Religionis Generalis dignifsime) hæc ſtructura nobilis, hæc fabrica ſublimis, verum ſtatum Religioſum in veteri lege Moſaica eruditè reſpuens, & ſolum in lege gratiæ optimè affirmans, atque validiſsimis fundamentis confirmans: Arx veritatis eſt; turris munitiſsima, quæ armorum Chriſtianæ intelligentiæ copioſa multitudini, facilimam ſtudioſis contra Adverſarios victoriam effert. Sacræ Scripturæ, Apoſtolorumque, & Sanctorum Doctorum Patrum, atque Scriptorum ſententijs, ac Dogmatibus, quaſi propugnaculis abundat. Mille clypei pendent ex ea, in quibus contrariorum jacula, noviter præciſiva, & diſtinctiva, nihil operantur, ſed potius confringuntur, & ſagittæ argumentorum ſuorum factæ ſunt plagæ eorum. Omnis enim armatura fortium, vexillum Chriſti ſequentium, in qualibet parte huius controverſiæ, in quolibet Diſcurſu, & Paragrapho, animosè pugnat, & iuſtè, vt non tribuatur legi vmbraticæ, quod propriè cōvenit legi lucis veræ, quæ illuminat omnē hominem venientem in hunc mundum.

Quapropter vt Emminentiſsimus Cardinalis Caietanus docuit 2. 2. quæſt. 1. *Standum eſt doctrinæ antiquorum, & Sanctorum Patrum, quos illuſtratos credimus diuino lumine, & quoad*

doctrinam, & quoad vitam, magis quam poſterorum, vbi diſcrepant poſteriores ab illis. Et benè notat, *vbi diſcrepant*; quia doctrina diſcrepantium ab illis, vel caret ſtabili fundamento, vel fundamentum fingit, vel lucem veritatis fugit, vt in hac quæſtione oſtenditur. In illa cuncti Heroes Catholici, Eccleſiæ Sanctæ Proceres doctiſsimi, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo Summo angulari Lapide Chriſto Ieſu, nullum perfectum Monachatum admittunt, neque vota eſſentialia, neque conſilia Evangelica, niſi in lege Gratiæ. Pro hac veritate invincibiliter militant; hanc veritatem vno ore defendunt; vno labio pronunciant, *& labium veritatis* (vt Sapiens aſſerit Proverv. 12.) *firmum erit in perpetuum*. Nam quamvis: *Veritas laborare poteſt* (inquit D. P. Hier. contra Pelagianos) *vinci non poteſt*. Quare igitur Adverſarij diſcrepant ab illis? ſed hoc concedere nolunt, & tamen cogitaverunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire. Cogitaverunt conſilia Evangelica inter vmbras, & figuras Sinagogicæ legis introducere; ſed in illa quid aliud niſi vmbraticum, & figurativum in hac materia inveniri poteſt ſicut in alijs? Et cogitaverunt conſilia, vt eorum doctrina, Sanctorum Patrum, loquutionibus, & ſermonibus conſonaret; ſed non potuerunt ſtabilire; nam talis doctrina, *potius eſt ſonus, quam loquutio, vel ſermo*: vt eleganter de ſimili affirmavit Auguſtinus in Pſalm. 82. & vt Methodius inſinuauit Epiphan. §. 64. *Nihil habet ſanum, & firmum, ſed imaginarium, & ſophiſticum*. Vndè vt cum Seneca loquamur Epiſt. 65. de aliquorum ſcriptis: *Quædam ſcripta* (inquit) *clarum tantum habent nomen: cætera exangula ſunt. Inſtituunt, diſputant, cauillantur, ſed non faciunt animum, quia non habent*.

Hoc autem ſcriptum, & Eruditiſsimum Opus, cuius nitor atticus, cuius concinnitas grata, cuius Religioſa pietas, & ſtrenua doctrina legi Evangelicæ nitens, opera tenebrarum abijcit, arma lucis induit; nihil non Apoſtolicum admittit. Omne truncatum, aut non verum diligentiſsimè notat in au-

tho-

thoritatibus, vt adverſariorum caliditas appareat, Horat. in Epiſt. *Moueatque cornicula riſum, furtiuis induta coloribus*, atque alienis pennis falaci ornatu compoſita. Quare Rev. & Sapient. Author, omni fidelitate, & veneratione, dicta SS. PP. referens, poteſt dicere cum D. P. N. Hieron. Epiſt. ad Paulin. *Malo alieni operis interpres exiſtere, quam (vt quidam faciunt informes Corniculæ) alienis me coloribus adornare.* Et verè ſic ſe habet in hoc nervoſo volumine. Quidquid docet, & authoritatibus argumentis, atque rationibus probat, mentem vincit, & convincit, integrum, & inviolatum SS. PP. ſenſum circa hanc materiam relinquens. Omnia miro ordine diſponit, in quibus Ingenij acumen, eruditionis vires, affluens doctrina concertant, & fœderantur ad ingentem doctiſsimi Scriptoris gloriam, & vt de ipſo potiori iure dicatur illud Auſonij ad ſuum Gratianum: *Quis aut dicenda prudentius cogitauit, aut conſultius cogitata diſpoſuit, aut diſpoſita maturius expelliuit?* Planè Opus eſt ad materiæ gravitatem mirabili ſtilo ad amuſsim reſpondens, proindeque digniſsimum vt Typis non ſolum mandetur, ſed vt omnium veri Monachatus claritatem deſiderantium, teratur manibus, & celebretur linguis præſertim cum in nullo à Chriſtiana morum deviet honeſtate, vel Orthodoxæ Fidei diſſentiat, imò in omnibus cum illa mirificè cohæreat. Sic ſentio in hoc Regali D. Laurentij Monaſterio die 18. menſis Febr. anno 1696.

V.R. Humilis filius,

Fr. Franciſcus de los Santos.

CENSURA Rmi. P. M. IOSEPHI DE ALCARAZ, SOCIETATIS IESV, *Theologiæ Profeſſoris Primarij, Sanctæ Inquiſitionis Qualificatoris, in Hiſpaniarumque Apoſtolici Nuntij Tribunali, Theologi.*

1 EST liber, cuius titulus *de Origine, & Inſtitutione veri Monachatus*, compoſitus à Rmo. P. M. P. Fr. Franciſco Galiano Spuche, digniſsimo Inclytæ Hieronymianæ Familiæ Generali, Opus ex omni parte, meo iudicio, perfectum, atque numeris omnibus abſolutum.

2 In eo ſe gerit Sapientiſsimus Doctor, vt Egregius Philoſophus, vt Eximius Theologus, vt Eruditiſsimus, & ſolidiſsimus Hiſtoriographus. Indagat veritatem attentè, adinvenit feliciter, defendit imperterritè. Vincit, non mordet, ſuos Adverſarios. Telis fortiſsimorum argumentorum adoritur, non dicterijs offendit. Triumphat, non lædit famam alienam.

3 Scribit calamo non felle intincto, ſed potius melle inuncto; non oblitus, ſed memor Charitatis Chriſtianæ, quæ, vt ait Apoſtolus, *non agit perperam.*

4 Dum percurrebam lætus hunc glorioſum laborem, videbar mihi legere Magnum aliquem Patrem ex ijs, quos priſca tulere Sæcula, quemdam Hieronymum, quemdam Ambroſium: adeò gravis ſtylus, doctrinæque fœcunditas tantorum ſapit genium Doctorum.

5 Diſsipat tenebras clara intellectus face, queis ſæpè verum latebat tectum; monſtratque falſum habitu alieno indutum, ne deinceps fallat, vt ſolebat, incautos, pulchra, mentita tamen, ornatum veſte.

6 Nemo, qui illum per luſtret, velit eſſe eius Cenſor. Sanè ego tantum ero Laudator, licèt meritis impar.

7 Nil eſt in hac graviſsima elucubratione non doctum, nil pietati contrarium, nil bonis, ac Chriſtianis Moribus abſonum, nil demum Fidei Romanæ principijs infallibilibus oppoſitum.

8 In noſtro hoc Imperiali Madritenſi Societatis Ieſu Collegio. Die 12. Februarij, Anno Dñi 1696.

Ioſephus de Alcaràz.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOs el Licenciado D. Alonſo Portillo y Cardos, Dignidad de Chantre de la inſigne Colegial de Talavera, Inquiſidor Ordinario, Vicario de eſta Villa de Madrid, y ſu Partido. Por la preſente, y por lo que à Nos toca, damos licencia para que ſe pueda imprimir, è imprima el libro Latino Theologico Dogmatico, intitulado: *De Origine, & Inſtitutione veri Monachatus*, eſcrito por el Rmo. P.M. Fr. Franciſco Galiano Spuche, General de la Religion de San Geronimo, por quanto de nueſtra orden, y comiſsion ha ſido viſto, y reconocido, y no contiene coſas contra nueſtra Santa Fè Catolica, y buenas coſtumbres. Fecho en Madrid à 13. de Febrero de 1696. años.

Lic. D. Alonſo Portillo y Cardos.

Por ſu mandado,

Juan de Herrera.

CEN-

CENSVRA D. D. D. SIMONIS FERNANDEZ MOLINILLO,
Olim in Maiore D. Ildephonſi Collegio Complutenſi Toga condecorati, nunc Eccleſiæ Sanctæ Crucis Matritenſis Rectoris meritiſsimi.

M. P. S.

REgij Senatus iuſu legi librum, cui titulus eſt *de Origine, & Inſtitutione veri Monachatus, Authore Rmo. P. M. Fr. Franciſco Galiano Spuche, Inclytæ Hieronymianæ Familiæ Generali*: In quo non ſolum nihil bonis moribus adverſum; Fideivè Catholicæ oppoſitum reperi, ſed illum Romanæ Eccleſiæ ſtatim iudicavi ſummè neceſſarium. Vocari namq; liber hic meritiſsimè debet *Evangelicæ propugnaculum veritatis*; cum in eo Evangelij lux ab vmbris Synagogæ, Dei voce, per Sanctos Patres expreſſa, diſtinguatur: lex vetus, & nova, ſicut lux, & tenebræ diſtinguuntur: & licèt vna, & eadem ſit Eccleſia ex veteri, & nova lege, ſic eſt eadem, ſicut ex veſpere, & manè vnus eſt dies. In prima dierum conditione primum dicitur veſpere, poſtea manè: *Factum eſt veſpere, & manè dies vnus, Geneſ. 1.* Sic lex vetus præceſsit, vt veſperum: lex evangelica ſucceſſit, vt manè: & ſicut tenebræ vocari lux non poſſunt, licèt ex tenebris, & luce non fiunt duo; ſed vnus dies; ſic veteris legis vmbras appellare evangelicam lucem, quia ex duabus legibus non duæ, ſed vna componitur Eccleſia, Chriſti Dñi paſsio, & merita, Matriſque eius non patitur exemplaritas.

Quid igitur aliud eſt in veteri lege conſilia evangelica cum votis conſummatæ perfeccionis adſtruere, niſi tenebras cum luce velle gratis confundere? Ipſe rerum Opifex Deus, qui ex tenebris, & luce diem vnum compoſuit: *Diviſit lucem à tenebris, appellauitque lucem diem, & tenebras noctem*: Vndè licet tenebræ cum luce eumdem componant diem; tenebræ tamen nox ſunt, nec dies vocari poſſunt, qua parte dies dicit lucem. Hoc doctiſsimus Magiſter libri huius Eruditiſsimi Opifex feliciſsimè perſequitur; ſuoque calamo præclariſsimo tenebras veteris à luce evangelicæ legis diſtinguit. Sanctorum Patrum, Eccleſiæ luminum, veſtigijs inſiſtens; fidei Catholicæ dogmatibus innixus pro evangelij dignitate decertat. Miro rationum pondere adverſarios inſequitur, eorum argumenta ingenio diſsipat; fallacias detegit acutiſsimè. Alto, atque maturo iuditio oppoſita ponderat fundamenta: Pontificia diplomata circumferri, & vulgò decantari ſolita in examen vocat, ſupra illorum veritatem, & authoritatem rationibus reflectens efficaciſsimis;

mis: Eccleſiaſtica Officia, hucuſque permiſſa: Revelationes, & Traditiones antiquas fideliter appendit in ſtatera, vt Eccleſia iudicet, an inveniantur minus habentia. Qua eruditione antiquitatem evolvit? Qua gravitate, quaſi Os Dei, ſeparare contendit pretioſum à vili; vmbram ab imagine, promiſsionem à donatione, litteram à ſpiritu, mortem à vita, ſervitutem à libertate, ancillam à Domina, timorem ab amore, ſanguinem hircorum à Sanguine Chriſti? In his omnibus, ſecundum Apoſtolum, differunt vetus, & nova lex: In quibus, poſsito ſtatu perfectionis evangelico, cum votis, & conſilijs verum Monachatũ conſtituentibus, nullatenus viderentur diſtingui, contra Scripturæ, SS.PP. & Eccleſiæ Catholicum ſenſum.

Maximum Romanæ Eccleſiæ obſequium præſtat ingenioſiſsimus hic Magiſter, ea oculis eius obijciens, quæ accuratiſsimo proculdubio indigere videntur examine. Rectè ſanè, & alto conſilio aurei huius operis Author illud Sanct. D. N. Innocentio Pontifici Maximo; Maximoque Hiſpaniarum dirigit Inquiſitori, vt oſtendat, quam ſincerè, & non ex contentione, pro evangelica perfectione ſtatus Religioſi decertet: vtque tanti Pontificis, tantique Fidei Iudicis attentionem rapiat, vt ad rem tanti momenti ſeriò ſe convertant, remque tantis expoſitam periculis, vel certò reprobent, vel certò definiant. Nihil enim tàm periculoſum in Chriſti Eccleſia, quàm poſſe prudenter à fidelibus dubitari: An Eccleſia ea dixerit, quæ tanquam ab ea dicta commendantur. In præſenti igitur controverſia, quid certò ſentiendum ſit ab omnibus, ab ipſamet Eccleſia definiri vtiliſsimum foret, ne ornatus Sponſæ novæ cum Chriſto deſcendentis de Cœlo, omnia in evangelica lege nova faciente, veteri, ancillæ, atque repudiatæ tribuantur. Sponſæ huius novæ doctiſsimus huius controverſiæ Scriptor cauſam agit digniſsimam, quæ à Summis Præſulibus audiatur, quæ in tanti Magiſtri eruditione laudetur, præmijſque maioribus afficiatur. Matriti in hac Sanctæ Crucis Eccleſia, die 18. menſis Februarij, anno Dñi 1696.

Doct. D. Simon Fernandez Molinillo.

SVMA DEL PRIVILEGIO.

Tiene Privilegio de ſu Mageſtad el Rmo. P. M. Fr. Franciſco Galiano Spuche, para imprimir por eſpacio de diez años el libro intitulado: *De Origine, & Inſtitutione veri Monachatus*, y que otro ninguno le pueda imprimir, ni vender ſin ſu permiſſo, ſegun mas largamente conſta de ſu original, deſpachado en Madrid à veinte dias del mes de Febrero de mil ſeiſcientos y noventa y ſeis años, en el Oficio de Diego Guerra de Noriega, Eſcrivano de Camara.

PAg.4.lin. 7.alijs,lege,alij. Ibidem,lin.19.diximus,lege,dicemus.Pag.8.lin.14.po- tetet,leg.patet.P.12.lin.9.Modernoris,leg.Moderniores. P.17.lin.17. minor,leg. maior.P.24.lin.9.terrenarum,leg.terrenorum.P.25.lin.5.ſupra,leg.infra.P.33.lin.9. ſupra,leg.infra.P.33.lin.10.in vitæ,leg.in vita. Ibid.lin.32.§.1.leg.§.2.P.38.lin.19. ſupra, leg.infra. P.49.lin. 32. Religioſo.cum Evangelio ,leg. Religioſo Evengelico. P.52.lin.39. probatus, leg.probatur. P.53.lin.26. poſſet,leg.poteſt. P.58.lin.19. Iudaico, leg.Iudaicus. P.60.lin.35.vivebant, leg.vivebat. P.61.liu.14. Chriſtiana, leg. Chriſtianæ. P.64.lin.14.Præceptori,leg. Præceptoris. P.68. lin.2. adverſarij, leg.adverſarijs.P.73.lin.26.cæteri,leg.cæteris.P.74.lin.6.ſtatu,leg.ſtatus.P.88.lin.5.Monaſtices, leg.Monaſtici. P.89.lin.6.hanc.leg.hac. P.89.lin.23. Conſilijs, leg. Concilijs. P.95.lin.43.veri,leg.viri.P.127.lin.4.docerent,leg.docent.P.128.lin.4.an,leg.hanc. P.129.lin.4.ſuam,leg.ſua. P.130.lin.2.Eccleſia, leg. Eccleſiam. P.137.lin.11.præcipiatur ,leg.percipiatur.P.162.lin.15.gratiæ,leg.gratiâ. P.167.lin.11.leges,leg.legis. P.196.lin.28.doctrinam,leg.doctrina. P.201.lin.17.ſupoſito,leg ſuppoſitio. P.212. lin.19.poſuit,leg.propoſuit.P.214.lin.5.prohibito,leg.prohibitio.P.215.lin.37.inſtituti,leg.inſtitui. P.221.lin.26.in illo,leg.in nullo. Pap.234.lin.2. non manifeſte, leg. manifeſte. P.239.lin.28. iudebat,leg.iubebat. P.268. lin.37. Nazareis, leg Nazarei. P.275.lin.12.audiat.leg.audeat . Pag.277.profanatis, leg. profanatus. P.281. lin.1. præſtantur,leg.præſtantior. Ibid. lin.35.auditibus ,leg.auditis.P.294.lin.7. Deipara, leg.Deiparæ.P.302.lin.21.revalatis,leg.revelantis. Ibid. lin.26. virginum, leg. virginem.Ibid.lin.37.revelare,leg.revelaret.P.307.lib.7.reflectere,leg.reflecterent. P.333. lin.5.negate,leg.negare. P.335.lin.24.§.4.leg.§.2. P.339.lin.34. receperuut, leg.pervenerunt. P.344.lin.22.præventem,leg.præventæ. P.345.lin.35.inrer illa, leg.in illa. Pag.448.lib.24.imperfectionis.leg.imperfectioni. P.355.lin.1.vera,leg. vero. P.357. lin.1.pacificus,leg.ſpecificus.P.359.lin.14.fidelium,leg.infidelium.Ibid.lin.31.totius, leg.eius. P.369.lin.12.magis,leg.magnis. P.373. lin.13. fide ſupernaturali, leg. fides ſupernaturalis. P.375.lin.27.accideret,leg.occideret.P.376.lin.11.& 13.coniugi, leg. coniungi.P.381.lin.6.pietatem.leg.poteſtatem.P.422.lin.1.num,leg.nam.

Iuſſu Suppremi Caſtellæ Senatus vidi librum , cuius titulus eſt, *de Origine, & Inſtitutione veri Monachatus.* Et his demptis erratis,ſuo reſpondet originali. Matriti die 4. Maij,anno 1696.

Lic. D.Simon de Olivares & Balcazar.

SVMA DE LA TASSA.

LOs Señores del Conſejo taſſaron eſte libro,intitulado:*De Origine,& Inſtitutione veri Monachatus*, à ſeis maravedis cada pliego , à cuyo precio ſe ha de vender. Deſpachado en el Oficio del Secretario Diego Guerra deNoriega , en Madrid à 5. de Mayo de 1696.

Præ-

Licèt vna ſemper fuerit Eccleſia, ab initio mundi, eius ſtatus ante redemptionem, & poſt redemptionem generis humani ſicut Cœlum, & terra diſtinguuntur: vndè præſens Chriſti Eccleſia Regnum Cœlorum dicitur in evangelio, quia ſecundus homo de Cœlo cœleſtis in ſpiritu, & veritate legis gratiæ nova fecit omnia, Cœlum inclinavit, & firmamentum deſcendit in terram in ſummis montibus præſentis Eccleſiæ: Primus homo prævaricatione cœleſtia, & ſpiritualia amiſsit, & terrenus factus, & terrenorum filiorum Pater conſtitutus terrenum Regnum inſtituit, in quo mors, & peccatum regnabat, & imperium tenebat temporalium cupiditas, cui legem dedit Deus carnalem ſine ſpiritu, & veritate, terrenis tantum promiſsis, quibus manuducebatur cæcum humanum genus, ne in foveam infidelitatis incideret, & terrenorum ſpe Redemptorem ſpectaret promiſſum viſibilibus præfiguratum, & inviſibilia futura, & ſpiritualia non intelligens, quia lumen perdiderat propter peccatum, ſpiritu carebat, & veritate, & omnia in figura contingebant illis. Erat enim ſtatus Eccleſiæ ante redemptionem à peccato terrenus, terrena, & temporalia promittens, & ſtatus præſentis Eccleſiæ cœleſtis eſt, & ſpiritualis in ſanguine Chriſti promittens cœleſtia, & ſpiritualia tribuens.

Vndè præſens controverſia non eſt inanis contentio inter regulares ſuper temporis antiquitatem, quia vanitas vanitatum eſt pro tempore diſputare, qui tempora-

lia omnia reliquerunt propter æterna. Quid inanius quam ſucceſsivam, & momentaneam prioritatem præteritis inſtantibus continuatam quærere in terris ab his qui temporalibus omnibus contemptis, æternitatem tantum, & cœleſtia cogitare debent? Itaque qui tempus diligunt, ſæculorum ſucceſsione contenti, tempora diſtinguere debent vtriuſque teſtamenti, ne cœleſtia præſentis Eccleſiæ confundant cum terrenis Synagogæ, & tempus acceptabile, ſalutis, & felicitatis cum tempore mortis, peccati, & miſeriæ. Itaque graviſsima hæc controverſia non verſatur inter Religiones pro antiquitate, ſed inter Religionem Elianam Carmelitanam, & præſentem Eccleſiam pro ſpiritu, & veritate legis gratiæ, ſcilicèt, an Religio Eliana Carmelitana prius fuerit in ſtatu viſibili ſubſtantialiter evangelico in ſpiritu, & veritate evangelica, quam Religio Chriſtiana evangelica: vel, an veritas, & ſpiritus legis gratiæ prius tempore fuerit in ſtatu viſibili, & ſenſibili Religionis Elianæ Carmelitanæ veteris legis, quam in ſtatu præſentis Eccleſiæ, & ex his aliæ inſurgunt difficultates inter Eccleſiam, & Religionem Elianam Carmelitanam: an, ſcilicèt, ſpiritus legis gratiæ prius datus fuerit diſcipulis Eliæ in ſtatu vero evangelico ſubſtantialiter, ſub lege ſervitutis inſtituto, quam diſcipulis Chriſti Dñi in ſtatu vero, & viſibili præſentis Eccleſiæ ſub lege gratiæ & libertatis: & ex hac, alia oritur difficultas: an Prælati, ſeu Superiores illius Congregationis Elianæ Carmelitanæ ſubſtantialiter evangelicæ veteris legis in ſtatu illo ſervitutis circumciſſo acceperit in ſtatu viſibili ſpiritum

filia-

filiationis, & libertatis ad gubernandas animas ſubditorum in ſpiritu, & veritate legis gratiæ, antequam Chriſtus Dñs inſtitueret Apoſtolos ſuos, & conſtitueret Epiſcopos in ſpiritu legis gratiæ ad gubernandam Eccleſiam, quam acquiſivit ſanguine ſuo: & tandem, an primitiæ ſpiritus legis gratiæ prius datæ fuerint Elianis Carmelitis in vero viſibili ſtatu Religioſo circumciſſo eiuſdem rationis cum Chriſtiano, quam Apoſtolis in hoc viſibili ſtatu Chriſtiano præſentis Eccleſiæ. Hæc dubia ingentem habent difficultatem etiam ex dictis Carmelitarum; quia conſtanter aſſerunt, quod ſua Religio fuit inſtituta in veteri lege in ſpiritu, & veritate legis gratiæ in vero ſtatu viſibili ſubſtantialiter evangelico, & noviſsimè orbi proponunt quod Religio Carmelitana eſt primogenita Eccleſiæ in ſpiritu, & veritate quo Eccleſia in Chriſto regeneratur vndè tenetur explicare quomodo hæc Religio ſit filia primogenita Eccleſiæ in ſpiritu, & veritate legis gratiæ, & antiquior Eccleſia in ſtatu vero viſibili ſubſtantialiter evangelico circumciſſo eiuſdem rationis cum ſtatu Religioſo evãgelico Chriſtiano baptizato: ſi ergo licèt Carmelitis defendere pro antiquitate ſui Ordinis veritatem, & ſpiritũ legis gratiæ in ſtatu viſibili Religioſo Eliano circumciſſo vero ſubſtantialiter evangelico eiuſdem rationis cum Chriſtiano, iure optimo pace, & Chriſtiana charitate poſſumus filij præſentis Eccleſiæ pro dignitate, & excellentia matris pugnare, & defendere, quod ſpiritus legis gratiæ non fuit datus in ſtatu viſibili, nec evangelica veritas fuit data niſi per Chriſtum præſentem, mor-

tuum, & paſſum in ſtatu viſibili evangelico præſentis Eccleſiæ, quod præcipuum, & primarium prævilegium eſt privative conceſſum ſponſæ, & reginæ poſtquam genus humanum liberavit in ſanguine ſuo à ſtatu infelici ſervitutis, mortis, & peccati.

Hanc antiquam doctrinam, & veritatem demonſtrare intendo contra aſſerentes, quod Elias inſtituit in veteri lege verum ſtatum Religioſum in veritate evangelica, & ſpiritu legis gratiæ ſubſtantialiter evangelicum, & eiuſdem rationis cum Chriſtiano, vt priores, & antiquiores in ſpiritu legis gratiæ appareant in ſtatu viſibili, & ſubſtantiali evangelico, quam præſens Eccleſia, Apoſtoli, Summus Pontificatus, Epiſcopi, & omnes ordines, & ſtatus Eccleſiaſtici, quod verum non eſt, & Eccleſiaſticæ traditioni repugnat; nam præter principia dogmatica, quæ in controverſia proponuntur, in alma vrbe quæ caput Eccleſiæ eſt, ex antiquiſſima Eccleſiæ traditione Clericalis ſtatus præcedit Monaſtico Ordini, quia antiquior, & dignior, vt ſæpè declararunt Pontifices Romani: eſt enim prima ſors Eccleſiæ ſtatus Clericalis, quod teſtantur Canones antiqui, & Sancti Doctores, & Patres, & pro brevitate ſufficit nunc Maximus Eccleſiæ Doctor Parens meus Hieronymus epiſt. 10. ad Furiam, ibi: *Iunguntur noſtri Ordinis, qui & roduntur, & rodunt adverſus nos loquaces, pro ſe muti: quaſi & ipſi aliud ſint, quam Monachi: & non quidquid in Monachos dicitur, redundet in Clericos, qui Patres ſunt Monachorum.* Hæc D. Hieronymus.

Etenim Clericalis ordo prior tempore fuit in Eccle-

cleſia, & in eo inſtituit Chriſtus Dominus vitam evangelicam, & Apoſtolicam, & ex eo ortum habuit Monachatus verus evangelicus, & ab exordio Eccleſiæ, vt illius primogenitus in ſpiritu legis gratiæ, vt prior tempore, & dignitate vbicumque terrarum ordo Clericalis præcedit Ordini Monaſtico. Contra hunc ordinem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ inſurgunt noviſſimi Patres Carmelitani, & vt ſuam hanc Religionem prioritate ſpiritus, & veritatis legis gratiæ tempore præferant ipſi Eccleſiæ, Apoſtolis, Summo Pontificatui, Epiſcopis, & Ordini Clericali, aſſerunt, & defendunt, quod Sanctus Propheta Elias in veteri teſtamento ex Chriſti exemplaritate prævisa, ſeu revelata inſtituit verum ſtatum Religioſum Monaſticum, viſibilem, Evangelicum ante Evangelium, & ante Chriſtum Chriſtianum in veritate, & ſpiritu legis gratiæ in ſtatu publico, & viſibili eiuſdem rationis cum Chriſtiano evangelicis conſilijs votis ſenſibilibus conſtitutum in Synagoga, & vniverſo Orbi, & Principibus proponunt, quod hæc ſucceſsio, quam vocant hæreditariam ab Elia in ſpiritu, & veritate legis gratiæ, approbata eſt à quindecim Summis Pontificibus, ſæpè in Sacra Rituum Congregatione propoſita, & confirmata, & à Sanctis Doctoribus tradita, ſed Bullas Pontificias fidedignas nondum vidimus, Sacra Congregatio numquam approbavit, quod Elias inſtituit verum ſtatum Religioſum Monaſticum in ſpiritu legis gratiæ cum votis evangelicis in ſtatu viſibili evangelico eiuſdem rationis cum Chriſtiano, vera, &

le-

legitima Sanctorum Patrum teſtimonia in vero, & proprio ſenſu adhuc deſiderantur.

Quapropter pro Primatu, & prioritate Eccleſiæ in ſpiritu, & veritate legis gratiæ in ſtatu vero viſibili ſubſtantialiter evangelico Chriſtiano pro tenuitate ingenioli mei propugno, vt demonſtrem in hac controverſia, quod mirabiliſsimum opus gratiæ (vt verbis D. Thomæ vtar) alienationis, ſive abdicationis, & contemptus omnium rerum temporalium propter ſpiritualia, & æterna in ſtatu vero, & viſibili cum votis, ita eſt proprium, & præcipuum prævilegium præſentis Eccleſiæ à Chriſto datum, & inſtitutum in hoc ſtatu viſibili evangelico Chriſtiano, & ante Chriſti Domini adventum, mortem, & paſsionem, per quam redemptum fuit genus humanum à ſervitute, & languoribus peccati, nulli ſtatui viſibili vero fuerit datum, revelatum, ſeu conceſſum in veritate, & ſpiritu legis gratiæ. Pro hac antiqua doctrina in gratiam, & gloriam Sanctæ Matris Eccleſiæ refero teſtimonia evangelij, & D. Pauli, & præter alios Doctores antiquos, hanc veritatem teſtantur præcipui Doctores Eccleſiæ, qui in Monachatu primitivo floruerunt, præſertim S. Baſilius Magnus Monachus, & Monachorum inſtitutor, & Epiſcopus hanc doctrinam docuit in Grætia, & ex eo Eccleſia in Breviario Romano. D. Ioannes Chryſoſtomus Monachorum propugnator, Monachus, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, & ex eo Eccleſia in Breviario Rom. D. Hieronymus Cardinalis Monachorum inſtitutor in Bethleem,

lecm,& ex eo Eccleſia in Breviario Romano. Ioannes Caſianus Monachus, & Monachorum inſtitutor in Gallia. D. Auguſtinus Monachus, & Monachorum Eremitarum, & Clericorum Regularium inſtitutor in Africa, & ex eo Eccleſia in Breviario Romano, quod maiora præcepta, ſeu conſilia propter Regnum Cœlorum data fuerunt in tempore legis gratiæ. D. Gregorius Magnus Monachus Romanus Pontifex Maximus,& Monachorũ inſtitutor in Anglia,& ex eo Eccleſia in Breviario Romano. Div. Bernardus Monachus Benedictinus AbbasClarevallenſis,& præcipuus inſtitutor inclytæ Congregationis Ciſtercienſis. Hi ex antiquis ordinibus Monaſticis docent, quod abdicatio rerum temporalium propter ſpiritualia, & æterna in Chriſto, & per Chriſtum incæpit in Sacroſancto Evangelio, & quod in veteri lege non fuit propoſita,nec audita. Poſt Ordines Monachales incæperunt Mendicantes in Sanctiſsimis Patriarchis Dominico, & Franciſco, & in prima Sacra Dominicana Familia Angelicus Doctor antiquam Sanctorum Patrum doctrinam illuſtravit, confirmavit, & munivit, & nullus in hac Familia contra Div. Thomam ſcripſit in hac propoſitione, nec Durandus aliter ſenſit, licèt in alijs Magiſtrum negavit: Seraphica quoque Religio cum ſuis Magiſtris D. Bonaventura, & Scoto, & alijs idem ſemper docuit, & prædicavit. Quid enim ſentiant: aliæ Religiones, notum eſt in ſuis antiquis Magiſtris conſulantur. Hoc antiquum Eccleſiæ dogma propono defendendum in hac contro-

troverſia, quam in tres divido partes: in prima fundamenta à ratione, & authoritate propono: in ſecunda argumenta hiſtorici prophetici, & Apologiæ refero, & diluo: in tertia nova argumenticula PP. Salmanticenſium adduco, & fallatias, æquivocationes, & argutias eorum demonſtrō. Teſtis eſt mihi Deus, quod pro veritate ſcripſi, non æmulatione aliqua, ſed charitate, & chriſtiana ingenuitate, vt à viris doctis doceat, & vt Sancta Mater Eccleſia in re graviſsima, quæ radicalem perfectionem legis gratiæ, & Chriſtianiſmi tangit, quid tenendum ſit proponat, definiat, & declaret. VALE.

DE

DE ORIGINE, ET INSTITUTIONE VERI MONACHATUS.

CONTROVERSIA UNICA:

Contra verum Statum Religioſum, quoad ſubſtantiam,& eſſentiam evangelicum Votis eſſentialibus Inſtitutum ab Elia in veteri Lege.

PRIMA PARS.

Vera ſententia proponitur, & ſtabilitur teſtimoniis Sacræ Scripturæ,& Sanctorum Patrum.

DISCURSUS PRIMUS.

Ex imperfectione veteris Legis oſtenditur impoſsibilis verus Monachatus cum Votis quoad eſſentiam,& ſubſtantiam evangelicus in veteri Lege.

§. I.

Verus ſtatus Controverſiæ, certis ſuppoſitis, & notabilibus, aperitur.

1 STATVM Verum Religioſum cum votis eſſentialibus in veritate evangelica conantur adverſarij probare in Synagoga Iudæorum, Chriſto Domino adveniente, permanſurum in eadem eſſentia,ſubſtantia,& veritate, vt ab Elia antea fuit inſtitutus, & votis conſtitutus; nam licèt inter veteris teſtamenti vmbras exordium ſummeret, Elias tamen eius Inſtitutor, vt lux Monachorum, & purioris vitæ Author natus fuit

ante Evangelium Evangelicus, & ante Chriſtum Chriſtianus. Sic expreſsis verbis habetur in Hiſtoria Prophetica Carmelitana, libro 1. cap. 38. num. 8. & in eodem libro, cap. 1. num. 8. quod Chriſtus Dominus perfecit, & approbavit Monachatum ab Elia fundatum. Et cap. 21. num. 2. Quod benè poteſt dici, Chriſtum voluiſſe, quod diſcipuli ſui Principem, & Imperatorem ſtatus virginalis, ipſum Dominum noſtrum cognoſcentes; Eliam quoque Ducem generalem recognoſcerent ex veteribus Monachis circumciſsis, & novis legis gratiæ baptizatis, vna familia conſtituta, in eodem ſtatu, & Religioſo in vtroque continuato teſtamento. Et ibidem num. 6. Quod vocatio Prophetica Eliana non tantum ſimilis Apoſtolicæ fuit; ſed vnus ſtatus continuatus, ſicut Nilus qui præterijt, & nunc tranſit, quamvis Chriſtus Dominus poſtea eum perfecerit, & ſublimaverit. In hoc conveniunt, & convenire tenentur defendentes verum ſtatum Religioſum Iudaicum illius legis.

2 Quem vt extitiſſe perſuadeant in Synagoga, ex virginate, paupertate, & obedientia Sanctorum veteris teſtamenti, præcipua ſumunt diviſsivè argumenta, quibus conceſsis, intentum non probant, quia, vt obſervantia illarum virtutum ſtatum Religioſum concluderent, ſimul, & in eodem ſubiecto debent probare obedientiam, paupertatem, & caſtitatem, vt patet ex eſſentia, & ſubſtantia veri ſtatus Religioſi: vnde licèt Elias, & Eliſeus virgines extiterint, filij Prophetarum pauperes, & Rechabitæ obedientes, nullus verus ſtatus Religioſus probari poteſt; ſed tantum in omnibus vmbra, & figura Evangelici Monachatus; nec ex obſervantia prædictarum virtutum, etiam propter Regnum Cœlorum, ſimul, & in eodem ſubiecto, verus ſtatus Religioſus probatur quoad iudicium Eccleſię, niſi aliqua lege, vel voto firmetur, vt expreſsè docet D. Thomas 2. 2. quęſt. 184. art. 4. Vnde illa tantùm teſtimonia, ſi eſſent, adverſariorum intentum concluderent, quæ docerent aliquos in veteri teſtamento paupertatem, virginitatem, & obedientiam perpetuo voto, ſimplici, vel ſolemni cuſtodiſſe ligatos in aliqua Religione. Cętera autem teſtimonia in quibus prędictę virtutes in veteri teſtamento laudantur, figurativum, vmbraticum, & ſymbolicum Monachatum ſupponunt in Synagoga, quem nos etiam libenter concedimus cum Sanctis Patribus.

3 Notari etiam opportet; quod in veteri teſtamento aliqui ſpeciales modi, ſeu ſtatus colendi Deum inſtituti fuerunt ſecundum illam legem, & illius Ritum, & cultum, vt Sacerdotum, Levitarum, Nazareorum, & Rechabitarum, de quorum inſtitutis in

ſacris

ſacris litteris mentio fit, qui licèt Religioſi eſſent, quatenus ſpecialem cultum Deo dabant, viuentes in illis, vmbram tantùm ſtatuum legis gratiæ tenebant; quia vota noſtra non emmittebantur in eis, nec ſecundum Ritum Religionis Euangelicæ, & Chriſtianæ Deo dedicabantur, vt conſtat in Samuele, & Sanſone Nazaræis perpetuis, & alijs, qui vxores duxerunt filiosque procrearunt, & viri Religioſi appellantur à Sanctis Patribus, & Doctoribus; & de ſtatu Sacerdotali Exodi cap. 28. verſ. 9. dicitur ibi: *Eruntque Sacerdotes mihi Religione perpetua.* Et Sacerdotium illius legis per carnalem generationem filijs Aaron fuit conceſſum, nullusque dixit, nec dicere poteſt, quod Religio Sacerdotum veteris, & novi teſtamenti, vna, & eadem eſt in vtraque lege, & in eodem ſenſu loquuntur Sancti Patres, qui Nazareos, Rechabitas, Eliam, & Eliſeum, & filios Prophetarum Religioſos appellant, non ex eo quod vota noſtra emiſſerint evangelica, ſed quia ſeſe Deo dicarunt ſpeciali cultu in illa lege.

4 Nec Patres, qui Monachos eos appellant, & vitam, & mores eorum ad exemplum, & imitationem proponunt Monachis evangelicis, Veros illos Monachos intelligunt ſecundum formam evangelicam, & cultum legis gratiæ, quia Sanctus Pater noſter Hieronymus, qui præcipuus fuit in hac locutione, Monachos veteris teſtamenti expreſsè fuiſſe dicit, & nullis alijs clarioribus verbis eos figurativos Monachos explicare potuit iuxta Apoſtolum dicentem: *Omnia in figura contingebant illis.* Erant enim Monachi illius legis ſicut Sacerdotes, & Levitæ, qui ſtatum Sacerdotalem legis gratiæ præfigurabant, & illi Monachi ſtatum Religioſum demonſtrabant futurum. Tùm etiam: quia ſecundum Doctorem Maximum Epiſt. 22. Monachus ſolum, vel ſolitarium ſignificat, cap. placuit 19. quæſt. 1. Et ſecundum hanc nominis ſignificationem Elias, & alijs in ſolitudinibus degentes, rectè Monachi ſolitarij, & Monachorum Principes dicuntur in illa lege; ſed ex hoc vota, & ſtatum verum Religioſum in veritate evangelica non probantur, vt notum eſt, & ex ipſis Patribus conſtat; nam qui illos veteris teſtamenti Monachos appellant, vota, & formam Monachatus evangelici in Chriſto incæpiſſe docent, vt oſtendimus in hac, 1. part. diſc. 2. per totum: Minus enim adverſarijs favent Patres, qui veteris teſtamenti Monachos ad exemplum nobis proponunt, qui præcipui, & qui frequenter proponuntur ſunt Nazarei, & ex his Sanſon, & Samuel, qui vt ſæpe diximus, in Matrimonio vixerunt; ergo exempla eorum non adducuntur in veritate,

& identitate ſtatûs, ſed in ſimilitudine,& figura, ſicut in Pontificibus,&Sacerdotibus illius legis frequenter contingit,quod in exemplum referantur à Sanctis Patribus, & Doctoribus, & proponantur Pontificibus, Epiſcopis,& Sacerdotibus legis gratiæ, vt illorum virtutes imitentur, vel eorum vitia arguant, & non licèr arguere idem Sacerdotium, & Pontificatum in vtroque teſtamento; ergo neque eumdem ſtatum Religioſum, quia diſcurſus Sanctorum Patrum procedit à figura ad figuratum, ab vmbra ad lucem, ab Imagine ad veritatem, quia aliter intelligi non poſſunt in ſenſu Catholico, & fideli de veteri ad novum teſtamentum, quoad ſtatus Eccleſiæ Chriſti diſcurrentes.

5 Nec ex perfectione iuſtorum veteris teſtamenti, quos ſummis laudibus extollunt Patres, ſtatus perfectionis probatur;quia vt docet D. Thom. infra videndus, multi ſunt perfecti, qui in ſtatu perfectionis non ſunt, & aliqui ſunt in ſtatu perfectionis, qui tamen perfecti non ſunt; vndè Sancti Patres, Viros perfectos in veteri teſtamento laudantes, internam perfectionem,& ſtatum animę per gratiam ex Chriſti meritis communicatam, celebrant, ex omni ſtatu illius populi coniugatis, divitibus, Principibus, & Sacerdotibus infuſſam: Nullus verò ſtatum perfectionis lege aliqua externa conſtitutum,& evangelicis votis laudavit in Synagoga Iudæorum, in quo circumciſsi ad perfectionem legis, & finem eius pervenire poſſent, ſi vellent, & in eo profeſsi ad perfectionem tendere tenerentur ex votis. Hæc vota, paupertatis, ſcilicèt, obedientiæ, & caſtitatis in veteri teſtamento negamus, quia ſimpliciter ſtatum mutant, vt ex D. Thoma oſtendimus in hac 1. part. Alia verò vota, quæ ſimpliciter ſtatum non mutant, certum eſt reperiri in veteri lege, vt Nazareorum peregrinationis, & aliarum virtutum: Sed illa quibus homo totam vitam ſuam Deo obligat, vt in operibus perfectionis ei deſerviat, in veteri teſtamento negamus,& propria eſſe legis gratiæ ſtatuimus. Nec vota perpetua in veteri teſtamento negamus, ſed ſecundum veterem legem, vt in ipſo Nazarętu conſtat, in quo Sanſon, & Samuel Nazaręi, & Religioſi perpetui vxores duxerunt; ergo Patres, & Doctores, qui Nazaręos, Rechabitas, & filios Prophetarum, Monachos, vel Religioſos perpetuos in illa lege appellant, iuxta Ritus, & ſtatum illius legis ſunt intelligendi,& non quoad formam evangelicam. Fruſtra enim laborant adverſarij ex Nazaræatu, & Rechabitatu ad verum ſtatum Religioſum evangelicum concludendum.

6 Notandum etiam eſt, quod licèt Regnum Coelorum, &

præ-

præmia æterna continerentur in veteri teſtamento, ſub vmbris fuerunt velata terrenis promiſsis, & populo Iudaico non fuerunt revelata, quod dogma catholicum eſt, vt fiet manifeſtum ex Patribus: nam in illa lege nec fides Trinitatis, cui Regni Cœlorum ingreſſus reſervatus fuit per baptiſmum, fuit promulgata Iudæis, nec gratia ex lege promiſſa, qua Regnum Cœlorum, & gloria, vt corona iuſtitiæ datur: itaque Chriſtum Dominum ſperabant temporalis Regni Iſrael Redemptorem, vt conſtat ex Lucæ cap. 24. verſ. 21. ibi: *Nos autem ſperabamus, quia ipſe redempturus eſſet Iſrael.* Vnde fides implicita Redemptoris ſufficiens fuit in illa lege, vt ex meritis eius futuri iuſtificarentur in ea, ſecundum illam viuentes. Myſteria autem crucis, & cætera redemptionis Sacramenta, vitaque Apoſtolica, Iudæis, & populo non fuerunt cognita, iuſtis tamen aliquibus, interna revelatione aliqua revelata fuerunt, non omnia omnibus iuſtis; ſed aliqua aliquibus, ſecundum altiſsimam Dei providentiam, & inſcrutabilem voluntatem, vt nobis prophetata in figuris relinquerent, & Eccleſiæ Chriſti per Spiritus Sancti adventum manifeſtarentur, & populo Chriſtiano palam prædicarentur. Ex quibus patet, quod iuſti illi, quibus vita evangelica interiùs revelata fuit, exteriùs tamen ſecundum illam legem vivebant, quod pulchrè D. Bernardus dixit infra videndus, diſc. 2. §. 5. & alij Patres in hac controverſia; ergo ſancti illi, & iuſti, perfectique ſecundum illam legem, cæremonias, & mores, eadem agebant, & quærebant, populo carnali ex charitate adhærentes, vt ait D. Bernardus. Ex quo patet, quod perfectionem legis gratiæ ex meritis Chriſti futuri tenentes, nullum ſtatum perfectionis publicum, & verum iuxta evangelicam perfectionem conſtituerunt in illa veteri lege.

7 Ex dictis evidenter colligitur, quod revelatio Chriſti Domini, vitæque Chriſtianæ, & voti Deiparæ nulli ſtatui illius populi fuit facta, neque iuſtis illis præmia æterna virtutibus evangelicis promiſſa, Myſteria fidei, ſacramenta, & vota legis evangelicæ exemplaria fuere, vt ſecundum Ritum Religionis evangelicæ, & Cultum legis gratiæ viuerent, & operarentur; ſed vt iuxta præcepta à Deo data, & Ritum, & Cultum illius legis populo adhærentes, ſpiritum, & veritatem legis gratiæ mirantes, & ſub vmbra ſervitutis, & peccati Redemptorem expectantes futura credebant, & iuxta præſentia operabantur, expectabant tempus acceptabile, & dies ſalutis, vt revelata eis adimplerent. Quod patet: nam Chriſtus Dominus aliquibus revelatus fuit, vt Author Sacramentorum, & Sacerdotij

æterni, non ad exemplar illius legis, ſed gratiæ: Nullus enim ad inſtar exemplaris revelati Sacramenta confecit, nec Sacerdotium evangelicum inſtituit, nec vllum ſtatum verum Eccleſiæ; ergo licèt vota Religioſa, vitaque evangelica aliquibus fuerint revelata ad perfectionem internam, nullus tamen publicum ſtatum eorum inſtituit in illa lege, quia ſecundum D. Auguſtinum laudatum in hac 1. p. & diſc. 1. §. 3. Secundum ordinatiſsimam providentiam dedit minora præcepta populo, quem adhuc timore alligari oportebat, & maiora populo, quem iam charitate liberari convenerat, quia ab eo dantur, qui novit congruentem ſuis temporibus generi humano exhibere medicinam.

8 Denique advertendum eſt, quod vota poſſunt eſſe perpetua, & ad tempus, vt notum eſt in novo, & veteri teſtamento, & ita omnes Patres, & Doctores, qui ex aliquo capite virginitatem perpetuam in veteri teſtamento obſervatam fuiſſe negant, ex voto, vel ex lege, & conſuetudine, vel quod Domina noſtra virgo Deipara fuit prima, quæ virginitatemDeo vovit, & voto ſacravit: Si aliquando dixerint, aliquos in illa lege viros, vel mulieres ſe Deo virginitatem voto ſacraſſe, de temporali voto ſunt intelligendi, ne ſibi ipſis ſint contrarij, & ratio hanc intelligentiam ſuadet; nam qui virginitatem perpetuam in illa lege negant voto Deo conſecratam, vel ex opprobio, & contemptu in quo habebatur, vel ex maledicto in fæcunditatis, & Deiparam Dominam noſtram primam in hoc cultu fuiſſe affirmant, niſi perpetuum votum explicent, quod à nullo antiquo Patre fit, de temporali loqui neceſſe eſt, quod optime congruit tempori illius legis, & SS. PP. menti, & ſenſui. Circa vota ſimplicia eſt etiã, quod tria illa Religioſa in Religione approbata emiſſa, vt in Societate, conſtituunt veros Religioſos, extra Religionem minimè: Sacra quoque Societas Ieſu non conſtituitur votis ſimplicibus tantùm, ſed etiam ſolemnibus, quæ melior, nobiliorque pars eiuſdem in profeſsione emittit; at noviſsimi defenſores veri Monachatus Eliani veteris teſtamenti intendunt fundare in illa lege verum ſtatum Religioſum cum votis tantum ſimplicibus ſine aliqua ſolemnitate, nec in votis, nec in aliqua profeſsione, nec in approbatione ſtatus in communi, nec in vlla ſpeciali Religione, vndè inſtitutum Societatis nihil eis ad intentum prodeſt, imò contra eos pugnat. His ergo ſuppoſitis, argumenta adverſariorum facillimè ſolvuntur, & ad intentum nil probare demonſtrabitur; ſed quia plura afferuntur ab adverſarijs, præcipuè in Hiſtoria Prophetica, & eius Apologia, vt ſingula vota diviſivè probent, quibus facilis poteſt eſſe ſolutio, reſpon-

pondendo ſtatum verum Religioſum non concludere à diverſis, & diſtinctis perſonis ſingula emiſſa: tamen vt falſitas adverſariorum doctrinæ appareat, eo ordine, quo in Apologia proponuntur ſervato, vim argumentorum enervabimus.

§. II.

Ex imperfectione veteris legis impoſsibilis oſtenditur verus ſtatus Religioſus, eſſentialibus votis conſtitutus in ea.

9 Nihil ad perfectum ſtatum veterem legem adduxiſſe docet D. Paulus ad Hebræos cap. 7. verſ. 19. ibi: *Nil enim ad perfectum adduxit lex*, ſed in egenis, infirmiſque elementis, & vmbraticis figuris Moſaicæ legis obſervantias ſiſtere. Ibidem cap. 10. verſ. 1. ibi: *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum.* Quam plurima ſunt teſtimonia Apoſtoli de veteris legis imperfectione, quæ, quia communia ſunt, omittuntur: quod etiam prædixerat Ezechiel cap. 25. ibi: *Dedi eis præcepta non bona*, ideſt, imperfecta, vt communiter Patres, & Doctores interpretantur, qui ex multis imperfectionem veteris legis contra Iudæos oſtendunt.

10 Hac igitur Catholica doctrina ſuppoſita, verus ſtatus Religioſus cum votis evangelicis, in quibus perfectio legis gratiæ conſiſtit, ad finem divinæ legis acquirendum, incompatibilis cum veteris legis imperfectionibus oſtenditur. Sed prius ſupponendum eſt, quod cum ſtatum perfectionis negamus in populo circumciſſo, non illam hominis internam intelligimus diſpoſitionem, qua in ſtatu perfectionis per comparationem ad divinum iudicium iuſti in illa lege conſtituebantur ex meritis Chriſti futuri: Sed ſtatum perfectionis excludimus à Synagoga, ſecundum ea, quæ exteriùs aguntur, quibus homo ad perfectionem tenetur, & ad ſtatum ſpiritualem, per comparationem ad Eccleſiam aliqua lege externa ligante, vel ſolvente. Hac diſtinctione procedit D. Thomas 2. 2. quæſt. 184. art. 4. in corp. & concludit ibi: *Ideò nihil prohibet aliquos eſſe perfectos, qui non ſunt in ſtatu perfectionis, & aliquos eſſe in ſtatu perfectionis, qui tamen non ſunt perfecti.* Idem docet opuſc. 18. cap. 15. ibi: *Contingit autem aliquos opera perfectionis facere non voventes, aliquos verò totam vitam ſuam voto obligantes ad perfectionis opera, quæ non implent; vndè patet quoſdam perfectos quidem eſſe, qui tamen ſtatum perfectionis non haberent; aliquos verò perfectionis ſtatum habere, ſed perfectos non eſſe.* Secundum hanc doctrinam D. Thomæ, perfectos ali-

quos in veteri lege ex Chriſti gratia futuri concedimus, & perfectionis ſtatum negamus, quia ex perfectione iuſtorum ad ſtatum perfectionis in illo populo, fallax eſt toties repetitum à defenſoribus veri Monachatus circumciſi argumentum.

11 His præmiſsis, & adnotatis eiuſdem Angelici Doctoris Doctrina, concluſio verum Monachatum in veteri lege negans, evidenter ſtabilitur; nam Monachatus ille Iudaicus votis, & conſilijs evangelicis obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis in lege veteri ponitur, at ſic conſtitutus ad ſtatum perfectum perveniret in lege, quod omnino eſt negandum; ergo Monachatus verus votis eſſentialibus conſtitutus imperfectioni veteris legis repugnat: Maior totis ſuis viribus defenditur, & propugnatur ad adverſarijs; Minor eſt expreſſa D. Thomæ opuſc. 17. cap. 7. ibi: *Non enim conſilia data fuerunt in veteri teſtamento, ſed in novo, quia nihil ad perfectum adduxit lex, & hoc potet per Gloſſam, quæ quinque panes dicit eſſe præcepta legalia, ſeptem autem panes evangelicam perfectionem.* Ergo ex imperfectione veteris legis negat D. Thomas in ea conſilia, ſine quibus ſtatus verus Religioſus defendi non poteſt.

12 Confirmatur ex eodem D. Thoma 1.2. quæſt. 107. art. 2. in corp. Vbi explicans Angelicus Magiſter, quomodo Chriſtus Dominus legem adimplevit, & poſtquam, per paſsionem ſuam quoad iuſtificationem oſtenderit adimpletam, opere in circumciſsione, & tripliciter ſua doctrina adimpletam per Chriſtum, docet, & ad rem ibi: *Tertiò adimplevit Dominus præcepta legis, ſuperaddendo quædam perfectionis conſilia, vt patet Matthæi 19. Vbi dicenti ſe obſervaſſe præcepta veteris legis, dicit, vnum tibi deeſt, ſi vis perfectius eſſe, vade, & vende quæ habes, &c.* Ergo ſentit D. Thomas, quod conſilia evangelica, verum ſtatum Religioſum conſtituentia, in veteri lege non extiterunt, ſed à Chriſto Domino inſtituta fuerunt, & in nova ſuperaddita, vt vetus adimpleretur.

13 Ex hac D. Thomæ doctrina, alia efformatur ratio contra verum Monachatum circumciſum: Chriſtus Dominus conſilijs paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis legem adimplevit, ſtatum Religioſum in ea inſtituens, ſic D. Thomas; Sed in veteri lege Elias vota inſtituit, eadem conſilia dedit, vt adverſarij docent: Ergo Elias veterem legem quoad ſtatum Religioſum, votis, & conſilijs evangelicis adimplevit, & perfecit; & antequam Chriſtus Dominus in mundum veniret, omnes illi Religioſi circumciſi in ſtatu legis adimpletæ, & perfectæ, quoad illum ſtatum vixère; nihil enim illi ſtatui Iudaico Religioſo deeſſet, ex his, quæ Chriſtus in lege gratiæ inſti-

tuit

tuit ad perfectionem ſtatus Religioſi quoad ſubſtantiam, & eſſentiam pertinentibus.

14 Ex alia veteris legis imperfectione aſſumptum probatur expreſsis Angelici Doctoris verbis, ex 1.2.quæſt.108.art.4.in corp. ibi: *Dicendum quod hæc eſt differentia inter conſilium, & præceptum, quod præceptum importat neceſsitatem, conſilium autem ponitur in opinione eius cui datur, & ideò convenienter in lege nova, quæ eſt libertatis, ſupra præcepta addita ſunt conſilia, non autem in veteri lege, quæ erat lex ſervitutis.* At ſine conſilijs prædictis, de quibus D.Thomas, non poteſt verus ſtatus Religioſus intelligi votis eſſentialibus conſtitutus, ergo in via D. Thomæ, non poteſt defendi verus Monachatus circumciſſus. Diſcurſus Angelici Præceptoris in doctrina D. Pauli fundatur, qui ſæpè veterem legem ſervitutis appellat, per quam populum Iudaicum ſtatui ſervitutis ſubiecit: Erant enim omnes circumciſsi in ſtatu ſervitutis à lege illa Moſaica ligante; ſed ſtatus verus Religioſus conſilijs evangelicis conſtitutus eſt ſtatus legis libertatis; ergo non potuit eſſe in veteri lege, nec vnus, & idem cum illo Iudaico, vt ab adverſarijs ponitur, quia ſub lege ſervitutis eſſet ſtatus perfectæ libertatis, quod implicat.

15 Conſonat doctrina Angelici Magiſtri cum ipſa veteri lege; nam in Deuteronomio, poſtquam Deus legem dedit præceptaque, & omnia moralia, cæremonialiaque, & iudiciaria populo in terra promiſsionis obſervanda propoſuit, ac de ſacrificijs, & de alijs minimis legis obſervantijs, circa omnes ſtatus illius populi ſtatuit, & ordinavit, cap. 10. 15. 30. Vltimum præceptum impoſſuit, ibi: *Quod pracipio tibi hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas.* Vbi libertatem addendi, vel minuendi in lege abſtulit in illo populo, quia erat ſub lege ſervitutis. Vndè novus ſtatus ſupra illam legem, novis regulis, & conſilijs voluntarijs in illa non contentis conſtitutus, videtur prohibitus ex ipſa ſervitute legis, in qua non invenitur facultas addendi, & approbandi vota, & conſilia voluntaria, quæ conſtituunt ſtatum libertatis evangelicæ.

16 Tùm etiam: nam in eodem Deuter. cap. 12. & alibi, locus in quo victimæ, ſacrificia, holocauſta, & vota Deo offerri debebant, deſignatur ibi: *Sed ad locum quem elegerit Dominus Deus veſter de cunctis tribubus veſtris, vt ponat nomen ſuum ibi, & inhabitet in eo, venietis, & offeretis in loco illo holocauſta, & victimas veſtras, & primitias manuum veſtrarum, & vota, atque donaria primogenita boum, & ovium.* Sed de votis Religioſis, neque de

de loco, in quo emittenda eſſent per ſacrificium ſpirituale, quo totus homo Deo immolatur, & offertur, nihil diſponitur in lege: ergo hoc ſacrificium ſpirituale per vota profeſsionis, non fuit cognitum in illo populo per legem, nam aliàs Deus curaret de minimis cæremonijs imperfectorum ſacrificiorum, & perfectius ſacrificium omitteret ſine lege, quod non eſt dicendum. Confirmatur, quia vota illa, licèt ſimplicia eſſent (vt nouiſsimè intendunt Monachatū illum circumciſſum defendentes) per profeſsionem ſenſibilem in Religione aliquo modo approbata, de quo infra, fieri debebant, vt ſtatum verum Reliosum per comparationem ad illam Eccleſiam conſtituerent, & vt illi Monachi Iudæi cogi poſſent ad votorum obſeruantiam, & Regulæ: Sed neque in lege, neque in Prophetis, neque in aliquo libro veteris, vel noui teſtamenti, fit aliqua mentio huius ſtatus Religioſi Iudaici, & profeſsionis; ergo non poteſt defendi, vel nullum datur fundamentum, vt defendatur in illa lege: nam ea, quæ maximi ponderis ſunt, niſi expreſsis verbis explicentur, non cenſentur diſpoſita in lege, vt notum eſt, nec credibile fit, quod perfectior ſtatus illius populi relinqueretur à Spiritu Sancto ſub ſilentio in libris Sacris, & Prophetis.

17 Non minoris roboris efformari poteſt argumentum ex alia differentia inter vtramque legem aſsignata à Diu. Thoma 1. 2. quæſt. 107. artic. 1. in corp. Scilicèt, quod lex noua propinquius ordinat, & facilius ad finem legis conſequendum; vetus autem remotius; vnam eſſe docet nouam, & veterem legem, quia vnus eſt finis earum, ſcilicèt ſubiectio hominum ad Deum, qui vnus eſt in nouo, & veteri teſtamento: diſtinguuntur tamen ſecundum propinquitatem, & diſtantiam ad finem, & in hoc, lex noua diſtinguitur à veteri, ſicut perfectum ab imperfecto, quia lex gratiæ propinquior eſt fini legis: Tùm ſic; ſed per conſilia evangelica votis Deo promiſſa conſtituitur ſtatus Religioſus fini legis propinquior in quo poſſint profitentes melius, & expeditius finem legis acquirere; ergo admiſsis conſilijs evangelicis, & votis in aliqua Religione firmatis in veteri lege, ſtatum conſtituerent fini divinæ legis propinquiorem, qui in ratione ſtatus non diſtingueretur à ſtatu Religioſo novæ legis per diſtantiam, & propinquitatem ad finem conſequendum; Conſequentia eſt certa, nam eiſdem medijs, & conſilijs appropinquarentur Religioſi circumciſi in Synagoga, votis ſcilicèt Religioſis, quibus Religioſi Chriſtia-

ſtiani appropinquantur ad finem divinæ legis conſequendum in Chriſti Eccleſia.

18 Minor in qua eſt difficultas probatur ex D. Thoma 2.2. quæſt. 184. art. 3. in corpore, ibi: *Nam præcepta alia à præceptis charitatis ordinantur ad removendum ea, quæ ſunt charitati contraria, cum quibus charitas eſſe non poteſt. Conſilia autem ordinantur ad removendum impedimenta, quæ tamen charitati non contrariantur.* Et in eodem articulo ad 3. ibi: *Ideò, ex ipſo modo loquendi apparet, quod conſilia ſunt, quædam inſtrumenta perveniendi ad perfectionem; dum dicitur, ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende, &c. & hoc faciendo, ad hunc finem pervenies.* Sed Religioſi circumciſsi in illo ſtatu Religioſo Iudaico haberent in Synagoga eadem conſilia evangelica, ad removendum impedimenta, quæ charitati non contrariantur, eademque inſtrumenta perveniendi ad perfectionem legis, quæ ſunt vota Religioſa in vera Religione emiſſa; ergo eiſdem medijs, & inſtrumentis gauderent in Synagoga Iudæorum, vt finem legis acquirere poſſent Monachi circumciſsi, quibus Monachi Chriſtiani fini divinæ legis appropinquantur per evangelium, & in hoc lex gratiæ, non diſtingueretur à veteri, tamquam perfectum ab imperfecto, vt docet D. Thomas.

19 Quod, ex eodem Angelico Præceptore vrgetur, nam 1. 2. quæſt. 108. art. 4. in corp. de conſilijs ſtatum Religioſum conſtituentibus in lege gratiæ, ait ibi: *Conſilia oportet eſſe de illis, per quæ melius, & expeditius poteſt homo conſequi finem prædictum: Eſt autem homo conſtitutus inter res mundi huius, & ſpiritualia bona, in quibus æterna beatitudo conſiſtit, itaque quanto plus inhæret vni eorum, tanto plus recedit ab altero, & è converſo; qui ergo totaliter inhæret rebus huius mundi, vt in eis finem conſtituat, habens eas quaſi rationes, & regulas ſuorum operum, totaliter excedit à ſpiritualibus bonis, & ideò huiuſmodi inordinatio tollitur per præcepta; ſed quod homo totaliter ea, quæ ſunt mundi, abijciat, non eſt neceſſarium, ad perveniendum in finem prædictum, quia poteſt homo vtens rebus huius mundi, dummodo in eis finem non conſtituat, ad beatitudinem æternam pervenire, ſed expeditius pervenit, totaliter bona huius mundi abdicando, & ideò de hoc dantur conſilia evangelica.* Hæc Div. Thomas. Sed illi Monachi circumciſsi profiterentur in illa lege eadem conſilia evangelica, per vota Religioſa verum ſtatum Religioſum conſtituentia; ergo ex vi ſui ſtatus, totaliter eſſent à rebus huius mundi abdicati, ac ex vi ſtatus facilius, & expeditius poſſent æternam beatitu-

titudinem conſequi, eiſdem conſilijs, & medijs, quibus Monachi evangelici, & in hoc lex noua nihil diſtingueretur à veteri, in qua etiam eſſet ſtatus perfectionis expeditior, aptiorque ad conſequendam vitam æternam, ſicut in lege Chriſti Domini evangelica.

20 Angelicus Magiſter perpetuus fuit, multis in locis in hac doctrina, ſemperque docuit verum ſtatum Monaſticum à Chriſto Domino inſtitutum fuiſſe in ſua Eccleſia; ſed quia modernioris Iudaici Monachatus defenſores, verum ſtatum Religioſum in circumciſione excogitarunt, eiſdem votis, ac conſilijs evangelicis inſtitutum ab Elia, ſine perfectione tamen evangelica, eumdem Angelicum Præceptorem audiamus, in quo conſiſtat perfectio evangelica ſtatus Religioſi, 1. 2. quæſt. 108. artic. 4. in corp. ibi: *In quibus tribus* (votis, ſcilicèt, & conſilijs Religioſis) *fundatur omnis Religio, quæ ſtatum perfectionis profitetur, nam diuitiæ abdicantur per paupertatem, delitiæ carnis per perpetuam caſtitatem, ſuperbia vitæ per obedientiæ ſervitutem: hæc autem ſimpliciter obſervata, pertinent ad conſilia ſimpliciter propoſita.* Ex quibus verbis procedit diſcurſus. Monachatus ille circumciſſus, vt aſſerunt adverſarij, eſſet verus ſtatus Religioſus, veris votis, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ conſtitutus; ſed in his fundatur perfectio evangelica ſtatus Religioſi legis gratiæ, ex Div. Thoma, ergo ſtatus ille Religioſus in Synagoga eſſet ſimpliciter perfectus, eadem perfectione, in qua fundatur ſtatus Religioſus evangelicus; Itaque, implicatorium eſt in doctrina D. Thomæ ponere ſtatum verum Religioſum, veris evangelicis votis conſtitutum, ſine perfectione evangelica, quæ ad illum ſtatum pertinet.

21 Diſcurſus ex doctrina Div. Thomæ deductus, fit luce meridiana clarior, ſi in ſtatu Religioſo diſtinguatur, quod habet ex Chriſti Domini inſtitutione ab his, quæ in eo poſtea ordinauit Eccleſia; nam ea, quæ ſecundum temporum varietatem, Eccleſia addidit, & addere poteſt, ad ſubſtantiam, & eſſentiam ſtatus Religioſi non pertinent, ſunt enim accidentia illius ſtatus, iure poſitivo adinventa, ſine quibus perfectio evangelica in eo integrè conſervaretur, vt ſolemnitas votorum, & alia huiuſmodi ab Eccleſia inſtituta, & introducta. Certum, & de fide eſt, quod Chriſtus Dominus in tribus conſilijs aſsignatis, perfectum inſtituit, imo, & perfectiſsimum ſtatum Religioſum perfectione evangelica, nam vt dixit D. Thom. his conſilijs, veterem perfecit legem, ſua perfectione evan-

evangelica; ſed Monachatus ille Iudaicus, vt ſupponitur ab adverſarijs, erat verus, verisque votis, in eo emittendis, inſtitutus, & cum in ratione ſtatus haberet eamdem perfectionem, ex votis, & conſilijs, quam ex inſtitutione Chriſti habet ſtatus Religioſus evangelicus, ſicut verus erat ex veritate votorum, perfectus etiam eſſet, ex conſilijs perfectione evangelica.

22 Alia mirabili in D. Thomæ doctrina, manifeſtè probatur, & confirmatur repugnantia veri ſtatus Religioſi, eiſdem evangelij conſilijs conſtituti, ſine evangelica perfectione. Opuſc. enim 18. de perfectione vitæ ſpiritualis, cap. 15. Quid requiratur ad ſtatum perfectionis proponit explicandum in titulo, & in corpore ait ibi: *Sic ergo, dum aliquis vovet aliquod particulare opus, puta peregrinationem, & ieiunium, aut aliquod huiuſmodi, non ſimpliciter conditionem, aut ſtatum mutauit; ſed ſecundum quid tantum: Si verò totam vitam ſuam Deo obligauit, vt in operibus perfectionis ei deſerviat, iam ſimpliciter conditionem, vel ſtatum perfectionis aſſumpſit.* Hæc Doctor Angelicus. Sed circumciſi Iudæi in illo vero ſtatu Religioſo totam vitam ſuam obligarent Deo in conſilijs, perfectionis, per vota emiſſa, ergo ſimpliciter conditionem mutarent, & ſtatum perfectionis aſſumerent in lege veteri.

23 Quod confirmatur; nam circumciſi illi Monachi, vel mutabant ſtatum per profeſsionem, & vota, vel in eodem ſtatu legis imperfectæ permanebant cum populo: Si in eodem ſtatu imperfecto legis veteris perſeverabant, non poteſt dici verus ſtatus Religioſus, ſed ſymbolicus, & figurativus, quia omnis ſtatus illius populi figuralis erat, vt ait D. Thomas ex Auguſtino 1. 2. quæſt. 104. art. 2. in corp. ibi: *Omnis ſtatus illius populi, qui per huiuſmodi præcepta diſponebatur, figuralis erat, ſecundum illud Apoſtoli ad ad Corinthios* 1. *Omnia in figura contingebant illis.* Ergo ex D. Thoma nullus fuit ſtatus verus in veteri lege, veritate evangelica. Si mutabant ſtatum, per conſilia, & vota, in profeſsione, aſſumerent ſtatum perfectionis, ſecundum conſilia, quæ profitebantur in illa Religione, & diſtingueretur ille ſtatus Religioſus, à lege, ſicut perfectum ab imperfecto, eo modo, quo lex gratiæ diſtinguitur à veteri; vel tenentur aſsignare in illo populo aliquem ſtatum publicum quoad Eccleſiam, medium inter legem novam, & veterem, hucuſque Eccleſiæ, & Patribus ignotum, & neque in novo, neque in veteri teſtamento inventum.

24 In via D. Thomæ perſiſtendo, alia ratione, ex Angelicis verbis deducta, prædictus Monachatus circumciſſus impugnatur

In eodem opuſc. 18. cap. 6. Agit de perfectione, quæ cadit ſub conſilio, & ait: Quod perfectio conſiſtit in eo, quod poſsimus æmulari perfectionem comprehenſorum per conſilia, & vota Religioſa, ibi: *Et cum Apoſtolus dixiſſet, non quod, iam comprehenderim, aut perfectus ſim; ſubdit tertio, ſequor autem, ſi quomodo comprehendam, & poſtmodum ſubdit quarto, quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus: ex quibus verbis manifeſtè accipit, quod etſi comprehenſorum perfectio, non ſit nobis poſsibilis in hac vita, æmulari tamen debemus, vt in ſimilitudinem perfectionis illius, quantum poſsibile eſt, nos trahamus, & in hoc perfectio huius vitæ conſiſtit, ad quam per conſilia invitamur.* Per prædicta conſilia, vota Religioſa explicat Angelicus Præceptor, ibidem cap. 7. 8. 9. 10. expreſsius cap. 11. ibi: *Omnia igitur conſilia, quibus ad perfectionem invitamur, ad hoc pertinent, vt animus hominis, ab effectu rerum temporalium avertatur, & ſic liberius mens tendat in Deum, contemplando, amando, & eius voluntatem adimplendo.* Sed in veteri lege eſſent verus ſtatus Religioſus, vera vota cum conſilijs eiſdem evangelicis, per profeſsionem adimplenda; ergo etiam eſſet in illo populo Iudaico, ſtatus publicus in Synagoga, in quo, ex vi ſtatus, & profeſsionis deberent profitentes in eo æmulari perfectionem comprehenſorum, ſua vota adimplendo, in quo conſiſtit ſumma perfectio evangelica, eſſetque ſtatus ab Elia inſtitutus, vndequaque perfectus in veteri lege.

25 Aliud efficax argumentum formatur, ex traditis ab eodem Angelico Magiſtro 1. 2. quæſt. 108. art. 1. In quo diſputat, an lex nova ſufficienter exteriores actus ordinauerit, & affirmatiuè reſpondet; cum verò ſibi ipſi, in tertio argumento obieciſſet, quod Chriſtus Dominus aliquas obſervantias dedit Miniſtris Dei, ſeu Apoſtolis, poſt ſolutionem ex Auguſtino, aliam ex aliorum SS. PP. doctrina proponit ſub his verbis, ad 3. ibi: *Alio modo poſſunt intelligi ſecundum aliorum Sanctorum expoſitionem, vt ſint quædam ſtatuta temporalia, Apoſtolis data, pro illo tempore, quo mittebantur ad prædicandum in Iudæam, ante Chriſti paſsionem; indigebant enim diſcipuli, quaſi adhuc parvuli, ſub cura Chriſti exiſtentes, accipere aliqua ſpecialia inſtituta à Chriſto, ſicut quilibet ſubditi, à ſuis Prælatis, præcipuè, quia erant paulatim exercitandi, vt temporalium ſolicitudinem abdicarent, per quod redebantur idonei ad hoc, vt evangelium per vniverſum orbem prædicarent: nec eſt mirum, ſi adhuc durante ſtatu legis, & necdum perfectam libertatem ſpiritus conſequutis quoſdam determinatos modos inſtituit, quæ quidem ſtatuta, imminente paſsione, remouit, tanquam diſcipulis iam per eam ſufficienter exercitatis.*

Mul-

26 Multa reflexione digna continentur in prædictis Angelici Magiſtri verbis, nam in primis, Apoſtoli ſub cura Chriſti vocati, & electi, adhuc erant ante mortem eius in ſtatu parvulorum illius legis, & nondum perfectam libertatem ſpiritus conſequuti fuerant, ideòque imperfectos dicit Chryſoſtomus homil. 66. in Matthæum, recepta, & approbata ab Eccleſia in feſto S. Iacobi maioris; ergo ante Chriſti Domini paſsionem, nondum erant Apoſtoli ſub verò ſtatu evangelico; ergo potiori iure illi circumciſsi Monachi inſtitutum Elianum tenentes, non poſſunt dici in ſtatu verò Religioſo exiſtentes, ante Chriſti adventum: non enim negaret Deus ex gratia Chriſti præſentis Apoſtolis ſub filij ſui cura, quod Elianis Monachis circumciſsis, ex gratia Chriſti futuri, antea conceſſerat.

27 Notatu etiam dignum eſt in prædictis verbis; quod Chriſtus Dominus pro illo ſtatu Apoſtolorum, ſub eius cura, ante mortem, & crucem ſuam degentium, ſpecialia quædam ſtatuta dedit, vt in abdicatione rerum temporalium, paulatim exercitarentur; ergo non erat inſtitutus ab Elia ſtatus verus Religioſus cum votis, qui in totali conſiſtit rerum temporalium abdicatione. Vt quid Chriſtus Dominus tēporalia ſtatuta daret diſcipulis, paulatim in abdicatione rerum temporalium exercitandis, quæ iam antea Elias perpetua ſtatuerat pro illo, & Eccleſiæ tempore, in quibus Monachi circumciſsi exercitati fuerant per multa ſæcula.

28 Luculenter etiam notat D. Thomas, quod ſtatuta illa, imminente paſsione, removit Chriſtus Dominus, tanquam diſcipulis ſufficienter exercitatis per ea, illis remotis, conſilia dedit, quibus diſcipuli inſtruendi erant in lege gratiæ, non pro illo tempore, ſed pro tota duratione Eccleſiæ: removit igitur Chriſtus Dominus, morte ſua imminente, ſtatum illum Apoſtolorum, ſub cura ipſius illis ſpecialibus inſtitutis conſtitutum, pro illo tempore; quia ille non erat verus ſtatus, pro rerum abdicatione poſtea à Chriſto Domino inſtituendus, pro lege gratiæ, & libertatis; ergo ſtatus Religioſus ab Elia inſtitutus, ſi extitiſſet, non fuit verus in Synagoga, ſed vmbraticus, & figurativus, & imminente paſsione Chriſti, velut vmbra evanuit; nam aliàs ſtatuta Eliæ, in fide Chriſti futuri fundata ſub lege veteri, perpetuò permanerent, & Chriſti Domini ſtatuta, ſub eius cura diſcipulis exiſtentibus ſub eadem lege in fide Chriſti præſentis data, eius morte removerentur. Quis enim dicere audebit, quod firmiora eſſent ſtatuta Eliæ, pro abdicatione rerum temporalium ſub lege veteri, quam Chriſti

Do-

Domini, diſcipulis data, in tempore vtriuſque legis? Vndè certum eſt, ex verbis D. Thomæ, quod Elias nullum fundauit ſtatum verùm Religioſum in veteri lege, ſed inſtitutum fuiſſe per Chriſtum Dominum, & orbi Chriſtiano annuntiatum per ſuum Sacroſanctum Evangelium.

29 Vlterius probatur noſtra concluſio ex relatis à D. Thoma, locis ſupra citatis; nam ea, quæ ad facilius, & melius inſtituta ſunt ad aliquem finem acquirendum, inutiliter dantur ei, qui ſimpliciter, non poteſt illum finem conſequi; ſed ſtatus populi Iudaici, ex lege illum conſtituente, ſimpliciter non poterat conſequi finem divinæ legis; ergo inutiliter ponerentur in ea vota Religioſa, & conſilia, quæ ad facilius acquirendum finem legis dantur. Maior per ſe conſtat, minor probatur ex doctrina Catholica, communiter recepta à SS. PP. & Doctoribus Eccleſiaſticis, quod lex illa vetus præcipere poterat, & imperare, iuvare autem non poterat, vt præcepta adimplerentur, nec vires dabat, nec auxilia conferebat ex ſe, vt finis divinæ legis, & præceptorum acquiri poſſet in ſtatu illius populi, eratque inanis, & vacua, vt ſæpè docet D. Paulus. Confirmatur, quia vota, & conſilia Religioſa, ſunt inſtrumenta acquirendi perfectionem, vt ſupra diximus ex D. Thoma, & receptum eſt in Dei Eccleſia, ſed inconvenienter dantur inſtrumenta ei, qui ſimpliciter non poteſt efficere opera, ad quæ ordinantur inſtrumenta, quoaduſque virtutem habeat ad illa efficienda, ergo inordinate ponuntur vota, & conſilia Religioſa in populo Iudaico, qui ex ſua inſtitutione, ſtatu, & lege perfectionem divinæ legis acquirere non poterat.

30 Secundò confirmatur ex eodem D. Thoma 1. 2. q. 106. art. 2. in corp. Vbi docèt, quod ad legem gratiæ duo pertinent, vnum primarium, alterumque ſecundarium, primarium eſt gratia ſpiritus, interius data, in quo eſſentialis, & primaria legis novæ perfectio conſiſtit; ſecundariò pertinent ad legem novam præcepta ordinantia actus humanos, & quælibet ſcriptura extra homines exiſtens, etiam moralium præceptorum, qualia continentur in evangelio, & quantum ad hoc, lex nova non iuſtificat, nec homines perfectos faceret, quia vt ait ibi D. Thomas ex Auguſtino, niſi adeſſet interius gratia Spiritus Sancti, etiam littera evangelij occideret. Secundum hanc D. Thomæ doctrinam, Chriſtus Dominus legem adimplevit primariò, tribuens ei gratiam per paſsionem ſuam, & Sancti Spiritus adventum, vt ex ſe homines iuſtificare poſsit; Secundariò, ſua ſcilicèt doctrina, per documenta

fidei,

fidei, & præcepta ordinantia actus humanos, verum intellectum ſpiritualem legis, & ſcripturarum exprimens, vt ſimpliciter poſſent homines per gratiam Spiritus Sancti, interius datam ex lege Chriſti, finem legis acquirere, & iuſtificari ex ipſa lege, addidit etiam cõſilia perfectionis euangelica, vt finis legis facilius, & expeditius conſequi poſſet, vt ſupra diximus ex eodem D.Th.ibid.q.107.art.2. in corp.

31 Hac D. Thomæ doctrina ſuppoſita, quæ à nullo negari poteſt, certum eſt etiam primariam adimpletionem, vel perfectionem legis, in nullo ſtatu publico, ab aliqua lege conſtituto in populo Iudaico datam fuiſſe per Spiritus Sancti gratiam, interius ex illa lege receptam. Ex quibus formatur diſcurſus: Inordinatè ponitur in veteri lege ſecundaria illius adimpletio, ante primariam adimpletionem, & perfectionem illius; ſed conceſſo vero ſtatu Religioſo in lege, ante primariam adimpletionem, & perfectionem illius legis, poneretur ſecundaria adimpletio legis; ergo non poteſt concedi verus ſtatus Religioſus in illa lege: minor per ſe conſtat, quia ſecundarium ſupponit primarium, & dependet ab illo: Minor eſt euidens, quia primaria adimpletio legis, quæ in gratia ſpiritus interius recepta conſiſtit, nulli ſtatui illius populi fuit conceſſa, nec ante Chriſti Domini paſsionem, & mortem eſt concedenda in ſtatu: Quod autem conſilia euangelica ad ſecundariam adimpletionem legis pertineant, nulli dubium eſt, vt ex toties repetitis principijs ex D. Thom. traditis, manet probatum: at ſi talia vota Religioſa darentur in illa lege, ſine ſpiritus interius gratia recepta, vacua, inaniaque eſſent vota, ſicut ipſa lex, nullumque ſtatum conſtituere poſſent verum, ſed vmbraticum, figuratiuum, ac ſymbolicum, ſicut erat omnis ſtatus illius populi, ſub illa lege vacua, & imperfecta.

32 Denique ex eadem doctrina D.Th. dictum probatur; quia conceſsis, & reuelatis votis Religioſis, & conſilijs euangelicis Monachis circumciſsis, eſſet apertus populo Iudaico ſenſus ſpiritualis ſcripturarum, & reuelata ſpiritualis intelligentia legis; ſed hoc non poteſt dici pro cõmuni ſtatu illius populi; ergo neque vota, & conſilia euangelica ſunt concedenda in lege: Maior eſt certa; nam in votis, & conſilijs euangelicis conſiſtit perfectio vitæ ſpiritualis, quæ figurabatur in lege, continentur etiam in eis ſpirituales promiſsiones, æternæque vitæ præmia; ergo reuelatis votis, & conſilijs euangelicis, ſpiritualis intelligentia ſcripturarum, & legis, præmiaq; æterna populo Iudaico reuelata eſſent, & aperta. Min. prob. ex D. Th. vbi ſup. 1.2.q.106.art.2. in corp. vbi docet, quod Chriſtus Dñs perfecit etiam legem, ſenſum ſpiritualem ſua doctrina aperiendo, &

probatur ex Lucæ cap. 24. vbi diſcipulis dubitantibus de Reſurre-ctione, & expectantibus redemptionem Regni Iſrael, ſpiritualem ſenſum ſcripturarum, & legis ad aperuit, ibi: *Et incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus, quæ de ipſo erant.* Eſt etiam in Sanctis Patribus manifeſtum, quod vſque ad Chriſtum Dominum, & Spiritus Sancti adventum, ſpiritualis ſcripturarum ſenſus, populis non fuit revelatus, neque apertus, vnde neque intelligentia ſpiritualis vitæ in aliquo ſtatu populi Iudaici ex lege aliqua poteſt concedi. Adverſariorum fundamenta, quibus conantur probare verum ſtatum Religioſum non repugnare cum imperfectione veteris legis, proponuntur, & diluuntur infra 2. part. diſcurſ. 5. §. 6. & 7. & 8.

§. III.

Verus ſtatus Religioſus quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicus, non potuit inſtitui, nec fundari in veteri lege, in qua non fuerunt revelata præmia æterna, & Regnum Cælorum.

33 CErtum eſt, quod in illo populo circumciſſo, aliqua Deo vota offerebant fideles ſecundum illam legem, in qua terrena tantum præmia erant Iudæis promiſſa; quia vetus teſtamentum, cœleſtia quæ continebat, in figuris velabat, & populus ſolum à Deo ſperabat terrena, ideoque omnis ſtatus illius populi, fuit vmbraticus, & figurativus: Poſt Chriſti Domini adventum, revelata fuerunt præmia cæleſtia in novo teſtamento Eccleſiæ, & Regnum Cęlorum incepit prædicari fidelibus vocatis ex gentibus, ideoque nullus ſtatus poteſt dici evangelicus, niſi lege aliqua, vel voto conſtituatur propter præmia cęleſtia promiſſa in evangelio: Quapropter in hoc, §. diſputatur, an Regnum Cęlorum revelatum fuerit Iudæis, vt in Religione Eliana emitterent vota Religioſa propter Regnum Cęlorum, vt conſtituerent in illa lege verum ſtatum Religioſum, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicum? quia ſine hoc fine, & præmio cęleſti, eſſet figurativus, & vmbraticus, ſicut alij ſtatus illius legis.

34 Nullus Catholicus dubitare poteſt, verum ſtatum Religioſum conſtitui per vota emiſſa propter Regnum Cęlorum, & præmia æterna divinitus promiſſa; nam propter alium aliquem finem emiſſa, verum ſtatum Religioſum non conſtituerent ex defectu finis, vt patet Matth. 19. ibi: *Sunt eunuchi, qui ſe caſtraverunt propter Regnum*

num Cælorum. Sunt, & alij quamplurimi textus in Sacroſancto Ieſu Chriſti Evangelio, hanc veritatem infallibiliter atteſtantes. Vnde, omnis ſtatus illius populi, figurativus erat, & vmbraticus, quia propter præmia temporalia, & terrena in lege promiſſa, præcepta eiuſdem legis obſervabat, & cuſtodiebat, vt conſtat ex Iſaia cap. 1. ibi: *Si volueritis, & audieritis me, bona terrena comedetis.* Et ibi S. P. N. Hieronymus, ibi: *Certè, quia Iudæis loquebatur, qui nec dum poterant capere ſpiritualia, pollicetur eis bona præſentis ſæculi, vt ſaltem præſentibus invitati, faciant quæ præcepta ſunt.* Conſtans eſt SS. PP. conſenſus, & Eccleſiaſticum dogma, vt infra videbimus. Hac ſuppoſita doctrina, contra Monachatum circumciſſum proceditur legitimo diſcurſu. Vt vota, & conſilia conſtituant verum ſtatum Religioſum, & vera ſint in veritate legis gratiæ, debent emitti propter Regnum Cęlorum, & præmia æterna; ſed in veteri lege, non fuit revelatum Regnum Cęlorum populo ex ipſa lege, neque ex inſtitutione alicuius ſtatus fuerunt promiſſa præmia æterna in eo: ergo non extiterunt vera vota, & conſilia in aliqua Religione emiſſa verum ſtatum Religioſum conſtituentia. Maior ſupponitur vt certa; Minor eſt communis SS. PP. doctrina contra Pelagium, & Fauſtum aſſerentes in veteri teſtamento revelatum fuiſſe Regnum Cęlorum, & præmia æterna promiſſa Iudæis ſub illa lege: attamen probatur D. Thomæ teſtimonio ex 1. 2. q. 99. art. 6. in corp. ibi: *Imperfectorum autem eſt, quod temporalia bona deſiderent in ordine tamen ad Deum: perverſorum autem eſt, quod in temporalibus bonis finem conſtituant; vnde legi veteri conveniebat, vt per temporalia bona, quæ erant in affectu hominum imperfectorum manuduceret homines ad Deum.* Idem docet lib. 1. de regimine Principum, cap. 14. ibi: *Quia in veteri lege promittebantur regna terrena, non à dæmonibus, ſed à Deo vero Religioſo populo exhibenda; indè eſt in lege veteri Sacerdotes Regibus eſſe ſubiectos.* In epiſt. D. Pauli ad Hebræos cap. 10. lect. 1. hoc primum diſcrimen, inter veterem, & novam legem conſtituit, ibi: *Primò, quia in verbis novi teſtamenti fit expreſſa mentio de bonis futuris, & promiſſio, non autem in veteri, ſed tantum de carnalibus.* Ex quibus conſtat promiſſiones factas populo Iudaico ſecundum doctrinam D. Thomæ temporales fuiſſe, & terrenas.

35 Sed ne viam effugio relinquamus, ad Patres, & Doctores accedamus promiſſiones æternas notas fuiſſe, & Regnum æternum revelatũ Iudæis expreſsè negantes. In primis Sanctus Ioannes Chryſoſtomus inauditum docet Regnum Cęlorum Iudæis, vſque ad Nicodemum Homil. 23. in Ioann. cap. 3. ad illa verba: *Niſi quis renatus*

fuerit,&c. ibi: *Duo ei dubitationem faciebant, & generatio talis, & Regnum; neque enim Regni nomen auditum erat Iudæis vnquam, neque huiuſmodi generatio.* Et tom. 5. orat. 8. de petitione filiorum Zebedæi, ibi: *Quod ſi iſta neſciebant, multo magis alia ignorabant, cuiuſmodi eſt de Cœleſti Regno.* Et poſtea interpretatur, quod per Regnum à Chriſto Domino propoſitum Hieroſolymitanum intellexerunt Apoſtoli repromiſſum. Fauſtus, & Pelagius ſceleratiſsimi hæretici inter alios ſuæ pravitatis errores, Regnum Cœlorum, & præmia æterna promiſſa, & revelata Iudæis docuerunt in veteri teſtamento. Contra quos inſurrexerunt duo illa luminaria magna Eccleſiæ SS. PP. N. Hieronymus, & Auguſtinus hunc errorem damnantes, & impugnantes: Hieronymus contra Pelagianos lib. 1. ibi: *Addis præterea Regnum Cœlorum etiam in teſtamento veteri repromitti, poniſque teſtimonia de Apocryfis; cum perſpicuum ſit Regnum Cœlorum primum in evangelio prædicari per Ioannem Baptiſtam, & Dominum Salvatorem, & Apoſtolos.* D. Auguſt. epiſt. 95. eumdem errorem detulit ad Innocentium Papam, ibi: *Iam dictum fuerat diliges proximum tuum ſicut te ipſum, in quo ſermone Apoſtolus omnem legem dicit impleri, & quoniam niſi diligat Deum, nemo diligat ſeipſum; ideo Dominus in his duobus præceptis totam legem, Prophetaſque dicit pendere; quæ duo præcepta iam erant omnibus divinitus data; at æternum præmium iuſtitiæ promiſſum nondum erat. Hoc ipſe* (Pelagius ſcilicèt) *non dicit qui in ſuis litteris poſuit, etiam in veteri teſtamento Regnum Cœlorum eſſe promiſſum? Si ergo ad faciendam, perficiendamque iuſtitiam, iam erat naturæ poſsibilitas per liberum arbitrium, iam erat legis Dei ſanctum, & iuſtum, bonumque mandatum, iam erat promiſſum præmium æternum: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.* Hæc D. Auguſtinus. Hanc ſententiam ſemper docuit idem S. P. Auguſtinus multis in locis, præcipuè libro de ſpiritu, & littera, & de Regno ſpirituali Salvatoris, quo nos liberavit à Regno mortis. Libro 1. de baptiſmo parvulorum, ſeu de merito, & remiſſione, cap. 11. ibi: *Hoc namque occultabatur in veteri teſtamento pro temporum diſpenſatione iuſtiſsima; quod nunc revelatur in novo.*

36 Ex quibus conficitur argumentum contra verum Monachatum circumciſum: ſtatus Religioſus inſtitutus in populo Iudaico ſupponit præcepta data ad faciendam iuſtitiam; conſilia, vel vota Religioſa, quibus conſtituitur ad illam perficiendam; præmia æterna promiſſa, & revelata, vt vota propter illa profitentes emitterent; poſsibilitatem etiam ex gratia Chriſti futuri, vt profitentes poſſent præcepta, & vota adimplere, & præmia æterna conſequi; ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, vt infert

D. Au-

D. Auguſtinus contra Pelagium. Quod patet: nam præcepta ad faciendam iuſtitiam data fuerunt populo in ipſa lege; vota, & conſilia ad conſequendam perfectionem ipſius legis data eſſent per. Etiam in vera inſtitutione ſtatus Religioſi, præmia æterna reuelata eſſent, vt propter illa, vota ſua emitterent profiteri volentes: ergo etiam ex inſtitutione ſtatus Religioſi promiſſa eſſet gratia profitentibus ex illius ſtatus Religioſi inſtitutione: non enim promitteret Deus præmium æternum alicui ſtatui cui ex ſua inſtitutione non daret media, & poſsibilitatem ad illud conſequendum, aliàs vana eſſet repromiſsio præmij.

37 Nec prædictus ſtatus Religioſus verus poteſt in veteri lege, votis, & conſilijs excogitari, quin eius inſtitutio eſſet contraria inſtitutioni illius legis pro illo populo; nam vetus teſtamentum ex ſua inſtitutione, Regnum Cœlorum, quod præfigurabat, vmbris terrenarum promiſsionum operuit; at ſtatus Religioſus votis ſuis, temporalia deſpiciens, & terrena relinquere præcipiens propter æterna, vmbram tolleret, & figurata populo Iudaico manifeſtaret: ergo inſtitutio ſtatus Religioſi contraria eſſet inſtitutioni legis, ſiquidem illa populo palam faciebat præmia æterna, quæ lex operiebat. Maior in qua eſt difficultas, probatur ex Div. Auguſtino contra Fauſtum ſubtiliter arguente, lib. 22. cap. 75. ibi: *Vndè, & vetus teſtamentum ſecretum Regni Cœlorum tempore opportuno aperiendum, promiſsionibus terrenis operuit, & quodammodo vmbroſum occupauit; vbi autem venit plenitudo temporis, vt nouum teſtamentum reuelaretur, quod figuris veteris velabatur, euidenti teſtificatione, iam demonſtrandum erat, eſſe aliam vitam, pro qua debet hæc vita contemni, & alium Regnum, pro quo oportet omnium terrenorum adverſitatem ſapientiſsimè ſuſtineri.* Ex dictis conſtat ex Auguſtino, teſtamentum vetus operuiſſe populo Iudaico ſecretum Regni Cœlorum promiſsionibus terrenis: at ſtatus Religioſus verus præciperet terrena deſpicere propter præmia æterna, & Regnum Cœlorum: ergo ſtatus Religioſus manifeſtaret populo Iudaico, quod vetus teſtamentum operiebat, eſſetque inſtitutio ſtatus Religioſi contraria intentioni veteris teſtamenti.

38 Sed dices ex eodem D. Auguſtino; quod viris illis iuſtis Patriarchis, & Prophetis reuelata fuerunt præmia æterna in veteri lege; itaque rebus terrenis non fuerunt dediti: ergo in veteri teſtamento reuelatum fuit Regnum Cœlorum, & propter illud potuerunt iuſti illius legis vota Religioſa emittere in ſua profeſsione. Antecedens probatur ex Div. Auguſtino lib. 4. contra Fauſtum

 cap.

cap. 1. vbi ait: *Non itaque ſpes noſtra in temporalium rerum promiſsione defixa eſt, quando quidem, nec ipſos illius temporis Sanctos, & ſpirituales Viros, Patriarchas, & Prophetas his terrenis rebus fuiſſe deditos credimus: intelligebant enim, revelante ſibi ſpiritu Dei, quid tempori illi congrueret, & quibus modis Deus, per illas res geſtas, & dictas futura præfiguranda, & prænuntianda decerneret, magiſque deſiderium eorum de novo teſtamento erat; ſed præſens functio corporalis ad figuranda nova ventura pollicitationibus veteribus præbebatur; itaque illorum hominum, non tantum lingua; ſed & vita Prophetica fuit: Carnalis autem populus promiſsis vitæ præſentis inhærebat.* Ex dictis, à D. Auguſtino manifeſtum eſt, quod vita ſpiritualis, præmiumque æternum manifeſta fuere iuſtis Patriarchis, & Prophetis veteris teſtamenti; vndè vota emittere potuerunt propter præmia æterna, & Regnum Cœlorum ad vitam ſpiritualem evangelicam amplectendam.

39 Veriſsima certè eſt doctrina D. Auguſtini; ſed de facto Monachatum verum circumciſſum in veteri lege non probat, nec diſcurſum noſtrum Auguſtini verbis infirmatur, ſed potius roboratur, & confirmatur; nam nos non negamus in veteri teſtamento fuiſſe aliquos Viros ſpirituales, quibus Deus Myſteria aliqua novi teſtamenti, aliamque vitam ſpiritualem revelauerit; ſed tanquam ſervis, & ſub lege ſervitutis degentibus non omnia, quæ ad legis gratiæ pertinent, & amicorum propria ſunt, iuſtis illis manifeſta fuerunt in veteri teſtamento, vt docet Sotus in 4. diſtinct. 2. quæſt. 1. art. 4. Qui inter alias differentias inter Sanctos veteris, & novi teſtamenti, hanc aſsignat; ibi: *Quin vero in hoc etiam habebantur vt ſervi, quia ſecreta diuina non illis communicabantur, vt in lege nova: quare Chriſtus ad eorum differentiam ait evangelij cultoribus, Ioann. 15. Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos, quia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Hanc etiam differentiam docuit Divus Auguſtinus inter duo teſtamenta, lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſsione, cap. 27. propè finem, ibi: *Nomina eorum erant prius filij carnis, filij ſæculi, filij iræ, filij diaboli, immundi, peccatores, impij: poſtea vero filij Dei, homini novo, nomen novum canticum novum, cantanti novum, per teſtamentum novum.* Sed vota Religioſa propter Deum emiſſa, ſunt propria ſtatus amicorum, & filiorum, vt ex ſe patet: ergo licèt Deus revelaverit iuſtis illis veteris teſtamenti promiſsiones æternas ſub lege ſervitutis, vota Religioſa non oſtendit, quæ ſunt propria amicorum, & filiorum ſub lege libertatis, & gratiæ.

40 Cæterum iuſti illi Patriarchæ, & Prophetæ, licèt terrenis rebus dediti non erant, vt ait Auguſtinus, terrena poſſederunt, vt conſtat ex Sacra Scriptura, finem in eis non conſtituentes, quod imperfectorum eſt, vt ait D. Thomas ſupra citatus 1. 2. quæſt. 92. art. 6. in corp. Totalem ergo abdicationem rerum temporalium non legimus eis reuelatam, in qua verus ſtatus Religioſus conſiſtit, imo potius ex Auguſtino colligitur, temporalibus pollicitationibus, & terrenis poſſeſſionibus præditi, ad ventura noua figurata manuduci; vndè vita eorum, vt ait Auguſtinus, prophetica fuit; quia ipſis rebus temporalibus, quibus vtebantur, futura, quæ ſperabant præfigurabantur: Vndè ſtatum Religioſum verum, licèt perfecti eſſent, conſtituere non poterant.

41 Tùm etiam: quia adhuc reuelatis promiſsionibus æternis per internam reuelationem eis factam, quam non negamus, non indè infertur verus ſtatus Religioſus in veteri lege; quia ad verum ſtatum Religioſum conſtituendum, reuelatio debebat eſſe per aliquam legem publicam, & notam omnibus profiteri volentibus, tàm viris, quàm fęminis, & illo ſtatu inſtituto in populo Iudaico cum votis propter Regnum Cœlorum emittendis, Regnum Cœlorum ex vi huius ſtatus reuelatum fuiſſet in veteri teſtamento, quod Hieronymus, & Auguſtinus contra Fauſtum, & Pelagium acriter impugnant: at, quod ex inſtitutione illius ſtatus Religioſi, nota eſſet reuelatio, & omnibus palam fieret Regni Cœleſtis repromiſsio, manifeſtum eſt, quia Monaſterijs extructis in locis publicis inſtitutum notum eſſet omnibus, & populus ſciret, quod in illa Religione bona terrena promiſſa in lege contemnebantur propter æterna, & omnibus notum, & apertum eſſet, quod vota emittebantur in Monaſterijs Eliæ, propter Regnum Cœlorum, quod SS. PP. negant in veteri teſtamento, & ad rem D. Auguſtinus in Pſalm. 72. ibi: *Ergo Synagoga illa animaduertit, quæ acceperit à Deo, & quæ promiſſerit Deus populo illi, abundantiam rerum terrenarum, Patriam, pacem, fœlicitatem terrenam; ſed in his omnibus figura erat, & non intelligens, quid ſibi lateret in rebus figuratis, putauit hoc pro magno dare Deum, nec habere melius, quid dare poſſet diligentibus ſe, & ſeruientibus ſibi.* Ex quibus formatur ſylogiſmus. Synagoga, ex D. Auguſtino, animaduertit, quod promiſſerat illi populo Deus abundantiam rerum terrenarum, Patriam, pacem, & fęlicitatem terrenam, & non intelligebat, latere in illis figuris aliud præmium, diligentibus Deum, & ei ſeruientibus retribuendum; Sed poſito, & inſtituto ſtatu vero Religioſo in Synagoga cum vo-

tis propter Regnum Cœlorum emittendis, ſciret Synagoga eſſe aliud præmium æternum, diligentibus Deum, & ei ſervientibus in illo ſtatu Religioſo Eliano; Ergo talis ſtatus non eſt admittendus, vt doctrina D. Auguſtini ſubſiſtere poſsit. Confirmatur; nam ſecundum D. Auguſtinum, promiſſa populo Iudaico fuerunt abundantia rerum terrenarum, patria, pax, fęlicitasque terrena: hæc populus ſperabant, & Synagoga, vt promiſſa à Deo; ſed veris Religioſis votis admiſsis in vero ſtatu Religioſo hæc omnia ſubſiſtere non poterant: nam per votum paupertatis abdicaretur abundantia terrenarum, per votum obedientiæ patria renuntiaretur, & per votum caſtitatis fęlicitas filiorum contemneretur: ergo Synagoga intelligeret alias eſſe divinas promiſsiones, haberetque in ſtatu Religioſo promiſsiones divinas, & præmia, quæ non intelligeret ex lege, vndè ille ſtatus eſſet oppoſitus promiſsis illi populo in ſua lege.

42 Sed quibus fuerit revelatum novum teſtamentum in veteri dixerat D. Auguſtinus vbi ſupra in Pſalm. 72. ibi: *Ipſum novum teſtamentum, quod in Chriſto eſt, prioribus illis temporibus occultum erat, ſolis Prophetis cognitum, & pauciſsimis pijs, non ex manifeſtatione præſentium, ſed ex revelatione futurorum.* Et ibidem paulo infra ibi: *Hic autem populus melior erat gentibus, quod quamvis præſentia bona, & temporalia, tamen ab vno Deo quærebant, qui eſt creator omnium, & ſpiritualium, & temporalium: Cum ergo illi pij ſecundum carnem attenderent, ideſt Synagoga, quæ erat in bonis pro temporalibus bonis, non ſpiritualibus, quales erant ibi Prophetæ, quales pauci intellectores Regni Cœleſtis.* In his authoritatibus Div. Auguſtini notari oportet, paucos, imo, & pauciſsimos fuiſſe, pios Viros, qui in veteri teſtamento Regnum Cęlorum intellexerunt, & ex eis divites, & vxorati, vt patet in Patriarchis, & Prophetis, qui quidem conſtituere verum ſtatum Religioſum non potuerunt: vndè ergo exiſtere potuerunt tot millia Monachorum circumciſſorum, vt adverſarij contendunt probare, in veteri teſtamento?

43 Deindè ex Auguſtino pauciſsimi fuerunt intellectores Regni Cęleſtis, & hi iuſti, & pij; ſed inſtituto vero ſtatu Religioſo in illa lege, eſſent quamplurimi Regni Cęleſtis intellectores, viri ac fęminæ, Sacerdotes, Pontifices, & Levitæ, & omnes prædictum ſtatum agnoſcentes: ergo notum eſſet in omni populo Iudaico Regnum Cęlorum, & præmium æternum, non ſolum iuſtis, ſed iniuſtis profiteri volentibus, lapſis etiam poſt profeſsionem revelatum eſſet præmium æternum, quod doctrinæ SS. PP. repugnat, & ęrrori Fauſti, & Pelagij favere videtur.

Deni-

44 Denique ex dictis tantum probare poſſunt adverſarij ex D. Auguſtino: quod aliquibus paucis, & particularibus perſonis ex illo populo fuerint revelata, ſpiritualia, & cęleſtia interna revelatione in actu, animæ ſecundum ſtatum fidei illius legis nudè, vel in figura in aliqua generalitate, vt ſupra oſtenditur ex D. Thom. §. ſeq. Non vero in ſtatu, quia ad ſtatum, requiritur lex proponens, vel cōſulens revelata omnibus amplectentibus ſtatum, cui promittuntur coeleſtia: & hoc intendebat Pelagius, quod in veteri lege fuit omnibus revelatum in ſtatu Regnum Coelorum ex lege: Hoc dogma tenentur defendere Monachatus veri circumciſi defenſores, ex inſtitutione ſtatus cum votis propter Regnum Cęlorum, vt patet; quia ille ſtatus verus Religioſus ſubſtantialiter evangelicus cum votis propter Regnum Cęlorum (vt aſſerunt) erat publicus in illa lege, & Synagoga, & à Pontificibus illis approbatus tacitè, vel expreſsè, & Iudęis propoſitus, vt perfectior ſtatu communi illius legis, ergo non ſolum iuſtis paucis, vt ait Auguſtinus. Sed omnibus Iudæis fuit revelatum in ſtatu Regnum Cęlorum in Synagoga: & conſilia evangelica eſſent revelata, & propoſita Iudæis in Synagoga ab Elia: ſicut nunc proponuntur Chriſtianis in evangelio per Chriſtum Dominum noſtrum: vndè reflectendum eſt; quod licèt Pelagius legem veterem perfectam dixerit, & in ea revelatum Regnum Cęlorum, nunquam tantum exaltauit Synagogam, vt dixerit, quod in veteri illa lege fuerunt data, & revelata conſilia evangelica in ſtatu, vt nunc dicitur ab adverſarijs deffendentibus non ſolum, quod in veteri lege, & Synagoga fuit revelatū Regnum Cęlorum in ſtatu vero Religioſo eiuſdem rationis cum Chriſtiano, ſed quod etiam data, & revelata fuerunt conſilia evangelica Iudæis ante redemptionem generis humani, vt facilius poſſent perfectionem legis adquirere, & Regnum promiſſum conſequi æternum, quod tunc erat clauſum propter peccatum.

45 Argumenta quæ ex ſacris litteris excogitari poſſunt ad probandum, quod in veteri lege revelatum fuerit Regnum Cęlorum ſibi ipſi oppoſuit S. P. Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum, cap. 31. ibi: *Denique, quod non temerè dixerim, neſcio vtrum quiſquam in illis libris invenit nomen Regni Cœlorum, quod tam crebro nominat Dominus; dicitur quidem ibi: Diligite ſapientiam, vt in æternum regnetis, & ipſa vita æterna, ſi non illis in manifeſto prædicaretur, non diceret Dominus etiam malis Iudæis, ſcrutamini ſcripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere, ipſa teſtimonium perbibent de me, quo enim niſi ad hoc pertinet, quod ibi ſcriptum eſt, non moriar, ſed viuam, & narrabo opera*

ra Domini, & illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte? & iuſtorum animę in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum? & paulo poſt: Illi autem ſunt in pace, & ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt ſpes illorum immortalitate plena eſt, & in paucis vexati, in multis benè diſponentur; & in alio loco: Iuſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio eorum apud Altiſsimum, & ideò accipient Regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini. Hæc & alia multa, ſiue apertiſsima, ſiue ſubobſcura inueniuntur illic teſtimonia vitæ æternæ, & de ipſa corporum reſurrectione, non tacuerunt Prophetæ. Vndè Phariſæi adverſum Saducæos, eam non credentes acerrimè confligabant, quod non ſolum in his actibus Apoſtolorum canonicis, quos iſti non accipiunt, ne de adventu veri Paracleti, quem promiſsit Dominus conuincantur, euidenter apparet: Verum etiam in euangelio vbi ei proponunt Saducæi quæſtionem de muliere, quæ ſeptem fratribus ſigillatim nupſerat, cum in eius connubium, alteri morienti, ſuccederet, cuiuſnam eorum in reſurrectione vxor eſſet futura. Hæc ſibi obiecit ex ſacris litteris S. P. Auguſtinus.

46 Sed ipſum Sanctum Doctorem hæc argumenta ſubtiliter, profundè, ac breviter diluentem audiamus ibidem: *Proindè teſtimonijs vitæ æternæ, & reſurrectionis mortuorum abundat illa, ſcriptura, ſed hoc nomen, id eſt Regnum Cœlorum, de nullo indè loco mihi occurrit, hoc enim propriè pertinet ad reuelationem noui teſtamenti, quia illa corpora, quæ terrena fuerant, mutatione illa, quam Paulus Apoſtolus apertius commemoret in reſurrectione, fiant ſpiritualia, ac per hoc cœleſtia, in quibus poſsideamus Regnum Cœlorum: quod ori eius etiam nominandum ſervabatur, quem Regem ad regendos, & Sacerdotem ad ſanctificandos fideles ſuos, vniuerſus ille apparatus veteris teſtamenti in generationibus, factis, dictis, ſacrificijs, obſervationibus, feſtiuitatibus, omnibuſque eloquiorum præconijs, & rebus geſtis, & rerum figuris parturiebat eſſe venturum, qui plenus gratia, & veritate, & ad præcepta facienda adiuvando, per gratiam, & ad promiſſa implenda curando per veritatem venit legem non ſolvere, ſed adimplere.* Eleganter, & profundè explicat D. Auguſtinus contra Fauſtum quomodo intelligenda ſint Sacræ Scripturæ teſtimonia de Regno æterno, vitaque æterna, & reſurrectione in veteri teſtamento loquentia, quæ quidem licèt veritatem continerent, velata tamen latitabant Myſteria Regni Celeſtis, vita ſpiritualis, & reſurrectio ad celeſtia, quæ per gratiam Chriſti in novo teſtamento poſsidemus, vt expreſsè docet libro de Spiritu, & littera, cap. 15. ibi: *Hæc gratia in teſtamento vetere velata latitabat, quæ in Chriſti euangelio reuelata eſt diſpenſatio ne-*

tem-

temporum ordinatiſsima, ſicut Deus novit cuncta diſponens. Et poſtquam terrena promiſſa fuiſſe in veteri teſtamento docuerit, & æterna figuraſſe, & cęleſtia hæc, & ſpiritualia ad novum pertinere teſtamentum per revelationem incorruptibilium, ſpiritualium, & intelligibilium, aſſerit cap. 21. ibi: *Tamen, quia in eo, ſicut dixi promiſſa terrena, & temporalia recitantur, quæ bona ſunt huius corruptibilis carnis, quamvis eis ſempiterna, atque cæleſtia, ad novum ſcilicèt teſtamentum pertinentia figurarentur, nunc ipſius bonum cordis promittitur, mentis bonum, ſpiritus bonum, hoc eſt, intelligibile bonum, cum dicitur: dabo leges meas in mentes eorum, & in cordibus eorum ſcribam eas.* Ergo ex mente D. Auguſtini, bonitas mentis, ſpiritus, & intelligibilitas ſpiritualium, & cęleſtium non fuit promiſſa, nec revelata populo Iudaico in veteri teſtamento, ſed in novo per Chriſtum Dominum, qui legem gratiæ dedit in mentibus noſtris, & eam in cordibus noſtris ſcripſit, veterem adimplendo legem. Itaque Iudæi, & populus circumciſſus in teſtimonijs ſupra citatis Regnum hoc terrenum æternum futurum eſſe expectabant, & in reſurrectione, hanc vitam immortalem deſiderabant habere, nam aliam vitam cęleſtem, & ſpiritualem in Regno Coelorum poſsidendam non intelligebant.

§. IV.

Exemplaritas vitæ Apoſtolicæ in Chriſto futuro, & voti Virginitatis Deiparæ non fuit revelata in veteri lege ad ſtatum verum Religioſum inſtituendum quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicum in illa lege.

47 Deiparam Dominam noſtram, votum ſacræ Virginitatis ad imitationem Eliæ, Deo obtuliſſe ex antiquorum Carmelitarum inconcuſſa traddicione refert Apologiſta in ſua Hiſtoria Prophetica lib. 3. cap. 28. num. 10. Ipſe verò cum cæteris modernioribus, veri circumciſsi Monachatus defenſoribus, Patrum ſuorum, ſemitam deferens noviſsimè aſſerit, revelatam fuiſſe illis Monachis veteris teſtamenti exemplaritatem Apoſtolicæ vitæ in Chriſto futuro, & voti Virginitatis Deiparæ Dominæ noſtræ, vt vota ſua Religioſa emitterent in Synagoga; ſic in eodem libro cap. 27. num. 8. Et in hac Apologia ſæpè citandus: ex quibus manifeſtum eſt, nullum firmum, & ſecurum fundamentum tenere, vt verum Monachatum circumciſſum, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicum in Dei Eccleſiam introducant; ſiquidem antiqui falſum

ſum poſuere illud, quod Deipara votum Virginitatis emiſit ad imitationem Eliæ, & moderniores alia declinantes via, nunc aſſe-ruunt, quod Sanctus Propheta Elias, & alij veteris teſtamenti Monachi, vota ſua emiſſerunt ad imitationem revelati voti Deiparæ.

48 In hac exemplaritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & B. Mariæ Matris eius illis Monachis revelata, vt vota emitterent in illa lege, præcipuum, imo, & vnicum fundamentum adverſariorum conſiſtit; itaque vt claritate procedamus, ad veram intelligentiam huius difficultatis ſupponendum eſt ex Angelico Doctore 2.2.q.1. art.7. in argumento ſed contra, ex D. Gregorio, ibi: *Sed contra eſt, quod Gregorius dicit, quod ſecundum incrementa temporum crevit ſcientia SS.PP. & quanto viciniores adventui Salvatoris fuerunt, tanto ſacramenta ſalutis plenius perceperunt.* Et in corpore quomodo, quantum ad explicationem crevit numerus articulorum, explicat ibi: *Quia quædam explicitè cognita ſunt à poſterioribus, quæ à prioribus non cognoſcebantur explicite.* Et quæ fuerint revelata Patribus illis de cognitione fidei docet in eodem articulo ad 3. ibi: *Et ideò tantum dabatur Patribus de cognitione fidei, quantum opportebat, pro tempore illo, populo tradi, vel nude, vel in figura.*

49 Quomodo revelaverit Deus Patribus, & Prophetis veteris legis Myſteria Chriſti, & Eccleſiæ, explicat Angelicus Magiſter, ad illa verba Apoſt. ad Epheſios cap.3. ibi: *Prout poteſtis legentes intelligere prudentiam meam, in Myſterio Chriſti, quod alijs generationibus non eſt agnitum filijs hominum, ſicut nunc revelatum eſt Sanctis Apoſtolis eius, & Prophetis in ſpiritu*: ad hæc verba Angelicus Præceptor lect.1. ibi: *Licèt enim Myſteria Chriſti, Prophetis, & Patriarchis fuerint revelata; non tamen, ita clare, ſicut Apoſtolis; nam Prophetis, & Patriarchis fuerunt revelata in quadam generalitate; ſed Apoſtolis manifeſtata ſunt, quantum ad ſingulas, & determinatas circumſtantias.* Hæc fuit expreſsior cognitio fidei, quam de Myſterijs Chriſti, & ſtatibus Eccleſiæ habebant Patres, Prophetæ, & Patriarchæ in illa veteri lege, in quadam generalitate, & ſine circumſtantijs ſingularibus, & determinatis.

50 Nunc ſupponendum eſt, ex eodem D. Thoma, quod vt Chriſtus Dominus eſſet cauſa meritoria iuſtificationis in veteri teſtamento per fidem in illum futurum, ſufficiens fuit, quod eſſet in apprehenſione animæ deſideratus, vt finis; ſed ad iuſtificationem, quæ fit per vſum exteriorum rerum, requiritur præſentia Chriſti Domini, vt moveat efficienter, ex meritis eius paſsi, & hac ratione ſacramenta novæ legis conferunt gratiam, ex meritis Chriſti paſsi, quam

quam quidem virtutem vetera non habebant ex eiuſdem meritis apprehenſi, & deſiderati: vndè ibidem in Reſponſione ad 2. ait, ibi: *Illa ſanctificatio erat figuralis; per hoc enim ſanctificari dicebantur, quod applicabantur cultui diuino ſecundum Ritum veteris legis, qui totus ordinabatur ad figurandum paſsionem Chriſti.* Quibus manifeſtè, docet D. Thomas, quod licèt illi veteris legis Patres, Chriſtum Dominum ſperarent futurum, & crederent, & meritis illius iuſtificarentur, quatenus per fidem erat deſideratus in apprehenſione animæ; iuſtificatio eorum figuralis erat, quia applicabantur cultui diuino ſecundum Ritum veteris legis.

51 Certum eſt, & indubitatum; ſecundum Catholicam fidem, quod Ritus veteris, & novæ legis diſtinguuntur; illius legis Ritus tranſierunt, vt vmbra, & novæ legis Ritus, per cultum exteriorum rerum Religionis Chriſtianæ à Chriſto Domino efficienter inſtitutus, permanet, & ſacramenta novæ legis ordinantur ad perficiendam animam in his quæ pertinent ad cultum Dei, ſecundum Ritum Religionis Chriſtianæ, vt docet D. Thom. 3. part. quæſt. 63. art. 1. in corpore, & de hoc Ritu, ibidem art. 3. in corp. ibi: *Totus autem Ritus Religionis Chriſtianæ derivatur à Sacerdotio Chriſti.* Certum etiam eſt, quod ſtatus Religioſus evangelicus, eſt ſpecialiſsimus cultus Deo datus, per tria vota eſſentialia illum conſtituentia, ſecundum Ritum Religionis Chriſtianæ.

52 Notum eſt, Phiſicis, & Theologis, quod cauſa exemplaris, ſeu finalis, vt influat, & moveat, debet eſſe cognita ab omnibus ad inſtar illius operantibus, ſecundum quod, vel ad quod movet, & influit, vt conſtat ex eius diffinitione: vndè ſi Chriſtus Dominus, prout erat in apprehenſione animæ fidelium veteris teſtamenti, moveret, vt exemplar ad vota Religioſa ſecundum vitam Apoſtolicam evangelicam emittenda, & votum Deiparæ Dominæ noſtræ fuiſſet exemplar revelatum ad votum caſtitatis; ſaltem omnibus profitentibus ſtatum Religioſum in lege illa deberet eſſe cognitus, vt Author ſtatus Religioſi futuri in lege gratiæ, formaque vitæ Apoſtolicæ revelata fuiſſet ſecundum Ritum legis gratiæ cum votis illius propter Regnum Cælorum, manifeſtumque eſſet, & cognitum, quod Chriſtus Dominus naſciturus erat ex Matre Virgine Deo ſacrata voto; quod omnibus Monachis, & Monialibus illius legis deberet eſſet apertum, revelatum, & notum, vt vota ſua emitterent ad inſtar exemplaritatis Chriſti, & B. Mariæ, ſecundum Ritum, & formam legis evangelicæ Chriſtianæ.

53 Vndè hic non vertitur in dubium; an aliquibus iuſtis illius

legis

legis ex interna aliqua, & ſpeciali revelatione revelatus fuerit Chriſtus Dominus, vt Author virtutum legis gratiæ, & Virginitas Deiparæ fuit aliquomodo cognita, vt ſecundum cultum,& Ritum exteriorum rerum illius legis operantes exterius, quoad animam perfectionem divinæ legis acquirerent, & eſſent perfecti. De hoc non dubitatur, ſed an in illa lege, in qua etiam iuſtificatio figurativa erat, & Patres illius, Patriarchæ, & Prophetæ applicabantur cultui divino ſecundum Ritum,& vſum exteriorum rerum illius legis, revelatus ne fuerit Chriſtus Dominus, vt Author ſtatus evangelici, vitaque Apoſtolica propoſita cum ſuis conſilijs, & votum virginitatis Deiparæ cognitum, vt exemplar ad inſtituendum in veteri lege, per purum hominem efficienter ſtatum, non vmbraticum, & figurativum ſecundum cultum, & Ritum veteris legis, ſed verum ſtatum Religioſum, veritate legis gratiæ,quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicum, ſecundum cultum vitæ Apoſtolicæ, & Ritum Religionis evangelicæ, vt defenditur, & proponitur noviſsimè ab adverſarijs? Sub his terminis procedit quæſtio.

34 Hanc exemplaritatem Chriſti Domini, votique Deiparæ revelatam fuiſſe ad inſtituendum ſtatum Religioſum evangelicum negamus, ad profitendum in eo; quod faciliter probatur ex ſuppoſitis à D. Thoma: Patribus veteris legis revelatus fuit Chriſtus Dominus, vt ſecundum, quod erat in apprehenſione animæ iuſtificarentur per fidem, & applicarentur divino cultui ſecundum Ritum, & vſum exteriorum rerum illius legis: Sed ſecundum cultum, Ritum, & vſum exteriorum rerum veteris legis, non potuit conſtitui ſtatus verus Religioſus, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicus, ſecundum Ritum, & cultum vitæ Apoſtolicæ Chriſtianæ: ergo Chriſtus Dominus non fuit revelatus in veteri teſtamento, vt ab aliquo puro homine inſtitueretur verus ſtatus, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicus, vnus, & idem cum ſtatu Religioſo à Chriſto Domino inſtituto, ſecundum Ritum, & cultum Religionis Chriſtianæ, & iuxta formam evangelij, vt proponitur ab adverſarijs: Maior huius ſylogiſmi veriſsima eſt, & ſupponitur ex D.Thom. ſupra citatus: Minor probatur ex eodem Angelico Doct. vbi ſupra: Iuſtificatio Patrum veteris legis per fidem Chriſti futuri, & deſiderati figurativa fuit; quia applicabantur cultui divino per Ritum, & vſum exteriorum rerum illius legis; ſed totus Ritus, & vſus exteriorum rerum illius legis, quoad eſſentiam, & ſubſtantiam fuit figurativus, & vmbraticus, quia totus ordinabatur ad figurandum paſsionem Chriſti, vt expreſsè advertit D.

Tho-

Thomas vbi ſup. 3.p. q.62. art.6.ad 2. Ergo ex cognitione Chriſti Domini futuri, vt ſecundum Ritum, & vſum exteriorum rerum veteris teſtamenti applicarentur, non potuit conſtitui ſtatus verus Religioſus, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicus, ſecundum Ritum vitæ Apoſtolicæ, & iuxta formam perfectionis evangelicæ.

55 Confirmatur ex eodem D. Thoma vbi ſupra, art. 6. in corp. vbi docet, quod ad continuationem per fidem, quæ fit per actum animæ ſufficit cognitio Chriſti ſecundum, quod eſt in apprehenſione animæ deſideratus, & ait,ibi: *Sed illud, quod nondum eſt in rerum natura non movet, ſecundum vſum exteriorum rerum: vndè cauſa efficiens non poteſt poſterior eſſe ordine durationis, ſicut cauſa finalis*; ſed verus Monachatus cum votis eſt ſtatus ſpecialis evangelicus, ſecundum Ritum, cultum, & vſum exteriorum rerum Religionis Chriſtianæ: ergo ad illum inſtituendum in veteri lege non fuit ſufficiens cognitio Chriſti Domini, vt finis, quatenus erat in apprehenſione animæ deſideratus; ſed neceſſaria fuit ipſius præſentia in genere cauſæ efficientis, & influentis ad inſtituendum ſtatum ſecundum Ritum, & vſum exteriorum rerum Religionis Chriſtianæ. Maior eſt D. Thomæ. Minor patet, quia verus Monachatus evangelicus eſt ſtatus ſenſibilis, & viſibilis Eccleſiæ Chriſti conſtitutus per profeſsionem externam, & vota publica emiſſa, quæ exteriores res ſunt ſecundum Ritum Religionis Chriſtianæ.

56 Id ipſum vrgetur; nam ille ſtatus Religioſus ab Elia inſtitutus ex Chriſti exemplaritate, vel ordinabatur ad Synagogam, ſeu Eccleſiam in illo ſtatu ſervitutis, ſecundum Ritum, & vſum exteriorum rerum illius legis, vel ordinabatur ad Eccleſiam Chriſti in ſtatu evangelicæ libertatis, ſecundum Ritum, & vſum exteriorum rerum Religionis Chriſtianæ: Si primum dicant, non potuit eſſe evangelicus, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam, vnus & idem cum ſtatu Religioſo legis gratiæ; ſed figurativus, & vmbraticus ſecundum illam legem: Si ſecundum affirment, fuiſſet in veteri teſtamento ſtatus in quo ſine caractere Chriſti Domini recepto in anima in genere cauſæ efficientis per Baptiſmum, ordinarentur homines ante adventum Chriſti ad cultum præſentis Eccleſiæ, ſecundum Ritum Religionis Chriſtianæ; ſed hoc eſt falſum, & admitti non poteſt iuxta D. Thomam ſupra citatum, 3.p. q. 63. art. 3. ad 3. ibi: *Similiter caracter fidelium eſt, quo diſtinguuntur fideles Chriſti, à ſervis diaboli, vel in ordine ad vitam æternam, vel in ordine ad cultum præſentis Eccleſiæ; quorum primum fit per charitatem, & gratiam,*

vt

vt obiectio procedit; ſecundum autem ſit per caracterem ſacramentalem: ergo exemplaritas Chriſti non fuit revelata in veteri lege, vt Elias efficienter inſtitueret in ea ſtatum Religioſum verum evangelicum quoad ſubſtantiam, & eſſentiam, in quo circumciſi Monachi ſine caractere Chriſti impreſſo in anima, ordinarentur ad cultum præſentis Eccleſiæ ſecundum Ritum Religionis Chriſtianæ, & vitæ Apoſtolicæ.

57 Vlterius: Si exemplaritas Chriſti Domini fuiſſet revelata in illa lege, vt Elias inſtitueret in ea verum ſtatum Religioſum evangelicum quoad ſubſtantiam; qui vnus, & idem eſſet cum ſtatu Religioſo legis libertatis; ſequeretur, quod in veteri teſtamento ex exemplaritate Chriſti tantum, purus homo inſtituiſſet efficienter quoddam ſignum ſenſibile, quo circumciſi ſub lege ſervitutis ante adventum Chriſti Domini, & paſsionem eius tranſire poſſent ad ſtatum, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicum, & legis libertatis: Sed hoc non eſt admittendum, ergo, &c. Sequella probatur, quia adverſarij ſupponunt, quod ille ſtatus Religioſus ab Elia inſtitutus fuit evangelicus vnus idem cum Monachatu Chriſtiano; ſed per externam profeſsionem, & votorum emiſsionem, quæ ſignum ſenſibile ſunt, tranſirent circumciſi profitentes ad ſtatum Religioſum evangelicum, quoad ſubſtantiam, eumdemque, & continuatum cum Religioſo Chriſtiano, vt aſſerunt: ergo ex exemplaritate Chriſti inſtituiſſet Elias in veteri lege efficienter ſignum ſenſibile, quo circumciſi fideles tranſire poſſent ad ſtatum, quoad ſubſtantiam evangelicum, eumdemque cum ſtatu Religioſo Chriſtiano legis gratiæ, & libertatis. Dicta à ratione procedunt ex doctrina Div. Thomæ. Nunc ad alia argumenta accedamus ex dictis eiuſdem Angelici Magiſtri, & aliorum SS. PP.

58 Nec ignota fuit SS. PP. hæc Chriſti Domini exemplaritas, vt conſtat ex antiquis in D. Athanaſio, qui expreſsè docuit, quo tempore incepit revelari, vt votum virginitatis à Chriſti Domini diſcipulis in ſua Eccleſia emitteretur, cuius authoritas, vt refert Baronius ad annum 366. à num. 27. conſtat ex Epiſt. ad Conſtantinum, ibi: *Dei filius, & Salvator noſter Dominus Ieſu Chriſtus homo propter nos factus, profligata morte, & liberato è ſervitute, & corruptione genere humano, inter cætera dona ſua largitus eſt nobis exemplar Angelicæ virginitatis.* Et paulo inferius, ibi: *Numquam alibi ſanctum illud, & cœleſte æternæ fœlicitatis mandatum fœliciter adimpletur niſi dumtaxat apud nos Chriſtianos.* Hæc divinus Athanaſius

in

in illis primis Eccleſiæ ſæculis de virginitate: ergo ante mortem Chriſti, nec virginitas fuit culta voto, nec Chriſtus Dominus ſe exemplar dedit, vt hoc votum emitteretur, niſi poſt redemptionem generis humani ab illa lege ſeruitutis, & peccati.

59 Exemplaritas Chriſti Domini ad verum ſtatum Religioſum inſtituendum in veteri lege iuxta formam evangelicæ perfectionis, demonſtrativè impugnatur, & falſitate convincitur ex D. Bernardo ſerm. de Verbis Evangelij: *Ecce nos reliquimus omnia,* cuius verba ad longum referuntur ſupra diſc. 2. §. 5. & euangelicæ perfectionis formam, & exemplar converſationis in vitæ Religioſa Patribus veteris teſtamenti negat reuelatam fuiſſe, & in nova lege incepiſſe apertè docet, ibi: *Antiquorum ſane Patrum diebus, donec in terris videretur, & converſaretur inter homines Dominus Maieſtatis, non erat euangelicæ forma perfectionis, ſed ſpiritum Domini ſolo interim ſpiritu ſequebantur: At vbi verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, iam nobis in eo tradita eſt imago vitæ, & converſationis exemplar, quod opporteat etiam corporaliter imitari, vt vtroque ſequentes veſtigio, non vlterius cum Patriarcha Iacob altero fæmore claudicemus. Vbi enim audiuimus, quia dictum ſit antiquis: Niſi quis renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus? Et item: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende? &c.* Verba Melliflui Doctoris luce meridiana clariora ſunt, & difficultatis punctum, & apicem explicant, nam perfectionem veterum Patrum concedens, adhuc altero fęmore claudicare in veteri teſtamento cum Iacob docet, quia formam evangelicæ perfectionis non habebant, nec converſationis Apoſtolicæ exemplar.

60 Div. Thomas, qui à SS. PP. communi doctrina numquam recedit, eamque ſententiam docuit, opuſc. 17. cap. 4. ibi: *Conſtat diſcipulos in ſua converſione ad fidem, eſſe aſſumptos ad Chriſti Collegium, in quo primum conſiliorum exemplar apparet.* Verba Angelici Magiſtri clariſsima ſunt, & ſuæ doctrinæ convenientiſsima, vt patet ex traditis §. 1. & evidenter probatur ex 1.part.quæſt. 28. art. 4. in quo docet votum Virginitatis Deiparæ fuiſſe conditionatum: ex quibus formatur argumentum. Exemplaritas Chriſti Domini non fuit revelata Deiparæ, vt votum virginitatis emitteret abſolutum: ergo neque Eliæ, nec Monachis eius circumciſsis: Antecedens eſt Divi Thomæ loco citato: Conſequentia eſt evidens, quia aliàs expreſsiorem revelationem habuiſſent circumciſsi illi Monachi ad votum abſolutum emittendum, quam Deipara Domina noſtra ad conſecrandam Deo ſuam

virginitatem, quod nullus Catholicus ſine ſcandalo audiet: Itaque prædicta exemplaritas noviter adinventa defendi non poteſt in via D. Thomæ.

61 Eſt enim figmentum excogitatum, quod communiter à Theologis reijcitur, & impugnatur, & noviſsimè ab Emminentiſsimo Domino Cardinali Capiſucco, tom. 1. controverſ. 16. §. 3. brevi hac, ſed efficaci ratione convincitur, ibi: *Ad rationem exemplaris requiritur, vt illud cognoſcatur ab agente ad inſtar eius operante, vt patet ex illius diffinitione: ad hoc igitur, vt B. Virgo ſit exemplar eorum, quos adverſarij volunt voviſſe in veteri lege caſtitatem, debuit eis innoteſcere Beatam Virginem emiſſuram tale votum: afferant adverſarij aliquem textum Sacræ Scripturæ, in quo prædicetur Beatam Mariam nuncupaturam fuiſſe votum virginitatis.* Hæc Emminentiſsimus Dominus Cardinalis. Vel afferant aliquem Sanctum Patrem, & Doctorem, qui doceat, revelatam fuiſſe Monachis circumciſſis exemplaritatem vitæ Religioſæ in Chriſto, & voti virginitatis in Deipara, vt vota emitterent in Synagoga: nullus certè invenitur textus in ſacra pagina, nullum in Patribus teſtimonium: ergo ſine fundamento ponitur prædicta exemplaritas.

62 Novitatem hanc excogitarunt Monachatus circumciſſi noviſsimi propugnatores, vt dictis ſatisfaciant SS. PP. vno ore Deiparam Dominam noſtram laudantium in Primatu voti virginitatis, & Chriſtum Dominum in Primatia inſtitutionis veri Monachatus in lege gratiæ, vt hanc communem SS. PP. doctrinam enervent, Primatum dignitatis, & excellentiæ Chriſto Domino, & Deiparæ concedunt adverſarij in genere cauſæ exemplaris: at vero Eliæ Primatum temporis in genere cauſæ efficientis, quod faciliter impugnatur ab erudito Thoma Hurtado de Martyrio fidei, reſolut. 54. §. 4. Nam ſi hoc eſſet verum, omnes virtutes Chriſti Domini, & Deiparæ Mariæ, quæ heroicæ fuerunt, haberent cauſalitatem exemplarem, reſpectu Patrum veteris legis, poſſetque dici, quo B. Virgo Maria prima credidit, prima amauit, prima ſe humiliauit prioritate dignitatis, & excellentiæ, quod nullus SS. PP. dixit, quamvis ad Cælum vſque virtutes virginis declamauerint: & licèt Chriſtus Dominus ſe humiliauit vſque ad mortem, & Deum Patrem ſupra omnes creaturas amauerit, cæteraſque virtutes excellentius exercuerit, nullus tamen dixit, quod primus Deum amauit, & quod primus ſe humilliauit: ergo SS. PP. dum Primatum inſtitutionis Monachatus veri in Chriſto Domino concedunt, & Deiparam Dominam noſtram

ſtram ex Primatia voti virginitatis laudant, de prioritate temporis ſunt intelligendi, non ſolum in genere cauſæ exemplaris, ſed etiam in genere cauſæ efficientis, alias quid ſpeciale in hoc Primatu laudarent?

63 Ex dictis exemplaritas noviter adinventa reijcitur ex regula ab Eccleſia admiſſa, & à Divo Gregorio Nazianzeno traddita 2. de theolog. ibi: *Nobis ſatis eſt, quod nemo ex his, qui diuino numine afflati ſunt ex Patribus illis, & Magiſtris noſtris, hanc ſententiam hactenus, vel pronunciauerit, vel pronunciatam probauit.* Sed neque in Sacra Scriptura, neque in aliquo ex Patribus noſtris, & Magiſtris reperitur revelatio Eliæ, & Monachis circumciſsis facta de Chriſti exemplaritate in votis emittendis, neque de voto virginitatis Deiparæ, vt caſtitatem conſecrarent: ergo non eſt admittendus Primatus temporis Eliæ, quia ſine fundamento ponitur, nullaque authoritate fulcitus in Dei Eccleſiam introductus eſt.

64 Id ipſum probatur ex dictis §. antecedenti, nam facta revelatione votorum in Chriſto, & voti Virginitatis in Maria Domina noſtra, etiam Regnum Cœlorum, & præmia æterna, propter quæ emittenda erant in lege gratiæ vota Religioſa, revelarentur ſtatuì illi Religioſo circumciſo, ab Elia inſtituto, ex lege Monaſtica illum conſtituente: vndè omnibus profitentibus, & profiteri volentibus Monachis circumciſsis, & Monialibus Iudæis eſſent revelata præmia æterna, ac perconſequens Pontifices, & Sacerdotes, & omnis populus ſciret eſſe Regnum æternum promiſſum pro præmio ex cognitione illius ſtatus Religioſi; ſed hoc negant Patres Eccleſiæ, vt hæreticum dogma Fauſti, & Pelagij: ergo prædicta exemplaritas communiter revelata illi ſtatui Religioſo publica in illa lege, non eſt admittenda in lege gratiæ.

65 Cum nullus inveniatur Doctor, qui hanc novam exemplaritatem præteritis ſæculis agnoſcat revelatam Monachis circumciſsis, Hiſtoricus propheticus noſtro ſæculo, eam fundare conatur varijs ſophiſmatibus, tàm in ſua Hiſtoria prophetica, quàm in ſua Apologia, præſertim propoſit. 2. §. 4. ex Divo Thoma 1. part. quæſt. 65. art. 3. ibi: *Quando aliqua cauſa eſt ſuperior, tanto ad plura ſe extendit in cauſando.* Et 3. contra gentes, cap. 24. ibi: *Quanto aliquid invenitur melius, tanto ad remotiora bonitatem ſuam diffundit.* Ex quibus Angelicus Doctor concludit: *In quantum vnumquod-*

quodque bonitatem diffundit in alia, ſit aptior cauſa. Et ſubiungit Authori; Sed poſita, & revelata exemplaritate Chriſti, & voti Deiparæ Dominæ noſtræ, ad inſtar cuius Monachi circumciſsi vota emitterent in veteri teſtamento, ad plura ſe extenderent, & ad remotiora bonitatem ſuam diffunderent Chriſtus Dominus, & B. Virgo Maria: ergo hac exemplaritate revelata, augetur gloria Matris, & filij.

66 Huic argumento, quod vnicum fundamentum eſt ad novam hanc exemplaritatem Chriſti Domini revelatam in veteri teſtamento ad inſtitutionem ſtatus veri Religioſi breviter, & demonſtrativè reſpondetur ex eodem Angelico Magiſtro, qui ſupra laudatus 2. 2. quæſt. 1. artic. 7. ad 2. ait ibi: *Tantum dabatur Patribus de cognitione fidei, quantum oportebat pro tempore illo, populo tradi, vel nude, vel in figura.* Sed ex eodem Divo Thoma 1. 2. quæſt. 108. artic. 4. in corpore, ſupra laudato §. 2. Conſilia evangelica convenienter non fuerunt data in veteri lege, quæ erat lex ſervitutis: ergo ex Divo Thoma convenienter non fuerunt revelata conſilia evangelica, & vota Religioſa ad inſtituendum ſtatum verum Monaſticum in illa lege.

67 Conſonat Divus Bernardus, qui ad rem, in quo conſiſtat perfectio cauſalitatis divinæ explicat Homil. 2. ſuper *Miſſus eſt*, recepta, & approbata ab Eccleſia in Officio Deſponſationis Beatæ Mariæ, quæ pro ſermone recitatur in 2. Nocturno, in omnibus ditionibus, ac dominijs Catholici Regis noſtri, ibi: *Oportebat à Principe mundi, aliquamdiu celari divini conſilij Sacramentum, non quod Deus ſi palàm opus ſuum facere vellet, impediri poſſe ab illo metueret; ſed quia ipſe, qui non ſolum potenter, ſed etiam ſapienter quæcumque voluit fecit, ſicut in omnibus operibus ſuis, quaſdam rerum, vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem ſervare conſuevit: Ita in hoc quoque tam magnifico opere ſuo, noſtræ videlicèt reparationis, non tantum potentiam ſuam, ſed & prudentiam oſtendere voluit.* Et in 3. Lect. de Mariæ deſponſatione cum Ioſepho, ibi: *Quid ſapientius? Quid dignius divina providentia? Vno tali conſilio, ſecretis cœleſtibus, & admittitur teſtis, & excluditur hoſtis, & integra ſervatur fama Virginis Matris.* Ex verbis D. Bernardi conſtat, quod perfectio divinæ cauſalitatis non conſiſtit in eo, quod actu ſe extendat ad plura, ſed quod poſsit ea producere dum velit, & à nullo impediri metuat, & ſicut in omnibus operibus ſuis, non ſolum po-

potentiam ſuam manifeſtam fecit, ſed ſapientiam, ſimulque prudentiam manifeſtauit, congruentias aliquas rerum, & temporum obſervando, ſic in cœleſtium myſteriorum ſuorum revelatione tempus acceptabile, & dies noſtræ ſalutis expectavit: Inter cætera autem myſteria, & ſecreta cœleſtia, quæ populo Iudaico celauit, præcipuum fuit Virginitas Matris, & deſponſatio cum Ioſepho, vt ait ibi Meliſſluus Bernardus; ergo votum Deiparæ Dominæ noſtræ, non fuit revelatum Monachis circumciſis, vt ſuum caſtitatis profiterentur in veteri lege.

68 Evidens eſt D. Bernardi doctrina ad infirmandam adverſariorum illationem ex perfectione cauſarum, & ſua ipſa falſitate confunditur; nam neque omnipotentia divina imperfectior remanet, ex eo quod plures alios mundos non creaverit, nec prædeſtinatio, quia omnes efficaciter non vocauerit, nec Chriſti Domini Redemptio, quia ad omnes homines quoad efficaciam non ſe extenderit; nam hæc omnia non ſunt regulanda per ſuam divinam omnipotentiam, ſed per ſuam ineffabilem ſapientiam, & prudentiam; ſic etiam myſteria cœleſtia, præcepta divina, & conſilia evangelica revelauit omnipotens Deus, ſecundum congruentias temporum vtriuſque legis, quod expreſsè docet Auguſtinus, lib. 1. de ſerm. Domini in monte recepto, & approbato ab Eccleſia in Officio omnium SS. in 3. noct. ibi: *Vnus tamen Deus, per Sanctos Prophetas, & famulos ſuos ſecundum ordinatiſsimam diſtributionem temporum dedit minora præcepta populo, quem charitate iam liberari conveneerat. Cum autem minora minoribus, maiora maioribus dantur, ab eo dantur, qui ſolus nouit congruentem ſuis temporibus generi humano exhibere medicinam: nec mirum eſt, quod dantur præcepta maiora propter Regnum Cœlorum, & minora data ſunt propter Regnum terrenum, ab eodem vno Deo, qui fecit Cœlum, & terram.* Hæc D. Auguſtinus, in quibus perſpicuum eſt, quod ſecundum diſtributionem temporum dedit Deus præcepta minora populo ſub lege ſervitutis per Sanctos Prophetas, maiora populo ſub lege libertatis per filium ſuum; ſed revelata Chriſti exemplaritate vitæ Religioſæ, & voti virginitatis Deiparæ, vt Monachi circumciſi vota ſua emitterent in Synagoga, tempora vtriuſque legis confunderentur, quia non ſolum meliora præcepta, ſed præcipua conſilia evangelica legis gratiæ data eſſent per Sanctos Prophetas in veteri teſtamento: ergo prædicta exemplaritas ſecundum doctrinam Div. Auguſtini, admitti nullo modo poteſt in Dei Eccleſia.

69 Ex relatis à D. Auguſtino etiam conſtat, qua ratione non ex-

extenderit Deus ad Synagogam exemplaritatem Chriſti futuri, vt vota Religioſa emitterent ſub lege ſervitutis; nam ſecundum altiſſimam ſuam providentiam novit congruentem ſuis temporibus generi humano exhibere medicinam, quæ ſumma Dei perfectio eſt. Tùm etiam ex eodem D. Auguſtino, maiora præcepta, & conſilia evangelica data ſunt propter Regnum Cęlorum; minora autem propter Regnum terrenum ab eodem vno Deo, qui fecit Cęlum, & terram: Cum autem in veteri teſtamento Regnum Coelorum non fuerit revelatum, vt ſuperiori §. latè probavimus, ideò non fuit conveniens populo illi maiora præcepta, & conſilia euangelica ex Chriſti exemplaritate revelare.

70 Ratione etiam probatur diſcurſus ex Auguſtino illatus, nam Patres veteris teſtamenti, ſecundum doctrinam Apoſtoli, vixerunt, & viuere tenebantur ſecundum formam doctrinæ, & legis, in qua traditi erant, vt conſtat ex cap. 6 ad Romanos, verſ. 17. ibi: *Gratias autem Deo, quod fuiſtis ſervi peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi eſtis.* Sed ſecundum illam legem virginitas non erat grata Deo in populo illo, & Matrimonium præferebatur virginitati, vt pluribus in locis ſupra videndis, diſcurſ. 3. §. 4. docet D. Thomas ex Auguſtino: ergo Chriſtus Dominus in illa lege, & populo, non ſe præbuit exemplar virginitatis, vt ſtatus verus Monaſticus publicus inſtitueretur, in quo, omnes profitentes caſtitatem vovere tenebantur. Confirmatur; nam ſecundum illam legem, vt ſæpè diximus ſuperiori, §. promiſſit Deus cuſtodientibus bona temporalia, & filiorum fęcunditatem, vt notum eſt in libris veteris teſtamenti; ſed Chriſti Domini paupertatis exemplar, & virginitatis, vt vota emitterent circumciſi Iudæi in vero ſtatu Religioſo, oponitur divinis promiſſionibus in illa lege contentis, quia per publicam profeſſionem relinquerent profitentes promiſſa in ſua lege: ergo exemplaritas Chriſti ad verum ſtatum Religioſum inſtituendum, in quo omnes circumciſi poſſent abdicare, ſi vellent, promiſſa in ſua lege, non eſt admittenda.

71 Vlterius confirmatur: nam ſi Chriſtus Dominus revelatus eſſet in populo Iudaico, vt exemplar votorum legis gratiæ ad ſequellam vitæ ipſius amplectendam, crucemque ſpiritualis vitæ legis gratiæ tollendam, cęleſtia, ſempiternæque vitæ bona revelata eſſent in illo ſtatu profitentibus, eſſet in lege ſervitutis veteris teſtamenti ſtatus veræ amicitiæ cum Deo publicus in Synagoga, notus omnibus illum amplecti volentibus, ſed hoc non eſt dicendum: ergo

ergo Chriſtus Dominus non ſe præbuit, nec revelauit, vt exemplar votorum, & Conſiliorum euangelij, crucíſque, & vitæ æterñæ conſequendæ, vt verus ſtatus Religioſus conſtitueretur in veteri lege. Maior, in qua eſt difficultas probatur, quia ius amicitiæ, & filiationis inter Deum, & hominem fundatur in promiſsione vitæ æternæ per crucem Chriſti ex eius meritis; ſed in illo ſtatu Religioſo Iudaico, vt aſſerunt adverſarij, & conſtat, revelarentur vota legis gratiæ, præmia æterna promitterentur, & reuelarentur profeſsis, & obſervantibus ea ex Diuina revelatione omnibus facta: ergo ille Monachatus circumciſſus eſſet publicus ſtatus amicorum, & filiorum Dei in veteri lege: Antecedens probatur ex Ioanne cap. 15. ibi: *Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos, quia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Sed illis Monachis circumciſis revelaret Deus ex exemplaritate Chriſti eius incarnationem ex Virgine, mortem, crucem, & paſsionem, vitamque ſpiritualem legis gratiæ, atque perfectionem ipſius legis ad vitam æternam conſequendam: ergo ille ſtatus verus Monachorum circumciſſorum, eſſet ſtatus amicorum Dei ſub lege ſervitutis, quod neque iuſtis, & ſanctis illius legis conceſſum fuit, ad differentiam ſanctorum legis gratiæ, vt docet Magiſter Sotus in 4. diſtinct. 2. quæſt. 1. art. 4. ibi videndus.

72 Prædicta ratio, fortiori diſcurſu firmatur, quia vel omnes Monachi veteris legis iuſti erant, & in ſua vocatione ſine lapſu perſeverabant, vel non: Si omnes Religioſi Eliani in veteri teſtamento iuſti erant, & ſancti, nullusque à ſua vocatione recedebat illa Religio ab Elia fundata eſſet ſtatus prædeſtinatorum ad gloriam, perfectiorque ſtatu Religioſo à Chriſto inſtituto in Sacroſancto ſuo Evangelio per ſanguinem ſuum, & Spiritus Sancti adventum, in quo quotidie miſerrime labimur Religioſi, & à vocatione aliqui recedunt: Si verò aliqui Monachi circumciſi à vocatione poſt profeſsionem recedebant, vota non adimplentes, & in ſuis peccatis vitam finiebant, indè ſequitur, quod peccatoribus, & iniuſtis Religioſis circumciſsis ex ſua profeſsione, & inſtituto revelaret Deus in veteri teſtamento myſteria cœleſtia, præmiaque æterna, quod vix iuſtiſsimis illius legis invenitur conceſſum, quod quidem manifeſtum eſt, quia omnes Monachi circumciſsi boni, & peſsimi, ſub eadem profeſsione emitterent vota ex Chriſti exemplaritate eis revelata propter Regnum Cœlorum, & præmia æterna.

73 Nec obſtat ſi adverſarij dicant, quod in veteri teſtamen-

to, aliqui poſt iuſtitiam in fide Chriſti acceptam, ingrati Deo à gratia ceciderunt, & in peccato ſuo mortui fuerunt; non, inquam, vim argumenti enervat, nam illis non fuit Chriſtus revelatus, nec eius merita oſtenſa ex aliquo ſtatu externo, ſed ex Dei reuelatione interna, argumentum vero convincit, quod in veteri lege eſſet ſtatus publicus, in quo Deus per publicam profeſsionem, iuſtis,& iniuſtis illius ſtatus revelaret myſteria cęleſtia, præmium æternum, perfectionem vitæ ſpiritualis legis gratiæ, quæ vix iuſtis in illa lege conceſsit, quod indè patet; nam ille ſtatus Religioſus ab Elia inſtitutus cum votis propter præmia æterna emittendis ad exemplaritatem Chriſti Domini, & voti virginitatis Deiparæ, publicus conceditur ab adverſarijs, & notus Iudæis, ſiquidem Elias, & diſcipuli eius quamplurima Monaſteria ſtruxerunt, in quibus Monachi, & Moniales, vſque ad adventum Chriſti Domini permanſerunt; ſed omnes emittebant vota ſua ex vi ſtatus propter vitam æternam, ad exemplar Chriſti Domini, & B. Mariæ: ergo in illa lege fuit ſtatus, in quo viris, & fęminis, iuſtis, & peccatoribus profeſsis, & profiteri volentibus revelata fuerunt ſecreta cœleſtia vitæ æternæ, legis gratiæ perfectiones, & Sacroſanctum incarnationis Myſterium ex Virgine, quod admitti non poteſt in Dei Eccleſia: ergo neque novitas exemplaritatis Chriſti Domini, & voti virginitatis Deiparæ revelatæ Monachis circumciſsis veteris legis, pro vero ſtatu Religioſo inſtituendo, poteſt admitti in Chriſti Domini Eccleſia.

74 Nec intelligi poteſt, quomodo nova hæc exemplaritas Chriſti revelata fuit Monachis circumciſsis, vt verum ſtatum Religioſum conſtitueret in illo populo, nam in primis non fuit reuelata in Scriptura Sancta, neque in lege, neque in Prophetis, quia nobis etiam conſtaret ex veteri teſtamento, & nullibi reperitur in eo; nec conſtat in euangelio, neque in ſcripturis canonicis noui teſtamenti, quod reuelata fuerit Iudæis, vel Eliæ ad vota emittenda, quia nota eſſet Chriſti Eccleſiæ, neque fuit reuelata, & ſcripta in lege illa Monaſtica ab Elia data, & ſucceſſoribus tradita, ſi vera eſſet quæ ab adverſarijs in lege illa dicitur inſtituta, & ab Elianis profeſſa, quia in ea poſſent legere omnes Iudæi præmia æterna promiſſa,& ſecreta cęleſtia revelata Monachis circumciſsis, ſciretque omnis populus eſſe aliam vitam æternam, & Regnum Cœlorum, quod Sancti Patres impugnant, & negant contra Fauſtum, & Pelagium; nec poteſt dici, quod per traditionem ſciebant profitentes Regnum æternum,& Myſteria cęleſtia in

ſuo vero ſtatu Religioſo promiſſa, hæc enim traditio, vt circumciſsi Monachi poſſent vota emittere, & ſtatum conſtituere in illa lege, ſcilicèt, contra fęcunditatem filiorum, & bona temporalia promiſſa, quod intelligebat populus, vt ait Auguſtinus, deberet aliquo teſtimonio divino confirmari, quo ſaltem profitentibus conſtaret ſic fuiſſe reuelatum Eliæ, & ſucceſſoribus eius Monachis circumciſsis; ſed nullum eſt teſtimonium in Sacra Scriptura, neque in Sanctis Patribus reperitur de hac traditione exemplaritatis Chriſti reuelatæ: ergo nullum habet fundamentum, vt poſt tot ſæcula introducatur hæc nouitas in Dei Eccleſiam.

75 Neque in ipſis Carmelitanis fundari poteſt hæc traditio, nam Hiſtoricus propheticus, lib.3.cap.28.num.10. edit. 1630. refert ex Ioanne Hieroſolymitano, traditionem fuiſſe antiquorum Carmelitarum, Deiparam Dominam noſtram, ſuæ ſacræ virginitatis, & puritatis votum ad imitationem Eliæ Deo obtuliſſe, vndè ex antiqua traditione Elias fuit exemplar voti virginitatis Deiparæ, quod omnino contrarium eſt noviſsimæ exemplaritati Deiparæ Dominæ noſtræ, ad cuius imitationem, Elias, & cæteri Monachi circumciſsi vota emiſſerunt, vt aſſerunt adverſarij noſtri ſæculi: ergo neque in Sacris Scripturis veteris, & noui teſtamenti, neque in Sanctis Patribus, neque in ipſis Carmelitis fundari poteſt vera, & ſecura traditio exemplaritatis Chriſti, & B. Mariæ, revelatæ Eliæ, & Monachis circumciſsis.

76 Hiſtoricus propheticus, lib.3.cap.27.num.8. Communem revelationem omnibus Monachis circumciſsis de voto à Virgine Maria emittendo, concedit, vt ad exemplar illius, votum virginitatis, vel caſtitatis emitterent; ſed hæc revelatio invincibilem patitur difficultatem; nam vel fiebat in profeſsione, vel ante profeſsionem, vt vota emitterent, & illis promiſſa erat dicta reuelatio, ex ſuo ſtatu, & profeſsione, quod eſt ponere in illa lege ſtatum cui ex divina promiſsione debitum eſſet lumen propheticum indeficiens in profitentibus, & permanens in omnibus Religioſis Elianis, quod admittit Hiſtoricus propheticus, edit. 1. lib. 3. cap. 27. num. 8. Sed hoc libere dicitur, & nullo nititur fundamento in Sacra Scriptura, nec in Patribus, & tamquam falſum reijcitur, & impugnatur ex doctrina D. Thomæ 2.2. quæſt. 171. art.4. in corp. vbi docet ex D. Gregorio Magno, quod lumen propheticum animæ in eſt per modum paſsionis tranſeuntis; at illis Monachis circumciſsis communicaretur lumen propheticum, quod idem fieret in Monialibus per modum habitus permanentis ex ſua profeſsione, eſſet-

que

que indeficiens in Monachis, & Monialibus reuelatio exemplaritatis Chriſti, & Deiparæ Dominæ noſtræ, ex vi ſui ſtatus, & profeſſionis: ergo eſſet in ſtatu Religioſo Eliano veteris legis aliud lumen propheticum ignotum Eccleſiæ, & Sanctis Patribus vſque ad noſtrum ſæculum.

77 Nec valet dicere; quod licèt vota publicè emitterentur in profeſsione, tamen reuelatio Regni Cœlorum, & præmij æterni eſſet interna in Monachis circumciſsis profitentibus, & illi ſtatui Religioſo tantum reuelata, & nota: vndè ſtatus eſſet publicus, & populo cognitus, finis vero incognitus extra ſtatum illum Religioſum; non, inquam, hoc valet, nam ſecundum D.Thom. tempore illius legis oportebat generationi inſiſtere, tàm viros, quam mulieres, & ſecundum intelligentiam communem illius populi, videbatur lege prohibitum non dare operam ad relinquendum ſemen ſuper terram, Patreſque communiter docent, vel virginitatem fuiſſe prohibitam in illa lege, vel contemptum illius populi, vel nullo modo in vſum Iudaicæ gentis, vndè ortum habuit Myſterioſum illud dubium in B.Virgine, vt votum ſuum emitteret conditionatum, vt docet D.Thomas 3.part. quæſt.28. art.4. per totum: Vndè manifeſtum eſt, inſtitutionem illius ſtatus Religioſi cum votis, & conſilijs euangelicis magnum in illo populo dubium generaſſe ex votis ipſis, quæ legi, & obſeruantijs illius populi videbantur contraria: ergo Summi Sacerdotes, & Pontifices nouitatem hanc examinare debuerunt, & ſuper illam decernere, quo inſtinctu, & fine, quibuſque legibus inſtitutus fuiſſet ſtatus ille Religioſus, nouus & incognitus in illo populo, ac perconſequens non ſolum ſtatus, & vota manifeſta eſſent in populo Iudaico, ſed etiam finis ſtatus, Regnum Cœlorum, & præmia æterna.

78 Confirmatur, quia in veteri lege erat præceptum ſuſcitandi ſemen fratris, vxorem eius accipiendi in propriam poſt mortem illius, vt docet D. Auguſtinus de bono coniugali, cap.9. & 22. & lib.12. contra Fauſtum, cap. vltimo, & lib.32. cap. 10. iuxta legem latam in Deuteronomio, cap.25. verſ.5. ibi: *Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubat alteri; ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui.* Tùm ſic, dato caſu mortis fratris vxorati alicuius Monachi circumciſsi, præceptum ſuſcitandi ſemen illius erat publicum in lege: reuelatio autem exemplaritatis Chriſti Domini ad votum virginitatis emiſſum, erat interna, & priuata, populo, & Pontifici Summo ignota: ergo poterat, & deberet Pontifex illius

po-

populi compellere Monachum circumciſſum ad implendum præceptum accipiendi vxorem fratris ſui, quod patet, quia præceptum erat expreſſum in lege, & ignorabat quo iure, & ſine eſſet ſtatus ille inſtitutus in ea. Hoc ipſum confirmatur, nam non poteſt eſſe materia voti, quod directè, vel indirectè opponitur præcepto expreſſo diuinæ legis, ſed votum virginitatis in veteri lege ſaltem indirectè opponeretur præcepto de ſuſcitando ſemine fratris: ergo non fuit reuelatum votum virginatis pro omni ſtatu Religioſo illius legis, quia alias eſſet ſtatus publicus in veteri lege, cum voto oppoſito ipſi legi, vel conſilio.

79 Quod autem Chriſti Domini exemplaritas, & voti Deiparæ Dominæ noſtræ ad ſtatum verum Religioſum conſtituendum ignota fuiſſet Pontificibus, & Sacerdotibus, & ipſe ſtatus non exiſteret in Synagoga, convincitur ex Hiſtoria ſatis recepta in Dei Eccleſia, & ab antiquis Patribus tradita, quam referunt Petrus Dorlando in vita S. Annæ cap. 6. & Landulphus de Saxonia cap. 3. Affirmant hi Doctores, quod audito voto virginitatis Deiparæ Dominæ noſtræ Pontifex illius temporis trepidavit, conciliumque congregauit, vt ſuper hanc rem novam, & inauditam conſulerent Deum, quid eſſet faciendum; ergo votum virginitatis ignotum erat tempore Dominæ noſtræ Pontificibus, & Sacerdotibus, & ignotus ſtatus Religioſus omni populo, nam ſi eſſet ab Elia inſtitutus cum voto virginitatis, & in eo Monialium Monaſteria, vt adverſarij aſſerunt, non eſſet locus dubio, & facilis eſſet exitus Dominæ noſtræ, è templo, in quo votum emiſsit, ad aliquod Monialium Monaſterium.

80 Antecedens, in quo dubium Pontificis continetur probatur, ex Patribus illud referentibus: In primis Gregorius Niſſenus oratione de Sancta Chriſti Nativitate, ibi: *Deliberantes igitur in hanc ſententiam, diuinitus conuenerunt, vt eam connubij nomen cuipiam deſponderent; qui tamen ad cuſtodiam eius dumtaxat eſſet idoneus. etenim naturæ legis illam ſubijcere, vt cuipiam matrimonio collata, abſurdiſsimum videtur, inſtar enim ſacrilegij fuiſſet, ſi muneris Deo Sacri Dominus homo fieret, legibus enim erat conſtitutum, vt maritus dominaretur vxori, mulierem rurſus inter Sacerdotes in templo verſari, atque in Sanctis ædibus conſpici, nec lex, nec grauitas permittebat.* Simeon Metafraſtes dubium de voto Deiparæ virginis inter Pontifices, & Sacerdotes expreſsius refert in oratione de ortu, & dormitione Deiparæ, ibi: *Conſilium ceperunt quidnam ſacro illi corpori facientes, in Deum non peccarent,*

tam

eam enim legi naturæ ſubijcere, & eam dare in ſervitutem ei, qui eam duceret, videbatur abſurdiſsimum; exiſtimandum eſt enim planè ſacrilegium, ſi divini donarij, homo fieret Dominus, quandoquidem à lege eſt conſtitutum, vt maritus eſſet Dominus coniugis: vt autem in templo verſarentur mulieres cum Sacerdotibus, & inter eos viderentur, nec lege permittebatur, nec res erat honeſta. Hoc ipſum narrat Nizæphorus Calixtus lib. 2. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 7. ibi: *Conſilium Sacerdotes agitarunt, quid de ea ſtatuerent, ne in ſacrum eius corpus admittere quidquam viderentur ſacrilegum; nam ſe commiſſuros putabant, ſi vero eam coniungerent, atque in ſervitutem coniugalis legis redigerent, quæ ſimul Deo dicata eſſet, è diuerſo autem, puellam eo ætatis flore in ſacratiori templo verſari, nec permiſſum in lege putabant, nec rem ſatis honeſtam, nec decoram.* S. P. N. Hieronymus, vel Author operis de *Ortu Mariæ*, ibi: *Pontifex vero in anguſtijs conſtitutus animi, cum nec contra ſcripturam, quæ dicit vouete, & reddite, votum infringendum putaret, nec morem genti inſuetum introducere auderet, præcepit vt ad feſtiuitatem, quæ eminebat omnes ex Hieroſolymis, & vicinis locis primores, quod conſilium ſane poſſet, quid de tam dubia re faciendum eſſet, quod cum fieret, omnibus in communi placuit, Dominum conſulendum.*

81 Hæc hiſtoria à graviſsimis, & antiquis, ſatiſque receptis Doctoribus in Eccleſia euidenter probat tempore Deiparæ Dominæ noſtræ inſolitum, inauditumque, & contra morem populi Iudaici eſſe votum caſtitatis, vel virginitatis, quod etiam Summis Pontificibus, & Sacerdotibus ignotum fuiſſe, certum eſt ex relatis, ſiquidem Summus Pontifex conſilium congregat, in quo omnibus placuit Dominum conſulendum: ergo nec exemplaritas Chriſti, & voti Deiparæ, nec ſtatus Religioſus, nec Monaſteria aliqua Monialium, nec Monachorum, tunc exiſtebant, nec inſtituta antea fuerunt in populo Iudaico: quod ſuppoſita hiſtoria relata euidenter concluditur, ſed quia adverſarij contendunt, vt Monachatum circumciſſum ſuum probent in lege, mulieres aliquas in templo vſque ad mortem in virginitate perpetua permanſiſſe, notanda ſunt verba, & teſtimonia relata, ex quibus evidenter conſtat, virgines in templo permanſiſſe poſt nuptiarum ætatem, nec rem eſſe honeſtam, nec decoram, quod etiam docuit D. Ioannes Damaſcenus oratione 1. de *Dormitione Virginis*, de Domina noſtra, ibi: *Cum ad ætatis florem iam perveniret, atque intra ſepta templi manere lege prohiberetur, ſponſo, hoc eſt, virginitatis Cuſtodi Ioſepho traditur.* Et Hieronymus de *Ortu*

Ma-

Mariæ: *Pontifex publicè denuntiabat, vt virgines, quæ in templo conſtituebantur; & hoc ætatis tempus impleſſent, domum reverterentur, & nuptijs ſecundum morem gentis, & ætatis maturitatem operam darent.* Certum igitur eſt, exemplaritatem voti virginitatis, neque in Chriſto, neque in Maria Domina noſtra revelatam fuiſſe populo Iudaico, nec aliquos virgines ex voto perpetuo permanſiſſe in illa lege, falſamque eſſe novam exemplaritatem adinventam ab adverſarijs, vt Monachatum circumciſſum defendant ab impugnationibus, & argumentis deductis ex communi doctrina Sanctorum Patrum.

82 Falſitas prædictæ exemplaritatis oſtenditur, nam revelato Monachis circumciſsis voto virginitatis Deiparæ Dominæ noſtræ, ab inſtitutione illius ſtatus Religioſi, ſcirent Monachi circumciſsi, & Moniales veteris legis, verbum æternum aſſumpturum carnem ex virgine, & naſciturum ex ea, Deo voto conſecrata, ac perconſequens Myſterium incarnationis, quod vocant Patres ſecretum illis ſæculis occultum, publicum eſſet inter Monachos circumciſſos, & inter Moniales Elianas; ſed hoc dici non poteſt: ergo exemplaritas, vt ponitur revelata, eſt falſa. Antecedens non poteſt negari ab adverſarijs, quia in ipſa exemplaritate ſupponitur revelatum votum Matris Chriſti futuri, vt ad eius exemplar votum emitterent Monachi circumciſsi Eliani: ergo ab origine illius Religionis ſcirent Monachi circumciſsi, quod Chriſtus, quem ſperabant naſciturus erat ex Matre Virgine Deo voto ſacra, ac perconſequens fidem expreſſam haberent incarnationis verbi æterni ex virgine.

83 Minor in SS. PP. eſt certa, & probatur ex Parenti noſtro Hieronymo in cap. 53. Iſaiæ, vbi de temporali Chriſti conceptu ex Virgine, ait ibi: *Denique cum Mariæ diceretur ab Angelo: concipies, & paries filium, illa reſpondit; vnde mihi hoc, quia virum non cognovi, cui rurſum Angelus, ſpiritus, inquit, ſanctus veniet ſuper te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi, vt vel ab Angelo, vel ab Evangeliſta tantum Natiuitatis huius Sacramenta dicantur.* Hoc ipſum docet S. Doctor in cap. 7. vt infra videbimus: ergo Maximus Eccleſiæ Doctor Natiuitatem Chriſti Domini ex Virgine occultam illis ſæculis fuiſſe docet, vſque ad Annunciationem Angeli, & Evangelicam prædicationem, quæ quidem doctrina approbata eſt ab Eccleſia in Officio Conceptionis die octauo ex Homilia 22. Div. Ioannis Chryſoſt. in Matth. quæ legitur ad Matutinum, lect. 9. ibi: *Poſſumus vero aliam quoque, & altiorem quidem proferre rationem, ob quam*

quam parentes virginis prætermiſsi ſunt, ſed quæ ea eſt? Noluit Euangeliſta recenti adhuc tempore noui illius, admirandique partus Iudæis eſſe manifeſtum; quod Chriſtus natus eſſet ex Virgine: ergo ex ſententia D. Ioannis Chryſoſtomi, quam tenet approbatam Eccleſia, non ſolum ante Chriſti Domini adventum, ſed etiam poſt eius Natiuitatem recenti Euangeliſtarum tempore ignotum fuit Iudæis, quod Chriſtus Dominus natus eſſet ex Virgine: ergo exemplaritas illa Eliana, in qua omnibus Monachis circumciſsis reuelabatur partus Chriſti futuri ex Virgine, Deo voto conſecrata, imaginatio quędam noua eſt contra SS. PP. & Eccleſiæ doctrinam. Idem habetur in Homil. S. Ambroſij, quæ ab vniuerſa Eccleſia recitatur, Feria 6. infra Hebdomadam 3. adventus, lect. 1. ibi: *Morale eſt omnibus, vt qui fidem exigunt, fidem aſtruant. Et ideò Angelus, cum abſcondita nuntiaret, vt fidem aſtrueret exemplo ſenioris fœminæ ſterilisque, conceptum Virgini Mariæ nuntiauit; vt poſsibile Deo omne, quod ei placuerit, aſſereret.* Erat igitur abſconditus conceptus Virginis: ergo Monachis, & Monialibus Elianis non fuit reuelatus, nam Angelus non indigeret exemplo ſterilis vti, vt fidem aſtrueret myſterii Elianis prærevelati.

84 Non ſolum Sanctis Patribus noua exemplaritas repugnat; ſed etiam ipſi Euangelio videtur opponi; nam ſi attente conſiderentur Annunciatio incarnationis ad Virginem, & reſponſio Virginis ad Angelum, nec ipſi Deiparæ Dominæ noſtræ revelatam fuiſſe Conceptionem Verbi Æterni ex Matre Virgine cum voto videtur; licèt ſingulari revelatione revelata eſſet Virginitas Matris, nam Angelo prænuntianti Deiparæ incarnationem Verbi Divini, vel dubitantèr ex Auguſtino, vel modum inquirens ex D. Ambroſio, reſpondit ſtupefacta Virgo Maria: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Ex voto Virginitatis interrogatio procedit, ſecundum Patres: ergo videtur, quod non fuerit ei revelatum votum Virginitatis Matri Meſiæ, quem ſperabat futurum, quia non dubitaret ex voto, ſi ei fuiſſe revelatum votum Matris Mariæ futuræ, quod ſatis manifeſtum eſt in D. Thoma ex prædictis Patribus Auguſtino, & Ambroſio, 3. part. quæſt. 30. art. 3. ad 2. ibi: *Ad ſecundum dicendum, quod Ambroſius expreſsè dicit ſuper Lucam, quod B. Virgo de verbis Angeli non dubitauit; dicit enim temperantior eſt Mariæ reſponſio, quam verba Sacerdotis: hæc ait, quomodo fi et iſtud, ille reſpondit, vndè hoc ſciat, negat ille ſe credere, quod negat iſta ſe ſcirè, non dubitat eſſe faciendum, quod, quomodo fieri poſſit, inquirit. Auguſtinus tamen videtur dicere, quod dubitauerit, dicitur enim in libro*

bro qq. veteris, & noui teſtamenti: Ambigenti Mariæ de conceptu, poſsibilitatem Angelus prædicat; ſed talis dubitatio magis eſt admirationis, quam incredulitatis.

85 Ex relatis verbis D. Thomæ conſtat ex Ambroſio, quod B. Virgo Domina noſtra conceptum ex Virgine ab Angelo annuntiatum credens, ſe illum ſcire in reſponſo ad Angelum, negavit, & ex Auguſtino, quod de poſsibilitate ſtupefacta admirationem dubitanter explicuit ſecundum Div. Thomæ piam explicationem; ergo Deiparæ Dominæ noſtræ videtur, quod non fuerit revelatum votum Virginitatis futuræ Matris Meſiæ, quem ſpectabat venturum: Si vero omnibus Monachis circumciſsis, cum quibus (vt aſſerunt adverſarii) familiaris fuit Virginis converſatio, revelatum fuit votum Virginitatis futuræ Deiparæ, & conceptus Divini Corporis Chriſti futuri ex Spiritu Sancto, quid miratur Maria ſtupefacta propter votum virginitatis emiſſum? Vt quid dubitanter reſpondit Angelo, propter votum, quod in futura Chriſti Domini Matre, omnibus Monachis circumciſsis revelatum, & notum erat in exemplaritate præviſſa, de quo, neque antiquorum Monachorum circumciſſorum legitur dubitatio, nec eorum propugnatores dicuntur dubitaſſe? Ergo expreſsior, & perfectior eſſet revelatio facta circumciſsis Monachis in exemplaritate Chriſti naſcituri ex Virgine, & ipſius virginis voti, quam ipſi Deiparæ in ipſo incarnationis facto, ſiquidem Deipara dubitanter interrogat, admiratione mota, de quo nullus dubitauit ex Monachis circumciſsis.

86 Nec valet dicere, quod nota erat in veteri teſtamento, & Synagoga prophetia de Virginitate Deiparæ per Iſaiam, cap. 7. ibi: *Ecce Virgo concipiet, & pariet*: ergo ex hac prophetia potuerunt Monachi circumciſsi Virginitatem Deiparæ intelligere, & votum, vt illud imitarentur in ſua profeſsione: non, inquam, hoc valet, nam virginitatem prophetauit Iſaias, & votum non fuit notum vſque ad Evangelium: quid igitur intellexerunt Iudæi ex hac prophetia Iſaiæ, explicuit S. P. N. Hieronymus contra Elvidium, ibi: *Quis enim in tempore illo Virgini credidiſſet, de Sancto ergo Spiritu eam concepiſſe, veniſſe ad eam Angelum Gabrielem, Dei detuliſſe mandatum, ac non magis quaſi adulteram iuxta exemplum Suſanæ, ſententiæ omnium condemnaſſent, cum hodie iam toto credente mundo, argumententur Iudæi, Eſaia docente de Maria, & Virginitate eius. Ecce Virgo in vtero concipiet filium, in Hebræo iuvenculam ſcriptum eſſe, non virginem? Adverſus quos in alio loco competentius differemus; denique excepto Io-*

ſeph,

ſeph, & Eliſabeth, & ipſa Maria, paucis quemadmodum, ſi quos an diſſe, ab his poſſumus exiſtimari, omnes Ieſum filium exiſtimabant Ioſeph, in tantum, vt etiam euangeliſtæ opinionem vulgi exprimentes, quæ vera hiſtoriæ lex eſt, Patrem eum dixerint Salvatoris. Verba Doctoris Maximi luce meridiana clariora ſunt contra prætenſam exemplaritatem Monachis circumciſsis revelatam, & in ea votum Deiparæ cognitum, non ſolum in diebus Eliæ, ſed etiam in ipſo tempore Nativitatis Matris, & filij; nam etiam poſt natum Chriſtum exceptis Ioſeph, Eliſabeth, & Maria, & paucis, ſi ab eis audiviſſe exiſtimare poteſt omnibus alijs Conceptio Chriſti ex Virgine minimè cognita erat. Exiſtebant tunc ex Elianis diſcipulis quamplurimi, vt adverſarij contendunt, nullus ſcivit Chriſtum Dominum natum ex Virgine, ſed ex Ioſepho genitum credebant Meſiam: ergo falſa eſt, ſecundum Divi Hieronymi Patris noſtri doctrinam, exēplaritas voti virginitatis Deiparæ revelata omnibus Monachis circumciſsis, quod patet, nam, vel natum ex Virgine prædicarent iuxta exemplaritatem revelatam, vel non crederent eſſe Meſiam eis revelatum Ioſephi filium iuxta opinionem vulgi, repugnat etiam doctrinæ D. Auguſtini exemplaritas noviter introducta, nam ſi vera eſſet, ſequeretur quod Monachis omnibus circumciſsis revelata fuiſſet obedientia Chriſti Domini ad Patrem, vt ad eius exemplar votum obedientiæ emitterent, vndè Iudæi ſcirent in divinis eſſe Patrem, & filium; ſed hoc negat Auguſtinus fuiſſe revelatum Iudæis, in Ioannem cap. 13. ad illa verba: *Manifeſtaui nomen tuum hominibus,* ibi: *In hoc vero, quod Pater eſt huius Chriſti, per quem tollit peccata mundi, hoc nomen eius prius occultum omnibus, nunc manifeſtauit eis; quos dedit ei Pater ipſe de mundo.* Idem docet ſerm. 197. de Trinitate: ergo exemplaritas obedientiæ Patris ad filium revelata Monachis circumciſsis, oponitur doctrinæ D. Auguſtini, qui omnibus nomen Patris docet occultum. Fides Trinitatis non fuit revelata, vſque ad Baptiſmum Chriſti, quo ianuas Coeli aperuit, ideò Patres veteris teſtamenti deſcendebant in Lymbum. Alio principio ex D. Auguſtino petito, dicta exemplaritas reijcitur; nam in ea revelarentur Iudæis circumciſsis Monachis, & ex eis omni populo Crux Chriſti amplectenda, ſequella eius vitæ cum abnegatione ſui ipſius, & ſcirent Monachi, & Moniales mortem Chriſti, & moriturum expectarent Iudæi à Monachis inſtructi, quod Auguſtinus expreſsè negat, libro 17. de Civitate Dei, cap. 18. ibi: *Iudæi autem, Chriſtum quem ſperabant, moriturum eſſe non ſperabant.* Ergo ſecundum D. Auguſtini doctrinam prædicta exemplaritas ad inſtituendum

ſtum verum ſtatum Religioſum, non poteſt admitti in veteri lege.

87 Ex eodem D. Auguſtino, & D. Thoma falſitas novæ exemplaritatis concluditur, nam Chriſtus Dominus revelatus Monachis circumciſis, vt verus ſtatus Religioſus conſtitueretur in illa lege, eſſet exemplar illorum, quæ legi veteri non conveniebant, hoc non poteſt dici: ergo nec exemplaritas illa admitti. Antecedens probatur, nam ſecundum Div. Auguſtinum, ſupra in hoc §. laudatum. Secundum ordinatiſsimam diſtributionem temporum, dedit Deus minora præcepta populo convenientiora ſub lege timoris, & ſervitutis; ſed ſecundum D. Thomam ſupra relatum §. 2. in 1. 2. quæſt. 108. art. 4. in corp. in lege veteri non conveniebant conſilia, quibus ſtatus Religioſus conſtituitur: ergo ſecundum Auguſtinum, & Div. Thomam, exemplaritas Chriſti Domini præviſi ad vota Religioſa emittenda, daretur ad illa quæ non conveniebant in veteri lege.

88 Sed dicunt adverſarij, quod ex vi exemplaritatis Chriſti Domini præviſi inſtitutus fuit ab Elia verus ſtatus Religioſus in veritate evangelica, qui quidem ante Chriſti Domini adventum, & mortem, erat Evangelicus, vnus & idem cum Chriſtiano à Chriſto Domino (vt dicunt) poſtea amplectendo, ſic ex neceſsitate conſequentiæ dicere debent, præcipuè Hiſtoricus propheticus, lib. 1. cap. 1. num. 8. edit. 1630. aſſerit quod Chriſtus Dominus approbavit ſtatum Religioſum, antea ab Elia inſtitutum, & fundatum, & alibi ſæpè aſſerit, quod ille ſtatus veteris teſtamenti fuit ante Chriſtum Dominum Chriſtianus, & ante evangelium evangelicus, ex quibus ad noſtrum argumentum reſpondere poſſunt, quod licèt conſilia evangelica non eſſent convenienter revelata populo ſub lege ſervitutis, eſſet tamen congruenter revelata in Chriſti exemplaritate Monachis circumciſis, vt vota ſua emitterent in veteri teſtamento in ſtatu illo Religioſo cum evangelico.

89 Sed hoc opus hic labor eſt, & dicta probare debent adverſarij, ſcilicèt, quod eſſet ſtatus verus Religioſus in veteri lege; nam probare ſtatum Religioſum per exemplaritatem, & exemplaritatem per verum ſtatum Religioſum, circulus manifeſtus eſt, & ſine ratione volvitur, & circulatur, ex hoc quidem circulo eadem inconvenientia ſequuntur, quæ probata ſunt ſuperioribus §§. ſcilicèt, quod Regnum Cœlorum, & præmia æterna, ſecretaque cœleſtia, revelata fuiſſent non ſolum Monachis,

chis, & Monialibus circumciſsis, ſed ex conſequenti omni popùlo Iudaico, & nunc ſpeciali diſcurſu inſurgimus contra prædictam ſolutionem, quod vt melius percipiatur, ſupponenda eſt diſtinctio ſtatuum populorum veteris, & novi teſtamenti; lex vetus conſtituebat populum Iudaicum in ſtatu ſervitutis in illa veteri Synagoga, lex vero gratiæ evangelica conſtituit populum Chriſtianum in ſtatu libertatis in Chriſti Eccleſia; hæc certè doctrina Catholica eſt ab Apoſtolo Paulo ſæpiſsimè repetita, & in ſuis Epiſtolis tradita & ad Romanos cap. 8. verſ. 15. ibi: *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore.* Et D. Gregorius Magnus lib. 14. Moral. cap. 19. ibi: *Quid enim Iudaicus populus, niſi ſervus fuit, qui non amore filij obſequebatur Domino, ſed timore ſervuli?* Veri circumciſsi Monachatus propugnatores contendunt ſtatum Religioſum ab Elia fundatum, non eſſe vmbraticum, & figurativum, ſed verum, & evangelicum, vnum ipſumque cum ſtatu Religioſo Chriſtiano, & ea tenacitate defendunt hanc concluſionem; vt Pater Franciſcus de Villavieja in ſuis comitijs provincialibus Abulæ defendendum propoſuit die 11. Maij, anno 1688. in quinta concluſione poſſe credi fide divina Theologia, vel ad minus fide divina communiter dicta, & aſſenſu ſupernaturali infalibili, qui falſo ſubeſſe non poſsit.

90. Neque obſtat diſcurſui facto Angelici Doctoris, & Div. Auguſtini communis doctrina qui de Sanctis veteris teſtamenti loquentes ſæpè dicunt, magis pertinere ad evangelium, quam ad veterem legem: ergo etiam illi Monachi circumciſsi in illo ſtatu evangelico, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam in veteri teſtamento inſtituto ab Elia magis pertinerent ad evangelium, quam ad legem veterem, idemque poteſt dici de ſtatu vero Religioſo inſtituto ex Chriſti exemplaritate.

91 Nam contra eſt, quod §. 1. ſupponimus ex Div. Thoma, ſcilicèt quod ex perſonis particularibus ad ſtatum communem non valet argumentum, quia perſona particularis, & Sancti, iuſtique veteris legis interna Dei gratia divinitus communicata perfecti potuerunt eſſe, & ſub illa lege ad evangelicum pertinere, quantum ad divinum iudicium, at vero ſtatus publicus lege aliqua externa conſtitui debet, quoad iudicium publicum Eccleſiæ, vndè iuſti illi per internam gratiam Chriſti futuri pertinerent ad evangelium, at vero Monachi circumciſsi per externam, & ſenſibilem profeſsionem conſtituerentur in ſtatu publico vere evangelico,

quod

quod repugnat ipſi evangelio, nam ante Chriſti baptiſmum nullum fuit ſignum ſenſibile ſtatus veri evangelici.

92 Tùm etiam, quia ſecundum D. Thomam, & Auguſtinum ſolum pertinebant ad evangelium iuſti illi, & Sancti ex Chriſti gratia interna iuſtificati, ſed conſtituto, vel inſtituto ſtatu vero Religioſo quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelico, non ſolum Monachi iuſti, ſed etiam iniuſti pertinerent ad evangelium per ſuam profeſsionem, ex exemplaritate Chriſti emiſſam: ergo ipſa doctrina D. Thomæ, & Auguſtini impugnatur effugium adverſariorum: Antecedens notum eſt, nam illi Monachi circumciſi, ſivè iuſti, ſivè iniuſti eſſent in vero ſtatu, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelico, vt aſſerunt adverſarij, quia vt ait Div. Thomas infra relatus, §. 1. poteſt aliquis eſſe in ſtatu perfectionis, & non eſſe perfectus. De quo infra 2. part. diſc. 5. §. 7. in quo adverſarijs reſpondebitur.

93 Ex Div. Paulo etiam impugnatur prædicta exemplaritas, vt proponitur ab adverſarijs revelata ad conſtituendum verum ſtatum Religioſum quoad eſſentiam, & ſubſtantiam evangelicum in veteri lege; quia ſi in illa fuiſſet hic ſtatus verus Religioſus, ex Chriſti exemplaritate inſtitutus, ex eadem exemplaritate eſſet ſtatus libertatis, & omnes ſub illo contenti eſſent, liberi à ſervitute legis quoad eſſentiam, & ſubſtantiam; ſed hoc eſt falſum, & contra doctrinam D. Pauli; ergo prædicta exemplaritas non poteſt concedi, in veteri lege ad conſtituendum verum ſtatum quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicum. Maior videtur certa; nam implicat, quod ille ſtatus Religioſus extiterit in veteri teſtamento quoad ſubſtantiam, & eſſentiam verè, & non figurativè evangelicus, vel idem, & continuatus cum evangelico, & quod non fuerit quoad ſuam eſſentiam, & ſubſtantiam liber à ſervitute illius legis, ex vi legis illum conſtituentis, nam eſſe ſtatus verè evangelicus quoad ſubſtantiam, & quoad ipſam ſuam ſubſtantiam eſſe ſub ſtatu ſervitutis, & figuratiuo, eſt eſſe verus, & figurativus, & liber quoad ſubſtantiam à ſervitute legis, & ſub ſervitute legis, quod implicat.

94 Minor probatur ex Div. Paulo ad Galatas 4. verſ. 1. ibi: *Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, cum ſit Dominus omnium, & ſub tutoribus, & actoribus eſt, vſque ad præfinitum tempus à Patre, ita, & nos cum eſſemus parvuli ſub elementis mundi eramus ſervientes, at vbi venit plenitudo temporis, miſsit Deus filium ſuum factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem*

filiorum reciperemus: ergo ante Chriſti Domini adventum, & præfinitum tempus à Patre, nullus fuit ſtatus quoad ſubſtantiam, & eſſentiam verè Religioſus, & idem cum evangelico, qui eſt ſtatus legis libertatis. Confirmatur, quia nullus poteſt concipi ſtatus verè Religioſus ſicut evangelicus, quin fuerit liber à ſervitute illius legis, nam ſi eſſet ſub illa, verè vmbraticus extitiſſet, ſicut omnis populus Iudaicus; ſed non poteſt intelligi in veteri lege ſtatus quoad ſubſtantiam liber à ſervitute illius: ergo neque ſtatus verè Religioſus inſtitutus ex Chriſti exemplaritate. Minor probatur: ex eodem Div. Paulo, non poteſt intelligi in illa lege ſtatus verus Religioſus, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicus, & legis libertatis inſtitutus ex Chriſti exemplaritate, quin fuerit etiam liber à maledicto veteris legis; ſed ante adventum Chriſti Domini, & eius crucem, & mortem, nullus fuit ſtatus hominum in populo Iudaico liber à maledicto legis: ergo neque liber à ſervitute illius, & verè quoad ſubſtantiam, & eſſentiam ſtatus libertatis. Maior eſt certa, quia eadem redemptione, qua Chriſtus Dominus liberauit populum Iudaicum à ſervitute legis, redemit illum à maledicto illius. Minor probatur ex Div. Paulo ad Galatas cap. 3. verſ. 13. ibi: *Chriſtus nos rederuit de maledicto legis, factus pro nobis maledictus, quia ſcriptum eſt, maledictus homo, qui pendet in ligno*: ergo ſicut nullus concedi poteſt ſtatus in veteri lege liber à maledicto illius ex Chriſti exemplaritate ante mortem ipſius, & paſsionem, ita neque verus ſtatus Religioſus, verè quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicus inſtitutus ex eadem exemplaritate, quia alias antea fuiſſet ſtatus in populo Iudaico redemptus à Chriſto Domino prævifo in genere cauſæ exemplaris, quam fieret redemptio hominum ab eodem Chriſto Dño in genere cauſæ efficientis per ſuam mortem, & paſsionem.

95 Nec valet dicere, quod eſſet ille ſtatus verus veritate evangelica, ſed non evangelica perfectione, nam vt ſupra vidimus, hæc nova excogitatio verè effugium eſt ſine veritate, & nunc iterum reijcitur, & impugnatur, nam ſi ex illa exemplaritate Chriſti præviſa, eſſet in illa lege inſtitutus verus ſtatus Religioſus veritate evangelica, licèt non evangelica perfectione, introduceret Deus in illa lege, & in manufacta ſancta illius, exemplaria verorum legis gratiæ, ſed hoc eſt contra doctrinam D. Pauli: ergo non eſt admittenda prædicta exemplaritas. Maior eſt certa, nam adverſarij introducunt in vetus teſtamentum, & Synagogam veritatem evangelicam ſtatus Religioſi legis gratiæ. Minor probatus ex Div. Paulo ad Hebræos cap. 9. verſ. 23. ibi: *Non enim in manufacta ſancta introiuit*

Chri-

Chriſtus exemplaria verorum, ſed in ipſum Cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. In quibus verbis S. Ioannes Chryſoſtomus virtutem, & veritatem euangelij intelligit Homil. 16. ad illum locum, ibi: *Nam quæ formam habent alicuius, tantum exemplar habent, non autem virtutem, ſicut in imaginibus exemplar hominis habet imago, non etiam virtutem*: ergo non poteſt concedi in Synagoga exemplaritas Chriſti Domini reuelata ad ſtatum aliquem conſtituendum Religioſum, qui quoad ſubſtantiam, & eſſentiam in veritate, & virtute euangelica eſſet inſtitutus in veteri lege.

96 Eſt & aliud principium contra prædictam exemplaritatem, quo falſitas eius, & inutilitas manifeſtantur, nam nullus poteſt excogitari verus ſtatus Religioſus ex Chriſti exemplaritate inſtitutus imperfectior ſtatu communi vitæ Chriſtianorum, ſed ille ſtatus Religioſus in veteri lege adhuc ex Chriſti exemplaritate inſtitutus, imperfectior eſſet ſtatu communi Chriſtianorum ſine conſilijs euangelicis degentium: ergo fruſtra ponitur illa exemplaritas Chriſti Domini ad inſtituendum illum ſtatum Religioſum verum in populo Iudaico. Maior eſt certa, & ab aduerſarijs negari non poteſt, nam ſi ille ſtatus Religioſus Iudaicus eſſet imperfectior ſtatu communi Chriſtianorum, nec eſſet verus ſtatus Religioſus, nec vnus, & idem cum euangelico, vt defendunt. Minor probatur, nam ille ſtatus eſt imperfectior, in quo ex vi illius, & legis ſub qua eſt, non poteſt acquiri finis diuinæ legis; ſed in ſtatu illo Religioſo Iudaico, neque ex vi illius, neque ex vi legis ſub qua erat, potuiſſent profitentes illum finem diuinæ legis acquirere in veteri teſtamento, & ſub ſtatu communi vitæ Chriſtianorum ex vi illius, & legis gratiæ, ſub qua conſtituitur, poſſunt Chriſtiani omnes acquirere finem diuinæ legis: ergo ille ſtatus Religioſus Iudaicus imperfectior eſſet ſtatu communi vitæ Chriſtianorum. Maior ſylogiſmi eſt certa, & minor probatur, nam in veteri teſtamento, neque ex vi legis communis, neque ex vi legis particularis illius ſtatus, poterant iuſtificari Monachi in illo ſtatu profitentes, nec finem vitæ æternæ conſequi, quia alias eſſet ſtatus ſub lege ſeruitutis, qui ex ſe haberet virtutem legis gratiæ, at ſub ſtatu communi vitæ Chriſtianorum, & legis gratiæ quilibet Chriſtianus ex lege poſſet iuſtificari, & finem illius acquirere: ergo hic ſtatus perfectior eſſet ſtatu illo Religioſo circumciſſo. Diſcurſus procedit, ex doctrina D. Thomæ 2. 2. quæſt. 106. art. 1. in corp. ibi: *Quod eſt potiſsimum in lege noui teſtamenti, & in quo tota virtus eius conſiſtit, eſt gratia Spiritus Sancti, quæ datur per fidem Chriſti.* Quod probat

 ex

ex Paulo ad Romanos 8. dicente: *Lex vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati, & mortis.* Cum autem nulli ſtatui data fuerit gratia Spiritus Sancti in veteri teſtamento, nullus concedendus eſt ſtatus Religioſus in eo qui ſtatu communi vitæ Chriſtianorum imperfectior non fuerit.

97 Ex eodem D. Thoma dictum confirmatur, ideò cæremoniæ veteris legis non poterant in ſe continere realiter virtutem profluentem à Chriſto incarnato, & paſſo, ſicut continent ſacramenta novæ legis, quia myſterium incarnationis, & paſsionis Chriſti non dum erat realiter peractum: ergo dato, & non concesſo, quod illis Monachis circumciſsis revelata fuiſſet Chriſti Domini futuri exemplaritas, vt vota emitterent in illo ſtatu, non haberent virtutem profluentem à Chriſto Domino incarnato, & paſſo, quia myſterium incarnationis, & paſsionis non dum erat realiter peractum, ac per conſequens non eſſent vota vera veritate evangelica; ſed vmbratica, & figuratiua. Confirmatur, quia vota illa in veteri teſtamento emiſſa ad Chriſti exemplaritatem, vel ligare poterant, & iuvare non poterant ex ſe, vel ex lege illa, vel ex ſe, & ex illa lege veteri iuvabant ad conſequendum finem divinæ legis, ſi ligare poterant, & iuvare ex ſe non poſſent, eſſent inſtrumenta inania, & vacua, figura tantum, & vmbra votorum legis gratiæ, quia nec veritatem, nec virtutem haberent, ſicut ipſa lex vetus: Si ex ſe iuvare poterant ad conſequendum finem divinæ legis, adimpleret Chriſtus Dominus prævisus ex ſua exemplaritate revelata inſtrumenta legis divinæ in veteri teſtamento, antequam ipſam legem adimpleret in novo, ſua morte realiter peracta, eſſetque illa lex à Deo data, imperfecta, inanis, & vacua ſine virtute, & veritate legis gratiæ, & inſtrumenta data ab Elia in votis Religioſis eſſent perfecta, vera, & ſufficientia ex ſe ad conſequendum finem divinæ legis, ſicut in lege Chriſti Domini in tempore gratiæ.

98 Sed poſſunt reſpondere adverſarij diſtinguendo in lege gratiæ veritatem à virtute, & concedere, quod ille ſtatus Religioſus circumciſſus haberet veritatem legis gratiæ, ſed non virtutem, vndè eſſet verus veritate evangelica, & non haberet virtutem illius ad finem legis acquirendum; ſed inſubſiſtens eſt iſta diſtinctio, nam veritas evangelij, de qua loquimur, eſt ipſa virtus evangelij data cum gratia ſecundum illud Ioannis cap. 1. verſ. 17. ibi: *Lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Certum eſt veterem illam legem veram fuiſſe veritate litteræ, & vera continuiſſe præcepta populum verè obligantia, ſed quia virtutem non

habebat ad iuſtificandum, & iuvandum ad illa adimplenda, inanis dicitur à D. Paulo, & veritatis quam præfigurabat vacua: itaque ab eodem Apoſtolo Paulo de ea dicitur ad Hebræos cap. 10. verſ. 1. ibi: *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum.* Vbi D. Chryſoſtomus Homil. 17. explicat, ibi: *Hoc eſt non ipſam veritatem*: ergo ſi ille ſtatus Religioſus circumciſſus virtute evangelij careret, nullo modo veritatem potuit habere evangelicam, eſſetque vmbra ſtatus veri Religioſi legis gratiæ.

99 Deindè, quia ſacramenta, & cæremoniæ veteris teſtamenti, licèt veritate litteræ eſſent vera ſacramenta, & cæremoniæ, quia virtutem legis gratiæ, quam præfigurabant non habebant, virtute quoque evangelij carebant, & populum figurativum conſtituebant: ergo etiam vota illa ſi extiterint in veteri teſtamento, licèt obſervarentur in illa lege, ſtatum conſtituerent vmbraticum, & figurativum, & non verum veritate evangelica: vndè adhuc admiſſa Chriſti exemplaritate reuelata ad ſtatum Religioſum conſtituendum, verus non eſſet, ſicut euangelicus, quia Chriſtus Dominus vt exemplar non ei dediſſet virtutem, & veritatem evãgelicam, quod ſatis colligitur ex D. Chyſoſt. ſupra citatus ſuper epiſtolam ad Hebr. Homil. 17. ibi: *Proindè veritas, & exemplar communicant invicem, exemplar enim æquale eſt, virtus autem nequaquam, ſic etiam in Cælo, in tabernaculo quippè æquale exemplar eſt; Sancta enim erant, virtus autem, & cætera non eadem.* Ergo licèt ille ſtatus Religioſus eſſet inſtitutus ab Elia ex Chriſti exemplaritate, & exemplar eſſet futuri ſtatus Religioſi novi teſtamenti figurativus, ſymbolicus, & vmbraticus fuiſſet futuri ſtatus Religioſi evangelici, ſicut tabernaculum, & cætera veteris legis, quæ exemplaria futurorum erant, quia eamdem virtutem legis gratiæ in veteri teſtamento non habebat. Confirmatur, quia & ſi fideles illius populi Iudaici potuerunt per fidem coniugi Chriſto incarnato, & paſſo, & ita iuſtificari, quorum fides, & obſervatio cæremoniarum quædam proteſtatio erat, quod illum ſperabant venturum, & ſic iuſti ad legem gratiæ magis pertinebant, vt diximus ex D. Thoma, & Auguſtino, tamen totus ſtatus illius populi, & iuſtorum figurativus erat, vt ex eiſdem Doctoribus ſupra probavimus: ergo licèt illi Monachi circumciſi, quos negamus, vota emitterent ſub lege ex Chriſti exemplaritate, & ex fide ipſius venturi iuſtificarentur, ad legemque gratiæ magis pertinerent, quam ad vetus teſtamentum, ſtatum tamen Religioſum conſtituerent figurativum, & vmbraticum, non verum veritate evangelica legis gratiæ, & Chriſti Domini adventu ceſſaret cum

Sacerdotio, & lege, ac perconſequens nullo modo potuiſſet eſſe vnus, & idem quoad ſubſtantiam, & eſſentiam cum evangelico, vt adverſarij contendunt.

100 Denique confirmatur ex doctrina D. Thomæ in 3. p. quæſt. 28. art. 6. vbi in argumento *ſed contra* docet ex Auguſtino, quod baptizati baptiſmo Ioannis, poſtea baptizandi erant Chriſti baptiſmo. Et in corpore irrationalem appellat penitus ſententiam Magiſtri in 2. diſtinct. 4. aſſerentis, quod illi, qui ſpem non poſuerunt in baptiſmo Ioannis, & Patrem, & filium credebant, non fuerunt poſtea baptizati, ſed impoſitione manuum ab Apoſtolis ſuper eos facta Spiritum Sanctum receperunt. Dictum Magiſtri impugnat Angelicus Præceptor in corp. ibi: *Quia baptiſmus Ioannis, neque gratiam conferebat neque caracterem imprimebat, ſed erat ſolum in aqua, vt ipſemet dicit Matth. 3. vndè baptizatis fide, ſpe, quam habebant in Chriſto, non poterant hunc effectum ſupplere.* Ex quibus ſic argui poteſt. Baptiſmus Ioannis receptus in fide, & ſpe Chriſti præſentis, non fuit verum baptiſma legis gratiæ, neque eius virtutem, & veritatem habuit ante Chriſti mortem, quia gratiam ex ſe non conferebat, quem effectum, fides, & ſpes baptizatorum tunc ſupplere non poterant, nec veri baptizati erant illud baptiſma recipientes: ergo neque ſtatus Religioſus, ſi extitiſſet in veteri lege cum votis ex Chriſti exemplaritate, & fide inſtitutus, verus eſſet, nec idem quoad veritatem, eſſentiam, & ſubſtantiam cum evangelico, nec profitentes eſſent veri Monachi, quamvis ſuam profeſsionem, & vota emiſiſſent in fide, & ſpe Chriſti futuri. Conſequentia patet ex paritate, & identitate rationis, quia baptiſmus Ioannis fuit inſtitutus in fide Chriſti præſentis, eius ritus non fuit ab homine, ſed ab ipſo Deo datus, quia familiari Spiritus Sancti revelatione miſsit Ioannes ad baptizandum; præparatorius erat ad Chriſtum, Miniſter fuit Ioannes à quo Chriſtus Dominus voluit etiam baptizari, inſtitutus fuit in eadem materia baptiſmi legis gratiæ, recipiebatur orto iam ſole iuſtitiæ, & in ſpe, & fide lucis illius, quæ illuminat omnem hominem, & tamen non fuit verum baptiſma euangelicum; ſed vmbraticum, & figurativum: ergo neque ille ſtatus Religioſus ab Elia in veteri lege ex impoſsibili admiſſus veritatem euangelij attingeret, licèt fuiſſet inſtitutus ex exemplaritate Chriſti. Quantis igitur ſit exemplaritas Chriſti, vt ab adverſarijs noviſſimè ponitur, implicata difficultatibus, ex Sacra Scriptura, & Sanctorum Doctorum Patrum doctrina ab Eccleſia recepta oſtendimus, cum autem ſine prædicta exemplaritate verus Monachatus cir-

circumciſſus ſubſiſtere non poſsit, totus ruit in lege gratiæ ille veteris teſtamenti ſtatus Religioſus in Dei Eccleſiam introductus, ſed ne noſtro dircurſui ſatisfidere videatur, ad Sanctos Patres accedimus, & in ſuis Eccleſiæque teſtimonijs manifeſtum fiet verum ſtatum Religioſum in Chriſto Domino incepiſſe, ab Apoſtolis fundatum, & in Dei Eccleſia natum: An Elias ex hac exemplaritate eſſet idoneus Miniſter Chriſti ad ſtatum Religioſum verum inſtituendum, infra 2. part. diſcurſ. 6. §. 6.

DISCURSUS SECUNDUS.

Authoritate Eccleſiæ, & SS. PP. oſtenditur nullum fuiſſe verum Monachatum in veteri teſtamento.

§. I.

Authoritas Sacræ Scripturæ adducitur, & ſenſu Eccleſiæ roboratur.

101 NOSTER Vincentius Lyrinenſis, qui quarto ſæculo floruit, in commentario ſuo contra Novatores, errorum omnium lapſus in novis doctrinis incepiſſe demonſtrat, Sanctorumque Patrum antiquam ſemper in Chriſti Eccleſiã ſequendam ſuadet, & commendat amplectendam. Inter alia quæ ad novitates cognoſcendas obſervanda proponit, hanc ſecuriſsimam ſtatuit regulam, explicans illud Pauli: *O Thimothee depoſitum cuſtodi devitans profanas vocum novitates*, cap. 33. ait ibi: *Profanas, inquit, vocum novitates, vocum, ideſt, dogmatum, rerum, ſententiarumque novitates, quæ ſunt veſtuſtati, quæ antiquitati contrariæ, quæ ſi recipiantur, neceſſe eſt vt fides Beatorum Patrum, aut tota, aut certè magna ex parte violetur, neceſſe eſt, vt etiam omnium ætatum fideles, omnes ſancti, omnes caſti, continentes, virgines, omnes Clerici, Levitæ, & Sacerdotes, tanta Confeſſorum millia, tanti Martyrum exercitus, tanta vrbium, tanta populorum celeritas, & multitudo, tot Inſulæ, Provinciæ, Reges, Regna, gentes, nationes, totus poſtremo iam penè terrarum orbis per Catholicam fidem Chriſto Capiti incorporatos, tanto ſæculorum tractu ignoraſſe, erraſſe, blaſphemaſſe, neſciſſe, quid crederet*

deret pronuntiatur. Hucuſque Vincentius Lyrinenſis. Conſulantur igitur Patres, & Doctores, qui ab origine naſcentis Eccleſiæ in toto orbe terrarum floruerunt, & vix vllus reperietur, qui verum Monachatum cum votis præter Patres Carmelitas in Chriſto Domino incepiſſe non dicat, vndè verus Monachatus Iudaicus in veris votis evangelicis ab Elia inſtitutus, iure optimo à Dei Eccleſia, vt novum dogma excluditur: & propugnantibus illud dicere poſſumus, quod S. Pater Hieronymus epiſt. 55. ad Pamachium, & Occeanum cuidam Novatori dicebat, ibi: *Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod ante neſciuimus? Cur profers in medium, quod Petrus, & Paulus edere noluerunt; vſque in hunc diem ſine iſta doctrina, mundus Chriſtianus fuit.* Itaque, vt novitatem adverſariorum probemus, à Sacris Scripturis, & à Sanctis Patribus manifeſtum fiet antiquitati ignotum fuiſſe Iudaicum Monachatum verum, & ſemper apud Patres, & Doctores, vſque ad noſtrum ſæculum vota Religioſa à Chriſto fuiſſe inſtituta, ea, qua poſsimus brevitate oſtendemus.

102 In primis certum eſt, quod in Sacris Scripturis veteris, & noui teſtamenti non reperitur ſtatus iſte Religioſus verus Iudaico evangelicus, quod licèt negatiuo ſatis efficaci argumento probatur; nam in libro Eccleſiaſtici à cap. 44. vſque ad 50. viri glorioſi veteris legis ſummis celebrantur laudibus, nulluſque commendatur ex virginitate, neque ex votis Religioſis emiſsis, quinimo celebrantur pro præmijs, illorum divitiæ, & multiplicatio eorum, generationum in gloriam: ergo non fuit in illo populo verus ſtatus paupertatis, & caſtitatis cum voto, ſiquidem nullus inter tot viros glorioſos ex his votis laudatur; celebris enim eſſet Eliana Religio inter Iudæos, & in plurimis Monaſterijs virorum, & fœminarum obſervantia votorum floreret, vt aſſerunt adverſarij; ſed quis credet Spiritum Sanctum ſub ſilentio reliquiſſe vota, & conſilia euangelica, virtutes iuſtorum illius legis laudantem?

103 Diſcurſus adhuc vrgetur; nam S. Propheta Elias, vt adverſarij contendunt, fuit veri Religioſi ſtatus inſtitutor à Deo optimo, & maximo, vt Patriarcha omnium Religionum, & princeps Monachorum vtriuſque legis; propoſitus fuit etiam in Synagoga conſiliorum evangelij ex Chriſti exemplaritate inventor, quod ſi ita eſſet, maximè Sancti Prophetæ gloriam ſuper omnes illos iuſtos veteris teſtamenti extolleret; ſed Sanctus Propheta Elias in cap. 48. Eccleſiaſtici ex multis virtutibus, & factis nomina-

natim laudatur, & commendatur, & nil de votis Religioſis, neque de inſtitutione veri Monachatus dicitur: ergo non eſt verum adverſariorum dictum, quia ſi iſta eſſet, ab Spiritu Sancto non omitteretur in laudem, & gloriam huius Sancti Prophetæ.

104 Ex exemplis ibi narratis oſtenditur, nam cap. 48. laudatur Abraham, ex eo quod fuit Pater multarum gentium, Iacob ex duodecim tribubus, cap. 49. Ioſeph, quia fuit princeps fratrum, firmamentum gentis, cap. 45. Moyſes ex Legislatione, Aaron ex inſtitutione Sacerdotij: ergo etiam ſi Elias (vt aſſerunt adverſarij) ſtatus Religioſi fuiſſet inſtitutor, & Legislator Monaſticus, Princeps Monachorum, omnium Religionum Pater, & votorum, & conſiliorum evangelij inventor, ex his præcipuè in cap. 48. laudaretur, in quo eius virtutes, & facta commendantur; nihil ibi dicitur: ergo dictum adverſariorum non fuit in veteri lege auditum, neque in noua eſt audiendum.

105 Argumentum negativum ex veteri teſtamento, poſitiua ratione ex nouo probatur, & confirmatur; nam ſi aliquis eſſet verus ſtatus Monaſticus in veteri teſtamento, fuiſſet ille, quem diſcipuli Ioannis Baptiſtæ amplexati fuerunt, quod adverſarij concedunt, vt Iudaicus Monachatus cum evangelico identificetur; ſed diſcipuli Sancti Ioannis Baptiſtæ ante Chriſti Domini vocationem, veri Religioſi cum votis non erant: ergo verus Monachatus Elianus ſuſtineri non poteſt in veteri teſtamento. Maior eſt præcipuum adverſariorum fundamentum. Minor probatur, nam ſi diſcipuli Ioannis Baptiſtæ verum Monachatum tenuiſſent Eliæ cum votis Religioſis, nullus eorum proprium haberet; ſed B. Apoſtolus Andræas, qui fuit præcipuus Ioannis diſcipulus, vt conſtat in eiuſdem Apoſtoli officio, lect. 4. ad Matutinum in qua frater Petri, & diſcipulus Ioannis Baptiſtæ appellatur; ante Chriſti Domini vocationem proprium habebat: ergo tunc in diſcipulatu Baptiſtæ, non erat verus Religioſus cum votis, neque erat verus Monachatus ante Chriſti Domini vocationem. Minor probatur, ſcilicèt, quod B. Andræas tunc proprium habebat, ex cap. 4. Matth. in quo dicitur, Dominum vocaſſe Petrum, & Andræam mittentes rete in mare, & quod illi ſecuti ſunt Dominum relictis retibus: ergo retia propria Apoſtolorum erant, quod de filijs Zebedæi expreſsè ſua fuiſſe retia dicitur, ibi: *Reficientes retia ſua*: ergo Andræas, & diſcipuli Ioannis Baptiſtæ, quod ſuum erant relinquerunt, ac per conſequens proprium habebant, non erant igitur veri Religioſi cum voto paupertatis ante Chriſti Domini vocationem,

quod

quod ſi iam antea emiſsiſſent, nihil haberent relinquendum.

106 Confirmatur ex Homilia D. Gregorij Magni, quæ legitur ab vniverſali Eccleſia in feſto eiuſdem Apoſtoli, in qua Lect. 1. ad 3. Nocturnum dicitur, ibi: *Nulla vero hunc facere miracula viderant: nil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant, & tamen ad vnum Domini præceptum, quod poſsidere videbantur, obliti ſunt.* Ergo ſi quod poſsidere videbantur obliti ſunt, poſſeſſa tenebant, & propria. Tùm etiam: notandum eſt in eiſdem verbis, quod nihil à Chriſto Domino de præmio æternæ retributionis audierant: ergo illa exemplaritas Chriſti Domini reuelata ad vota emittenda in ſtatu Religioſo ab Elia fundata, falſa eſt, ſiquidem Andræas nihil de præmio æternæ retributionis audierat, quia ſi ante Chriſti vocationem audiviſſet, diſcurſus D. Gregorij nullus eſſet, & nihil in laudem Apoſtolorum probaret; conſtat igitur ex doctrina D. Gregorij, quod D. Andræas ante vocationem Chriſti Domini poſſeſſa retinuit in diſcipulatu Ioannis, in quo nihil de præmio æternæ retributionis audiuit, vt vota emitteret propter Regnum Cœlorum in vero ſtatu Religioſo Eliano veteris legis.

107 Dictum confirmatur ex eodem Div. Gregorio ibidem; nam ſi D. Andræas verus Religioſus extitiſſet in diſcipulatu Ioannis, deſideria habendi temporalia reliquiſſet in eo; ſed hæc non reliquit vſque ad vocationem Chriſti: ergo ante illam non fuit verus Religioſus cum voto paupertatis evangelicæ. Maior eſt certa; nam perfectio veri ſtatus Religioſi euangelici magis conſiſtit in abdicatione affectuum, quam effectuum, vt in eadem Homil. D. Gregorij nobis proponit Eccleſia, Lect. 2. ibi: *Sed in hac re, fratres chariſsimi, affectum potius debemus penſare, quam cenſum; multum reliquit, qui ſibi nihil retinuit, multum reliquit, qui quantumlibet parum totum deſſervit.* Minor probatur ibidem: *Multum ergo Petrus, & Andræas dimiſsit, quando vterque etiam deſideria habendi reliquit*: ergo ante Chriſti Domini vocationem deſideria habendi, & affectus ad temporalia, in quo votum paupertatis conſiſtit non reliquerant, nec in vita communi; ſed in particulari ex proprijs actibus ante Chriſti Domini vocationem vivebant D. Andræas, vt in eodem officio teſtatur Eccleſia in Reſponſ. 2. ad Matut. ibi: *Mox vt vocem Domini prædicantis audiuit Beatus Andræas, relictis retibus, quorum vſu, actuque viuebat, æternæ vitæ ſecutus eſt præmia largientem*: ergo in diſcipulatu Ioannis proprietatem, & vſum retium retinebat, & verus Religioſus cum votis non erat.

Ex

108 Ex dictis manifeſtè conſtat, quod neque in veteri, neque in novo teſtamento Monachatus verus circumciſſus reperiatur ab Elia inſtitutus, & fundatus. Nunc autem ex communi conſenſu Eccleſiæ, impoſſibilitatem eius notam facimus; nam in Feſto Principum Apoſtolorum, qui poſt lapidem angularem Chriſtum Dominum, primi in magna Eccleſiæ conſtructione fuerunt lapides fundamentales: ſic ad Deum preces mittit Eccleſia in eorum Oratione, ibi: *Deus qui hodiernam diem Apoſtolorum tuorum Petri, & Pauli Martyrio conſecraſti, da Eccleſiæ tuæ eorum in omnibus ſequi præceptum, per quos Religionis ſumpſit exordium.* Nullus Catholicus dubitare poteſt, quod in hac Oratione in laudem Principum Apoſtolorum, eis attribuit Sancta Mater Eccleſia exordium totius Religionis Chriſtianæ; ſed ſtatus Religioſus verus cum votis eſt potior pars, & præcipua Religionis Chriſtiana: ergo hic ſtatus quoad ſubſtantiam, & eſſentiam per Sanctos Apoſtolos ſuum ſumpſit exordium in lege gratiæ, non vero per Eliam, & Prophetas in veteri lege; nam alias dicere poſſent Iudæi, quod in Dei Eccleſia ſtatus perfectionis Religionis Chriſtianæ, quoad eius ſubſtantiam, & eſſentiam à ſua Synagoga originem trahit, non vero per Apoſtolos Chriſti Domini, quos poſſuit prima fundamenta Eccleſiæ, & omnium ſtatuum Religionis Chriſtianæ.

109 Scio aliquem huic rationi reſpondiſſe, Eccleſiam, ſtatus Religioſi exordium non ſumpſiſſe per Apoſtolos, quoad inſtitutionem, eſſentiam, & ſubſtantiam; ſed quoad extenſionem, & dilatationem, nam Sanctus Propheta Elias Monachatum verum inſtituit, quoad veritatem, & ſubſtantiam, quem poſtea Apoſtoli in Eccleſia prædicarunt. Idem tenetur reſpondere Hiſtoricus propheticus, qui abſolutè aſſerit in ſua Hiſtoria, anno 1630. edita, quod Dominus noſter Ieſu Chriſtus, Monachatum antea fundatum ab Elia Propheta, approbavit, ſic lib. 1. cap. 1. num. 8. & in eodem libro cap. 9. num. 1. quod quærentes divinam approbationem ſtatus Religioſi, ad Eliam recurrere debent, tamquam ad fundamentum antiquius, quia, quod poſt Eliam habet humana approbatio eſt, quod ſi ad Chriſtum Dominum recurrere velint, minus expreſſa approbatio illius eſt, quam Eliæ, & illa Chriſti Domini approbatio, revalidatio approbationis Eliæ fuit, ſic Author ibi profert.

110 Sed relicta pijs, & doctis viris prædictarum propoſitionum cenſura, ſolutionem impugnamus ex Concilio Meldenſi octa-

octauo ſæculo celebrato, cap. 9. ibi: *Sacrumque Ordinem Monaſticum à Deo inſpiratum, & ab Apoſtolis fundatum, ſeu à nominatiſsimis Patribus ſcultum, &c.* ergo hæc ſancta, & venerabilis antiquitate Synodus ſenſit, & ſupponit Monaſticum Ordinem, quoad eius fundationem per Apoſtolos ſumpſiſſe exordium, & per Patres fuiſſe ſcultum, & propagatum, nec aliud poſſumus admittere principium illius, ſicut nec Religionis Chriſtianæ. Dicere poſſunt alij ſecundum ſua principia, quod ſtatus verus Religioſus ſuum exordium quoad eſſentiam, & ſubſtantiam habuit per Eliam, & Sanctos Prophetas, at vero quoad ſuam perfectionem evangelicam per Chriſtum Dominum; & Sanctos Apoſtolos ſuos, & in hoc ſenſu debet intelligi Oratio Eccleſiæ in feſto Principum Apoſtolorum. Sed licèt hæc diſtinctio ex dictis reijciatur ſupra diſc. 1. per totum, nunc contra eſt; quia inſtitueret Chriſtus Dominus euangelicam perfectionem ſupra veterem ſtatum Religioſum legis Moſaicæ, ſed hoc repugnare videtur euangelio: ergo non eſt admittenda ſupra dicta diſtinctio. Maior admittitur ab adverſarijs, & neceſsitate conſequentiæ admitti debet. Minor probatur ex cap. 9. Matthæi verſ. 16. ibi: *Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus; tollit enim pulchritudinem eius à veſtimento, & peior ſciſſura fit; nec immittunt vinum novum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt; ſed vinum novum in vtres nouos.* Textus clarus eſt, & in eo novitatem Eccleſiæ intelligunt Patres, myſticamque fundationem, & inſtitutionem eius explicant, præcipuè Sanctus Maximus Homilia vltima de *diverſis*; ſed ſi Chriſtus Dominus inſtitueret perfectionem evangelicam in veteri ſtatu Religioſo circumciſſo, imitteret vinum novum, & optimum legis gratiæ in vtres veteres legis Moyſes, & commiſſuram evangelij in veterem ſtatum Religioſum, & habitum Elianum, & vota, & conſilia evangelica in Monachos circumciſſos: ergo euangelica perfectio non fuit inſtituta à Chriſto in ſtatu vero Religioſo Eliano; ſed totus ſtatus Religioſus fuit inſtitutus à Chriſto Domino, qui omnia fecit noua in ſua Eccleſia.

111 Denique aſſumptum noſtrum probatur ex alio teſtimonio ab Eccleſia approbato in Officio D. Marci, & ex Lectionibus, quibus in 2. Noct. vtitur ex libro Sancti P. N. Hieronymi de *Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ibi: *Aſſumpto itaque evangelio, quod ipſe confecerat, perrexit in Ægyptum, & primus Alexandriam Chriſtum nuntians, conſtituit Eccleſiam tanta doctrina, & vita continentia,*

vt

vt omnes Sectatores Chriſti ad exemplum ſui cogeret; denique Philo diſſertiſſimus Iudæorum videns Alexandriæ primam Eccleſiam adhuc Iudicantem, quaſi in laudem gentis ſuæ, librum ſuper eorum conuerſionem ſcripſit; & quomodo Lucas narrat Hieroſolymæ credentes omnia habuiſſe communia, ſic ille quod Alexandriæ ſub Marco fieri Doctore cernebat, memoriæ tradidit. Ex hac Hiſtoria receptum eſt ab omnibus Scriptoribus Eccleſiaſticis, quod Eſſeni, de quibus Philo, primi fuerunt Chriſtiani à D. Marco in perfectione euangelica inſtructi, à quibus Monaſticus ordo in vita communi originem trahit. Sic Cardinalis Bellarminus tom. 2. lib. 2. cap. 5. laudatque Patres in ſuis locis videndos, & Patrem Serarium in trihæreſi cap. 17. dicentem, à nullo Catholico poſſe negari, & benè quidem, nam Eugenius IV. Pontifex Maximus communem doctrinam Patrum confirmauit apud Bordonum tom. 5. cap. 1. num. 20. in Bulla pro Canonicis Lateranenſibus, ibi: *Huius profectò Sacri Ordinis, & Sancti inſtituti poſt Sanctos Apoſtolos primum in Alexandrina Eccleſia, Marcus Petri diſcipulus inſtitutor, & conditor, &c.*

112 Contra hanc antiquam, & receptam doctrinam præterito ſæculo, vel paulo ante inſurrexerunt hæretici Magdeburgenſes, & vt ſtatum Religioſum ab Eccleſia reijcerent, & à Chriſto Domino non fuiſſe inſtitutum, neque per Apoſtolos fundatum probent, conſtanter negant Eſſenos, de quibus Philo, fuiſſe Chriſtianos, & pertinaciter contendunt fuiſſe Iudæos, contra antiquam traditionem SS. PP. Centuria 1. lib. 7. cap. 3. pag. 18. apud Bellarminum vbi ſupra. Hoc hæreticorum aſſertum, iam à Doctoribus Eccleſiaſticis ex communi Patrum doctrina, & Eccleſiæ Catholicæ ſententia de falſitate conuinctum nouiſsimè propugnat Hiſtoricus propheticus libro 5. cap. 14. & Patribus relictis in ſolitudine ſui ipſius hæreticis fauet antiquam hiſtoriam ab Eccleſia receptam impugnans ex profeſſo, Eſſenos illos Iudæos fuiſſe, totis ſuis viribus probare contendit, libro 3. cap. 22. num. 8. ſed quia eiſdem fundamentis, quibus hæretici Magdeburgenſes, conuincitur Autor ab eius impugnatione hic nos abſtinemus, poſtea verò de Eſſenis ſpecialem diſputationem inſtituentes, falſitatem Authoris probabimus infra 2. part. diſcurſ. 1. §. 3.

***

§. II.

Teſtimonia Angelici Doctoris proponuntur contra Monachatum Iudaicum.

113 INter Thomiſticas concluſiones, nulla expreſsior, & toties repetita inveniri poteſt in Angelico Præceptore, quam noſtra de inſtitutione,& principio veri Monachatus; & quia propugnatores circumciſi Monachatus ſeveriores Thomiſtæ exiſtimantur, ideò aliqua Angelici Magiſtri teſtimonia adducentur, vt euidenter appareat, quod nec nomen Thomiſtarum merentur, qui in Synagoga defendunt verum ſtatum Religioſum cum votis. In primis 3. part. quæſt. 28. art. 4. in corp. votum virginitatis Deiparæ conditionatum ſtatuit, ex quo vera vota Religioſa in Synagoga impoſsibilia fuiſſe concluditur; & ibidem ad 2. expreſsius docetur ab Angelico Præceptore, ibi: *Sicut gratiæ plenitudo perfectè quidem fuit in Chriſto, & tamen aliqua eius inchoatio præceſſit in Matre, ita, & obſervatio conſiliorum, quæ per gratiam Dei fit, perfectè quidem incepit in Chriſto; ſed aliquomodo fuit inchoata in Virgine Matre eius*: ergo ſecundum doctrinam Angelici Præceptori, nullo modo defendi poteſt, quod verus ſtatus Religioſus aliquomodo fuit inſtitutus, & obſervatus in veteri teſtamento ab Elia, ſiquidem obſeruatio conſiliorum, quibus conſtituitur quoad eſſentiam, & ſubſtantiam aliquomodo inchoata fuit in B. Virgine Maria, & quod conſilia evangelica, de quibus procedit quæſtio, non fuerunt data in veteri teſtamento, expreſsè docet locis ſupra citatis, §. 1. ex 2. 2. quæſt. 108. art. 4. in corp. ibi: *Dicendum, quod hac eſt differentia inter conſilium, & præceptum, quod præceptum importat neceſsitatem, conſilium autem in opinione ponitur eius cui datur, & ideò convenienter in lege noua, quæ eſt libertatis ſupra præcepta addita ſunt conſilia, non autem in veteri lege, quæ erat lex ſervitutis.* Idem docet opuſ. 17. cap. 7. ibi: *Non enim conſilia data fuerunt in veteri teſtamento, ſed in nouo, quia nihil ad perfectum adduxit lex.* Et in eodem opuſc. cap. 4. dixerat, ibi: *Conſtat diſcipulos in ſua converſione ad fidem eſſe aſſumptos ad Chriſti Collegium, in quo primum exemplar conſiliorum apparet, & abſque dubio cuiuſcumque Religionis ſtatum exceſſiſſet.* Et 2. 2. quæſt. 107. art. 2. in corp. ibi: *Tertiò adimpleuit*

Do-

Dominus præcepta legis, ſuperaddendo quædam perfectionis conſilia, vt patet Matth. 19. &c. Hæc D. Thom. quæ quidem ad litteram tàm clara ſunt, & manifeſta, vt nullo diſcurſu ſana mens indigeat, vt evidenter percipiat Angelicum Præceptorem conſtanter docere Chriſtum Dominum verum inſtituiſſe Monachatum, & nullo modo antea fuiſſe fundatum, nec cognitum ab Elia in veteri lege.

114 Sunt, & alia quamplurima teſtimonia Angelici Præceptoris, ex quibus legitimè, & neceſſariè infertur impoſſibilitas veri ſtatus Religioſi Iudaici. Aliqua proponemus, & primum ſit ex 4. lib. ſententiarum ad Annibaldum diſtinct. 29. quæſt. vnica, art. 3. ibi: *Nondum virginalis perfectionis tempus advenerat, prout advenit in Chriſto, quem ſequuntur centum quadraginta millia eorum, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati.* Cum enim certum ſit, quod ſine voto virginitatis, vel caſtitatis inſtitui non poſſit verus ſtatus Religioſus, vt à Chriſto Domino inſtitutus fuit, vt etiam adverſarij fatentur; impoſſibile eſt in lege veteri inſtitutum fuiſſe defendere ſecundum doctrinam D. Thomæ, qui tempus virginalis perfectionis in ea lege adveniſſe negat; & alio principio ex eodem Angelico Doctore probatur impoſſibilitas eiuſdem ſtatus in eadem lege, nam vbi ſupra diſtinct. 49. quæſt. 5. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 3. ait ibi: *Etiam tempore legis Moyſis, quando cultus Dei etiam per carnalem actum propagandus erat, non erat omninò laudabile à commixtione carnis abſtinere, vndè nec tali propoſito ſpeciale præmium redderetur, niſi ex divino proceſſiſſet inſtinctu, vt creditur de Hieremia, & Elia, quorum coniugia non leguntur.* Et 3. part. quæſt. 28. citata ſupra art. 4. in corp. ibi: *Verum quia tempore legis oportebat generationi inſiſtere, tàm mulieres, quàm viros, quia ſecundum carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Chriſtus naſceretur, Mater Dei non creditur antequam deſponſaretur Ioſeph abſolutè Virginitatem voviſſe.* Et ad 1. ibidem: *Ad primum dicendum, quia videbatur eſſe lege prohibitum non dare operam ad relinquendum ſemen ſuper terram.* Et in 4. diſt. 30. q. ex Auguſtino expreſsè docet in illa lege matrimonium præferri virginitati, ex quibus certis, & indubitatis concluſionibus D. Thomæ manifeſtum eſt, quòd ſecundum ſuam doctrinam nullo modo defendi poteſt verus Monachatus Elianus inſtitutus in tempore legis veteris, & quod manifeſtè pugnant cum doctrina D. Thomæ, & multa Angelici Præceptoris principia deſtruunt, qui verum Monachatum cum votis, & conſilijs conſtitutum à Chriſto Domino, inſtitutum fuiſſe, quod eſſentiam, & ſubſtantiam negant.

115 Aliqua ex præallegatis teſtimonijs D. Thomæ refert Hi-

ſtoricus Propheticus in ſua Apologia propoſit.5. p.2.§.7. num.47. & ſeq. numero omnibus vnica ſolutione ſatisfacere intendit, explicans Angelicum Magiſtrum de Chriſti exemplaritate loquutum fuiſſe, ipſumque Dominum noſtrum exemplar fuiſſe ſtatus Religioſi novi,& veteris teſtamenti, & in hoc ſenſu intelligendum eſſe D.Thomam dicentem, quod fuit origo, & exemplar omnis Religionis; ſed hac generalitate reſpondens, ſimilis eſt non reſpondenti, & manifeſtè impugnatur hoc effugium Chriſti exemplaritatis, §.4. per totum in quo impoſsibilitas novæ exemplaritatis Chriſti Domini, revelatæ Monachis Iudæis ex doctrina Angelici Præceptoris, & aliorum SS. PP. oſtenditur.

116 Vt magis appareat interpretationis Authoris falſitas,& doctrinæ Angelici Præceptoris repugnantia, prædictum effugium ex doctrina eiuſdem Angelici Magiſtri falſum eſſe demonſtratur; nam ſupponit conſilia, & vota Religioſa in veteri lege;ſed hæc expreſsè negat Angelicus Doctor,opuſc.17.cap.4.&7.& 1.2.q.107. art.8. in corp. ergo in ſua explicatione ad teſtimonia D. Thomæ tradita ſupponit Author,quod Angelicus Magiſter negat in ſuis teſtimonijs. Tùm etiam, quia hac exemplaritate prætendit Author, quod Elias fuit inſtitutor paupertatis,& aliorum votorum, & Chriſtus Dominus fuit tantum cauſa exemplaris illorum;ſed 2.2.q.188. art.7. in corp. vt ſupra vidimus, expreſsè docet D. Thomas, quod Chriſtus Dominus fuit inſtitutor paupertatis, & quod ſuo exemplo eam docuit: ergo ſecundum doctrinam D.Thomæ non ſolum fuit primum exemplar,ſed etiam primus inſtitutor in lege gratiæ. Tùm etiam, quia ſi in veteri teſtamento Elias inſtituiſſet verum ſtatum Religioſum cum votis,& conſilijs, etiam ex Chriſti exemplaritate, falſum eſſet,quod in B.Virgine aliquomodo inchoata fuit obſervatio conſiliorum,vt expreſsè docet D.Thomas 3.p. q.28.art.4.ad 2. ergo in via D.Thomæ non poteſt admitti, quod ſtatus Religioſus aliquomodo inceperit in conſiliorum obſervantia ante Deiparam Dominam noſtram: igitur falſum eſt,& doctrinæ D. Thomæ contrarium effugium Authoris;quod iterum impugnatur;nam ſi in veteri teſtamento agnoviſſet D. Thomas verum ſtatum Religioſum cum votis, & conſilijs virginitatis, obedientiæ, & paupertatis, & quod hic ſtatus gratus erat Deo, in quo Virgines ſacræ floruerant, nequaquam diceret in eodem articulo ſupra citato, quod Virgo Beata emiſsit votum conditionatum, *ſi Deo placeret*, quia videbatur virginitas prohibita in illa lege,ſic vbi ſupra ad 2. quod impoſsibile etiam doctrina D. Thomæ, quia alias compelleremur dicere, & af-

firmare, quod Virgo Maria Dña noſtra in emiſſione ſui voti ignorauit, quod notum erat omnibus Monachis circumciſi, ſcilicet, quod votum virginitatis gratum erat Deo, & nulla lege prohibitum; vndè manifeſtè repugnat effugium Authoris cum doctrina Angelici Magiſtri.

117 Repugnat etiam ex alio capite, nam ſi eſſet ſtatus Religioſus cum voto virginitatis, vel caſtitatis, Virginitas eſſet laudabilis, & aliquod præmium eſſet ei promiſſum in lege illa, ſed in 4. diſt. 39. quæſt. 3. quæſtiunc. 1. ad 3. expreſsè docet, quod tunc non erat laudabilis virginitas; & ibidem diſt. 49. art. 3. quod nullum præmium ei redderetur, & diſt. 33. in initio, quod opprobrio habebatur: ergo numquam venit in mentem D. Thomæ ſtatus ille verus Religioſus veteris legis, nec ſecundum principia ſuæ doctrinæ defendi poteſt in nova. Denique Authoris effugium impugnatur, nam ille ſtatus Iudaicus Religioſus, ſecundum adverſarios, non fuit vmbraticus, & figurativus, ſed verus evangelica veritate; ſed Angelicus Doctor 1. 2. quæſt. 108. art. 2. in corp. expreſsè docet ex Div. Auguſtino, quod omnis ſtatus illius populi fuit figuralis; & 2. 2. q. 136. art. 6. in argum. *ſed contra*, à figura ad figuratum ex votis circumciſſorum arguit ad vota vera evangelica firmanda, ibi: *In veteri lege Nazaræi cum voto ſanctificabantur, ſecundum illud numerorum: Vir, ſeu mulier cum fecerit votum, vt ſanctificarentur, & ſe voluerint Deo conſecrari, &c. per eos autem ſignificantur illi, qui ad perfectionis ſummam pertingunt, vt Gloſſa Greg. ibidem: ergo votum requiritur ad ſtatum perfectionis.* Ergo ſecundum D. Thomam vota veteri teſtamenti non erant vera veritate evangelica, ſed votorũ legis gratiæ ſignificativa, & præfigurativa, quod ſpecialiter de Elia, & Prophetis docet ſuper Paulum ad Hebræos cap. vltim. lect. 8. ad illa verba: *Egentes anguſtiati ſunt*, ibi: *Qui carebant divitijs, in quo præfigurabant ſtatum perfectionis noui teſtamenti, de quo dicitur Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ poſſides, & hoc fuit ſpecialiter de Elia, qui paſtus fuit à corvis, & à muliere vidua, 3. Reg. cap.* 17. Ex quibus conſtat, quam manifeſta ſit doctrina Angelici Magiſtri contra verum ſtatum Religioſum veteris legis, vt nullus qui legere ſciat dubitare poſsit Angelicum Præceptorem, ſemper conſtanterque negaſſe vota, & conſilia evangelica obſervata fuiſſe in aliquo ſtatu veteris teſtamenti; ſed ſi quæ vota in illo emiſſa fuere, vmbram, & figuram noſtrorum tenuiſſe, & verum ſtatum Religioſum quoad eſſentiam, & veritatem à Chriſto Dño in lege gratiæ incepiſſe, quod ita certum eſt in Angelici Doctoris doctrina, vt qui contrarium doceat, non poſsit appellari Tho-

miſta, quod amplius ſequenti §. demonſtrabitur, dùm reſpondeamus teſtimonijs Angelici Doctoris ab adverſarij adductis.

§. III.

Teſtimonia D. Thomæ ab adverſarijs producta examinantur.

118 Hiſtoriæ Propheticæ Autor ex Angelici Magiſtri doctrina probare intendit verum Monachatum in Synagoga, præſertim in Apologia, part. 2. propoſit. 5. §. 7. & primum ex 2. 2. quæſt. 184. art. 8. in quo Angelicus Magiſter inquirit, vtrùm Preſbyteri curati ſint maioris perfectionis, quam Religioſi, & negativè reſpondet ex rationibus in corp. contentis, ſibique obijciens in primo argumento authoritatem D. Chryſoſtomi dicentis in ſuo Dialogo, vt refert D. Thomas, ibi: *Si talem mihi aliquem adducas Monachum, qualis vt ſecundum exagerationem dicam Elias fuit, non tamen illi comparandus, qui traditus populis, & multorum peccata flere compulſus, immobilis perſeverat, & fortis.* Cui argumento Angelicus Præceptor ſatisfacit, ibi: *Ad primum ergo dicendum, quod non loquitur de Sacerdote curato minoris Ordinis, ſed de Epiſcopo, qui dicitur Summus Sacerdos.* Ex hac authoritate arguit Apologiſta, ſupponendo, quod D. Thomas, & D. Chyſoſtomus comparant ſtatum verum Religioſum cum Sacerdotali; ſed falſum eſt authoris ſuppoſitum, vt conſtat in eodem articulo, in quo de Presbyteris, & Monachis procedit quæſtio, & dubium, non vero de ſtatu, vt patet in titulo, ibi: *An Præsbyteri, & Archidiaconi ſint maioris perfectionis, quam Monachi*: Quod ſubtiliter advertit Cayetanus, ibi: *In articulo 8. eius quæſtionis adverte primo titulum, quia hic non quæritur de ſtatu Religioſorum, & de ſtatu Curatorum, faciendo vim in nomine, ſeu ratione ſtatus, ſed comparantur hic Religioſi ſecundum genus ſuum generi Curatorum, excluſis Epiſcopis, quod ſiue ſint in ſtatu, ſiuè non, & quocumque nomine quomodo hic eſt de rebus ipſis.* Abſtrahit ergo à ratione ſtatuum Religioſorum, & Curatorum Angelicus Magiſter; ſed ſecundum eorum officia, vel difficultates procedit quæſtio, & fit comparatio, quod conſtat in littera Angelici Præceptoris, quam ſi integram poſſuiſſet Author, ſuum omitteret argumentum; nam D. Thomas duplicem aſsignat ſolutionem. Primam ſecundam probabilitatem, & ſecundam ex propria ſententia, vt patet ibi: *Ad primum dicendum, quod ad illas authoritates Chryſoſtomi breviter reſpõdere poſſet, quod non loquitur de Sacerdote curato minoris Ordinis, ſed de Epiſcopo, qui dicitur Summus Sacerdos, & hoc convenit intentioni libri, in quo conſolatur ſe, & Baſi-*

lium

tum de hoc, quod erant in Epiſcopos electi; ſed hoc prætermiſſo, dicendum eſt, quod loquitur quantum ad difficultatem: præmittit enim cum fuerit Gubernator in medijs fluctibus, & de tempeſtate nauem liberare potuerit, tunc merito teſtimonium perfecti Gubernatoris ab omnibus promeretur, & poſt concludit, quod ſupra poſitum eſt de Monacho, qui non comparandus eſt illi, qui traditus populis, immobilis perſeuerat, & ſubdit cauſam, quia ſicut in tranquilitate, ita in tempeſtate gubernauit ſe ipſum. Ex quo nil aliud oſtendi poteſt, quod periculoſior eſt ſtatus habentis curam animarum, quam Monachi: In maiori autem periculo innocentem ſe ſeruare eſt maioris virtutis indicium, ſed hoc etiam ad magnitudinem virtutis pertinet, quod aliquis vitet pericula Religionem intrando, vndè non dicit, quod mallet eſſe in officio Sacerdotali, quam in ſolitudine Monachorum, ſed quod mallet placere in hoc, quam in illo, quia hoc eſt maioris virtutis argumentum.

119 Ex verbis relatis conſtat, quod Angelicus Magiſter in præcitato articulo, nec in reſponſione ad argumentum ex verbis Chryſoſtomi factum, ſtatum ſtatui comparauit; ſed difficultates difficultatibus, itaque falſa eſt ſuppoſitio Authoris dicentis comparaſſe ſtatum ſtatui, cuius falſitatem ad litteram conuincitur ex eodem Div. Thoma quodlib. 4. art. 7. in quo idem dubium proponit ſub eiſdem verbis, & ad eamdem authoritatem Chryſoſt. reſpondens ait ibi: *Manifeſtum eſt, quod non comparat ſtatum ſtatui, ſed impeccabilitatem impeccabilitati, quod enim Monachus in clauſtro habitans non peccet, non eſt ita evidens argumentum virtutis, ſicut ſi Preſbyter; vel Epiſcopus, vel quicumque Rector populi in medijs perturbationibus abſtinet à peccatis.*

120 Vndè conſtat, quod Sancti Doctores Chryſoſtomus, & Aquinas non comparant Eliam Clericis curatis in ratione ſtatus Religioſi cum votis, ſed in quantum erat ſolitarius, quod propriè ſignificat Monachus remotus à perturbationibus ſæculi, & ſine difficultatibus, & periculis, in quibus conſtituti ſunt, qui curam gerunt animarum: ergo falſum eſt Authoris ſuppoſitum ex D. Thom. ſcilicèt, quod comparauit Eliam, vt verum Monachum quoad ſtatum votis conſtitutum, & ligatum cum Clericis curatis.

121 Simili argumento vtitur ex eadem 2. 2. quæſt. 187. art. 7. in quo inquirit, an Religioſis liceat ſæcularia negotia tractare: & affirmativè reſpondens ad 3. ait ibi: *Ad tertium dicendum quod frequentare palatia Regum propter delicias, vel gloriam, vel cupiditatem non competit Religioſis, ſed ea adire propter pias cauſas, eis competit, vndè dicitur 4. Reg. 4. quod Eliſeus dixit ad mulierem, num-*

quid habes negotium, vt vis, vt loquar Regi, aut Principi militia? Similiter convenit Religioſis adire palatia Regum ad eos arguendos, vel dirigendos, ſicut Ioannes Baptiſta arguebat Herodem: & infert Apologiſta: ergo Eliſeus fuit verus Monachus, & Religioſus, quia alias paritas ex Eliſeo, non vero Religioſo, ad veros Religioſos non probaret. Sed argumentum D. Thomæ rectè concludit; & Author ex eo nihil probat, nam frequenter Patres, & Eccleſiæ Doctores ex his quæ licebant, vel non licebant Pontificibus, & Sacerdotibus veteris teſtamenti probant obligationes, vel reprobant actiones Pontificum, Epiſcoporum, & Sacerdotum legis gratiæ: ergo Pontifices, & Sacerdotes veteris teſtamenti erant in vero ſtatu Pontificali, & Sacerdotali legis gratiæ. Hanc conſequentiam nullus Catholicus concedet: ergo neque illatio Apologiſtæ bona eſt ex doctrina D. Thomæ ad verum ſtatum Religioſum veteris legis. Conſequentia D. Thomæ optima eſt, quia procedit à figura ad figuratum, quod eſt optimum arguendi genus ex veteri ad novum teſtamentum in his quæ mutata non ſunt in lege gratiæ, ad quod ſufficit, vt veteris legis ſtatus figuralis exemplar verorum teneret, vt ſupra diximus ex D. Paulo, procedere vero à veritate legis gratiæ ad probandam eamdem veritatem in veteri lege, vt intendit Apologiſta, periculoſum quippè eſt, & anſam præbet Iudæis, vt veritatem, & perfectionem legis gratiæ introducant in veterem legem, & in eius ſacrificia, & cæremonias, nam in multis per comparationem ad illa, & ex illis myſteria fidei noſtræ, ſtatus Eccleſiæ, & eius immunitates, & privilegia de iure divino probant Patres.

122 Singulari etiam doctrina ex eodem Angelico Doctore oſtenditur falſitas Authoris in arguendo, nam nec veritatem, nec proprium ſenſum D. Thomæ quærit, ſed verba Angelici Præceptoris extorquens, ſuam novitatem invenire contendit; quia ſi rationem dubitandi, & medium reſolvendi in eodem articulo attendimus, nihil ad rationem ſtatus propriè pertinens invenietur, nam dubitat ex prohibitione facta, tàm Monachis, quàm Clericis, & probat, licere adire palatia ex Charitate, quæ eſt communis finis legis; & ex dilectione proximi, quæ eſt vniuerſaliſsimum præceptum omni Chriſtiano, probat licere Monachis, & Religioſis adire palatia, & negotia tractare cum Regibus: ergo non ſupponit Eliſeum fuiſſe verum Religioſum in ſtatu ſpecifico, quia alias non probaret pro Clerico, quia multa licent Clericis, quæ non Religioſis, & è converſo: at vero vt paritas Eliſei probaret eſſe verum

verum ſtatum Religioſum, deberet fundari ratio dubitandi in aliqua prohibitione facta ipſi ſtatui Religioſo, vt patet in hoc ſylogiſmo ad probandum quod Eliſeus non fuit verus Religioſus cum voto paupertatis ſub hac forma: qui licitè vtitur rebus temporalibus, vt proprijs, non poteſt eſſe verus Religioſus; ſed Eliſeus vſus fuit bonis tẽporalibus poſt vocationemEliæ,& de eius licentia non conſtat: ergo non fuit verus Religioſus: Minor probatur ex 3.Regum, cap. 19. verſ. 21. ibi: *Qui ſtatim relictis bobubus cucurrit poſt Eliam*. In hoc vocationẽ Eliæ ad verum ſtatumReligioſum ſtatuunt adverſarij, & ibidem: *Reverſus autem ab eo tulit par boum, & mactauit illud, & in aratrum boum coxit carnes, & comederunt*; ſed mactare bobes, illos occidere, & comedere ſunt actus proprietatis, & dominij: ergo Eliſeus poſt vocationem Eliæ proprium habuit, & dominium, ac perconſequens votum paupertatis non emiſsit, quod ſi effugere prætendunt adverſarij, oſtendere debent licentiam Eliæ. Hoc argumentum rectè concludit, quia procedit ex intrinſeca prohibitione ſtatus Religioſi. At verò diſcurſus Authoris ex doctrina D. Thomæ ſupra tradita nihil probat, quia procedit Angelicus Doctor ex prohibitione Clerico, & Religioſo communi. Tùm etiam ex medio quo vtitur D. Thomas convincitur falſitas ſuppoſitionis Authoris; nam ex præcepto diligendi proximum concludit Angelicus Doctor in prælegato articulo, quod Clerici, & Religioſi poſſunt adire palatia propter cauſas pias, & ad hoc proponit exemplum Eliſei, & Ioannis Baptiſtæ: ergo Eliſeus, & Baptiſta fuerunt veri Religioſi cum votis: hæc conſequentia non infertur, quia non exemplificantur, nec argumentum procedit ex lege Monaſtica ipſius ſtatus; ſed ex præcepto ſuperiori omnibus ſtatibus particularibus. Cæterum ſi argumentum probaret intentum Authoris, etiam concluderet, quod Eliſeus, & Ioannes Baptiſta veri extiterunt Clerici in Sacris, quod ſic oſtenditur, ex eo quod D. Thomas comparat Monachos Eliæ, & Baptiſtæ, vt poſsint adire palatia, concludit Author, quod Sancti Prophetæ extiterunt veri Religioſi cum votis; ſed poſita eadem prohibitione ex eodem principio, Eliſei, & Baptiſtæ exemplo probat Angelicus Doctor, quod etiam Clerici poſſunt adire palatia: ergo Eliſeus, & Ioannes Baptiſta fuerunt Clerici in Sacris. Quis hoc infer? Argumentum Authoris, vel vtrumque concludit quoad veritatem, vel nihil probat.

123 Ex alio teſtimonio, deſumpto ab eodem D. Thoma vbi ſupra eadem quæſt. art. 6. probare intendit Author Monacha-

tum verum circumciſſum veteris legis, quia inquirens Angelicus Magiſter, vtrùm liceat Religioſis vilioribus veſtibus vti, quam Clericis, negativam ſentētiam reijciens in argumento *ſed contra* ait, ibi: *Sed contra eſt, quod ad Hebreos Apoſtolus dicit circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis. Gloſſa, vt Elias, & alij.* Et infer Author Apologiſta Elias, & alij erant veri Religioſi cum voto, alias D. Thomas nihil probaret. Sed hæc conſequentia non infertur, quoad veritatem ſtatus, ſed tantum quoad figuram, quia Angelicus Doctor expreſsè docet ſuper eamdem Epiſtolam Pauli cap. vltimo, quod Elias, & alij Prophetæ veteris teſtamenti præfigurabant verum ſtatum perfectionis legis gratiæ, cuius verba dedimus ſuperiori §.

124 Certum eſt apud omnes in ſacris litteris inſtructos, quod in his, & ſimilibus argumentis ex factis, vel rebus in veteri teſtamento ſemper procedunt Patres ad veritatem legis gratiæ probandam à figura ad figuratum, ad cuius intelligentiam venerabilis viri Iacobi Perez de Valentia Chryſtopolitani Epiſcopi adducere placuit doctrinam, qui methodum, formamque ſylogiſticam concludendi à veteri ad novum teſtamentum docet in Prologo ad Pſalterium Clav. 10. ibi: *Tota Scriptura veteris teſtamenti eſt allegorica, quia non ponitur gratia ſui, ſed gratia noui teſtamenti, ad cuius clariorem euidentiam, notandum, quod omnia geſta veteris teſtamenti non erant gratia ſui, ſed erant quadam figuræ, & picturæ, & ſymbola, & exemplaria, & parabolæ reſpectu noui teſtamenti, in quantum figurabant, & exemplificabant aliqua alia figura, myſteria in nouo teſtamento, & ideò proceſſus, & diſcurſus, quod facit intellectus fidelis, & Catholicus à teſtamento veteri in novum, tamquam à figura ad figuratum procedit diſcurſu allegorico.* In quibus nos docet in quo ſenſu arguere debemus à veteri in novum teſtamentum, & quomodo intelligendi ſunt Patres ex illis arguentes, non enim à veritate in novum ad eamdem veritatem in veteri comparare poſſumus res geſtas in vtroque, ſed in lege gratiæ in veritate, in veteri in figuris, ſic contingebant illis, vt ait Paulus: probare autem ex veritate ſtatuum legis gratiæ veritatem eorumdem ſtatuum in veteri, non eſt diſcurſus intellectus Catholici, & fidelis.

125 Hac generali doctrina ſuppoſita, ex qua ſatis reſpondetur ad conſequentiam Authoris vlterius reſpondetur quod paritas non tenet in omnibus, ſed in quibus applicatur, & comparatur; certum enim eſt, quod exemplum Eliæ non applicatur ad Religioſos in verbis D. Thomæ propter ſtatum Religioſum ſpecificum, ſed ſecundum communem, & genericum pœnitentiæ Re-

ligio-

ligioſis, & alijs quolibet titulo Deo ſacratis, vt patet in corpore eiuſdem articuli, ibi: *Vndè pœnitentes vilibus veſtibus induuntur, vt patet Ionæ* 3. *de Rege, qui indutus eſt Sacco, &* 3. *Regum.*21. *de Achab, qui operuit cilicio carnem ſuam.*

126 Ex quibus infert D. Thomas licitum eſſe in lege gratiæ Religioſis veſtibus vti vilioribus, & ſecundum diſcurſum Authoris hanc etiam poſſemus inferre conſequentiam: ergo Achab, & Rex ille fuerunt veri Religioſi, nam ex iſtis ſicut ex Prophetis veteris teſtamenti infert Angelicus Doctor licitum eſſe in novo Religioſis vti vilioribus veſtibus; non igitur infertur conſequentia in Achab, & Rege: ergo nec ex vilibus veſtibus Eliæ, & Eliſei infertur veros fuiſſe Monachos, quia non comparantur cum Monachis in ſtatu Religioſo, ſed in ſtatu pœnitentiæ, quod manifeſtum fit in eodem argumento *ſed contra* ab Authore allegato non integrè, ſed dimidiatè more ſuo, quia proſequitur D. Thomas immediatè ad verba ſupra ab Authore relata, quæ omiſsit; ſequentia ſunt, ibi: *Et in Decret. quaſt.* 4. *dicitur, ſi inventi fuerint dimittentes eos, qui vilibus, & Religioſis veſtibus amicti ſunt, corrigantur, priſtinis enim temporibus omnis ſacratus vir cum mediocri, ac vili veſte converſabatur.* Poterant conſecrari, vel voto, vel ordine: ergo non ad ſtatum ſpecificum, vel ex ſtatu Religioſo particulari procedit Div. Thomas, ſed ex ſtatu communi, vel votis, vel ordine Deo ſacrato, vndè conſequentia Authoris nulla eſt ad probandum ex doctrina D. Thomæ verum in Synagoga Monachatum.

127 Notari etiam oportet, quod Apologiſta titulum articuli D. Thomæ mutauit, inquirit D. Thomas *an Religioſis liceat vilioribus veſtibus vti, quam cæteri.* Apologiſta vero, ſub alijs diverſis terminis articuli titulum proponit, ſcilicèt, *ſi liceat Religioſis, habitum diſtinctum à ſæcularibus portare.* In quo manifeſta fraus reperitur, nam Angelicus Doctor de materia veſtium, quæ communiſsima eſt, diſputandum proponit: Apologiſta autem ad formam habitus titulum reducit, ſi liceat veſtem portare diſtinctam, vt ex differentia habitus quæſitum limitet ad ſtatum, quod manifeſtum eſt, nam poteſt quis vti pretioſis veſtibus, & forma illarum diſtingui ab alio, vt ſæpè videmus in Religioſis, qui ſecundum formam ſui habitus pretioſioribus pannis vtuntur, quam multi ſæculares, vtinam frequenter non accideret; ergo titulum articuli mutauit Author, vt ſenſum D. Thomæ extorqueret, & per comparationem ad ſtatum, communem faceret verum Monachatum in vtroque teſtamento, quapropter cautè legendus eſt, quia pa-

rum

rum fideliter procedit, tàm in ſua Apologia, quàm in Hiſtoria prophetica in relatis teſtimonijs Sanctorum Patrum, & Doctorum, vt in ſuis locis euidenter probabitur.

§. IV.

Sanctorum Patrum Hieronymi, & Auguſtini teſtimonia pro noſtra concluſione proponuntur.

128 OMnes Eccleſiaſtici Doctores de origine ſtatu Religioſi diſputantes Parentem noſtrum Doctorem Maximum docere, quod ſtatus verus Religioſus à Chriſto Domino incepit, ſupponunt, non ſolum ex traditis §. 1. ex libro de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* de D. Marco; ſed etiam ex Epiſt. 22. ad Euſtochium, vbi ait: *Tunc Iacobus, & Ioannes, relicto Patre, rete, nauicula, ſecuti ſunt Saluatorem, affectum ſanguinis, & vincula ſæculi, & curam domus pariter relinquentes, tùnc primum auditum eſt, qui vult venire poſt me, &c.* Ex his verbis clare conſtat, quod ſequella Chriſti in ſui abnegatione, & abdicatione temporalium rerum, in quibus ſubſtantia, & eſſentia veri ſtatus Religioſi conſiſtit, numquã ante Chriſtum Dñm audita fuit, & vt melius percipiatur hæc Doctoris Maximi doctrina, notari debet, quid de perfectione eſſentiali huius ſtatus doceat ſuper Matth. cap. 19. ad illa verba: *Ecce nos relinquimus omnia, & ſecuti ſumus te*, ibi: *Et quia non ſufficit tantum relinquere, iungit quod perfectum eſt.* Et ſubtiliter ad Chriſti Domini verba: *Amen dico vobis, quod vos, qui ſecuti eſtis me*, reflectitur, & notat, ibi: *Non dixit qui reliquiſtis omnia, hoc enim, & Crates fecit Philoſophus, & multi alij diuitias contempſerunt; ſed qui ſecuti eſtis me, quod propriè Apoſtolorum eſt, atque credentium.* Sentit ergo Doctor Maximus, quod eſſentia, & ſubſtantia veri ſtatus Apoſtolici, & Religioſi non conſiſtit in rerum temporalium abdicatione, ſed in ſequella Chriſti Domini, & abnegatione ſui per vota Religioſa; ſed hoc dicit primum auditum fuiſſe in vocatione Apoſtolorum: ergo maniſeſtè nos docet verum ſtatum Religioſum, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam, quæ propriè fuit in Apoſtolis, incepiſſe in Chriſto Domino.

129 Prædictum teſtimonium explicare intendit Hiſtoricus propheticus, lib. 3. cap. 21. §. 1. & verba Maximi Doctoris in-

vertens, ait ex eo non ſequi, quod ante adventum Chriſti Domini auditum non fuiſſet, nec ab Elia prædicatum Chriſti Domini præconium (vt verbis Authoris vtar) *ſi quis vult venire poſt me, &c.* Vndè Author ſentit, & docet, quod Elias nomine ſuo, vel Chriſti futuri (quod non explicat) iam dixerat populo Iudaico: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me.* Quod novum eſt, & inauditum in Chriſti Eccleſia, & Maximi Doctoris doctrinæ manifeſtè contrarium, nam vix expreſsiora poſſunt inveniri verba ad denotandam prioritatem temporis cum excluſione cuiuslibet prioritatis; nam D. Hieronymus dicit: *Tùnc primum auditum eſt.* In quibus, & tempus, & prioritatem abſolutè, & ſine limitatione aliqua expreſsit, & ſignanter tùnc primum auditum fuiſſe affirmat: *Tùnc primum auditum eſt*: ergo numquam fuit antea auditum, ex verbis Hieronymi legitimè, & neceſſario infertur, quia dictum Doctoris Maximi nulla limitatur circumſtantia loci, vel perſonæ, ſed abſolutum, & vniverſale eſt.

130 Falſitas interpretationis Authoris faciliter convincitur, ſi ad contextum Maximi Doctoris recurrimus, quia diſtinguens tempus veteris, & novæ legis loco ſupra citato ait ibidem: *Alia fuit in veteri lege fœlicitas, ibi dicitur: Beatus, qui habet ſemen in Sion, & domeſticos in Hieruſalem, & maledicta ſterilis, quæ non pariebat, & filij tui ſicut novellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ, & repromiſsio divitiarum: nunc Eunuchis dicitur, ne te lignum arbitreris aridum, habes locum pro filijs, & filiabus in cœleſtibus ſempiternum, nunc benedicuntur pauperes, & Lazarus diviti præfertur in purpura.* Poſt pauca partum Virginis Mariæ refert, & vocationem Apoſtolorum proponens ait: *Tùnc primum auditum eſt: ſi quis vult venire poſt me.* Quid clarius? Diſtinguens tempora veteris, & noui teſtamenti, & quod in vtroque fuerat auditum explicat. Ante Chriſti Domini adventum, maledictum ſterilitatis, & infecunditatis, fœlicitas in filijs, & filiabus, & divitiarum repromiſsio. In tempore legis gratiæ, virginitas, & paupertas, & tùnc primum auditum fuiſſe ait: *Qui vult venire poſt me, &c.* Ergo illud præconium Eliæ ad negationem ſui, & Chriſti ſequellam per caſtitatis, & paupertatis vota, vt ſupponitur ab adverſarijs oppoſitum eſt vero ſenſui, & doctrinæ Doctoris Maximi, vt ex littera conſtat, quia quidquid in vtraque lege auditum fuit diſtinguens, tùnc primum auditum fuiſſe: *Si quis vult venire poſt me*, expreſsè docet in noſtra, & hanc eſſe ſententiam Doctoris maximi, conſtat. Eum audiamus ſuper Iſaiam

cap.

cap. 3. ibi: *Eventila omnes Synagogas Iudæorum, & nullum poteris invenire Doctorem, qui ſancta præcipiat, & contemptis divitijs, ſectandam doceat paupertatem.* Ergo neque in Sacris Scripturis, neque in Doctoribus Synagogæ invenit Hieronymus illud præconium Eliæ ab Authore noviter vociferatum ad ſequellam Chriſti, & ſectandam paupertatem.

131 Nec obſtat teſtimonium Div. Hieronymi, quo vtitur Hiſtoricus propheticus ad probandum verum Monachatum in veteri lege ex Epiſt. 4. ad Ruſticum, vbi ait ibi: *Filij Prophetarum, quos Monachos veteris teſtamenti legimus*; neque aliud ex Epiſt. 13. ad Paulinum, ibi: *Nos autem habemus propoſiti noſtri duces Paulos, Antonios, Iulianos, & Macharios, & vt ad ſcripturarum authoritatem redeam, noſter Princeps Elias, Præpoſitus noſter Eliſeus, noſtri duces filij Prophetarum.* Ex his exultat Author Maximum Doctorem docere verum Monachatum in veteri lege, & veros Monachos Eliam, Eliſeum, & filios Prophetarum appellaſſe; ſed ſi ad verba Div. Hieronymi reflectimur, nil à ſua doctrina magis alienum dici poteſt, nam S. P. Hieronymus filios Prophetarum non nuncupat abſolutè Monachos, ſed veteris teſtamenti, in quo omnia in figuris contingebant illis, vt ait D. Paulus: ergo iuxta mentem Doctoris Maximi, filij Prophetarum non erant veri Monachi, ſed figurativi, & vmbratici, vt patet; nam quid expreſsius poteſt dici, vt Pontifices, & Sacerdotes veteris legis figurativos fuiſſe, & vmbraticos explicetur, quam eos Pontifices, & Sacerdotes veteris teſtamenti appellare? Et ſi hoc genus arguendi licèt ex dictis SS. PP. quidquid eſt in lege gratiæ, probari poſſet in veteri teſtamento, nam Pontifices, & Sacrificia illius legis frequenter Patres cum addito veteris teſtamenti appellant Sacrificia, & Sacerdotes, & ex eorum dictis arguere poſſent Iudæi ex noſtris Patribus, ſuos figurativos non fuiſſe in miniſterijs, & gradibus illius legis, ſed veros, ideoque intelligendi ſunt Patres iuxta doctrinam §. ſuperiori traditam, à veteri ad novum teſtamentum ſemper diſcurſu allegorico procedere, per quod patet ad 2. D. Hieronymi Patris noſtri teſtimonium.

132 Div. Pater Auguſtinus pluribus in locis cum Doctore Maximo ſentit, & ſui ingenij acumine effectus Chriſti gratiæ divinitus explicauit ad vtrumque teſtamentum pertinentes, & ſemper conſtanter docuit, verum Monachatum cum votis, vitamque communem Monaſticam à Chriſto incepiſſe docet, & prædicatam fuiſſe in Eccleſia poſt paſsionem, & Crucem ſuam,

ſan-

ſanctique ſpiritus adventum, vt patet ſermone 21. ad fratres, ibi: *Eremitarum, & Cœnobitarum genus, & ordo, quorum vita clariſsima, & ſancta converſatio, tempore Apoſtolorum ſumpſit exordium.* Et ſermone 39. de *vita ſolitaria, & contemplat.* ibi: *Hæc eſt illa norma Apoſtolica, virga directionis, & æquitatis, quæ tempore Apoſtolorum prædicationis ſumpſit exordium.* In quibus verbis conſonat Auguſtinus cum Eccleſia de Apoſtolis dicente: *Per quos Religionis ſumpſit exordium.* Et lib. 17. de *Civitate Dei, cap.* 14. ibi: *Dixerunt enim potentes illi, ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: Hoc votum potentiſsimi voverunt, ſed vndè hoc eis, niſi ab illo, de quo hic continuo dictum eſt: dans votum voventi?*

133 His teſtimonijs ducti quotquot ſcripſerunt Doctores de Statu Religioſo ſemper, & in omnibus ſuis diſputationibus Div. Auguſtinum pro noſtra concluſione laudant; ſed ne interpretationi ſit locus, teſtimonium adducere placuit Auguſtini ſuper Pſalmum 132. *Ecce quam bonum, & quam iucundum,* ibi: *Barba ſignificat fortes, barba ſignificat iuvenes ſtrenuos impigros, alacres; ideò quando tales deſcribimus, barbatus eſt homo dicimus: ergo illud primum vnguentum deſcendit in Apoſtolos, deſcendit in illos, qui primos ſæculi impetus ſuſtinuerunt, deſcendit ergo in illos Spiritus Sanctus, nam & illi, qui primo in vnum habitare cœperunt, perſecutionem paſsi ſunt, ſed ſi numquam deſcendiſſet vnguentum, modo Monaſteria non haberemus, ſed quia deſcendit in oram veſtimenti eius, ſecuta eſt Eccleſia de veſte Domini, peperit Monaſteria.* Docet igitur Auguſtinus, quod ſtatus Religioſus Monaſticus verus, natus fuit in Eccleſia ex plenitudine legis gratiæ, & virtute Spiritus Sancti per Sanctos Apoſtolos, in quos primum deſcendit virtutis eius vnguentum, quo recepto, Eccleſia peperit Monaſteria: ergo omnia illa Monaſteria in Carmelo fundata per novem ſæcula ante Chriſti adventum, vt aſſerunt adverſarij, iuxta ſententiam Auguſtini imaginaria ſunt, & ſine fundamento.

134 Quod manifeſtius fiet ex eodem Auguſtino ibidem, vbi docet vitam communem Monaſticam inauditam fuiſſe in Iudæa vſque ad prædicationem Apoſtolorum per orbem terrarum, poſt Spiritus Sancti adventum, ad illa verba: *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum,* ait ibi: *Iſta verba Pſalterij, iſte dulcis ſonus, iſta dulcis melodia, tàm in cantico, quàm in intellectu etiam Monaſteria peperit, ad hunc ſenſum excitati*

ſunt fratres, qui habitare in vnum concupierunt, iſte verſus fuit tuba ipſorum, ſonuit per orbem terrarum, & qui diviſi erant, congregati ſunt in vnum, clamor Dei, clamor Spiritus Sancti, clamor propheticus non audiebatur in Iudæa, & auditus eſt in orbe terrarum. Adverſus iſtum ſonum ſurdi erant inter quos cantabatur, & apertis auribus inventi ſunt, de quibus dictum eſt, quibus non eſt nuntiatum de illo videbunt, & qui non audierunt intelligent. Nulla indigent ponderatione mirabilia D. Auguſtini verba, quia luce meridiana clarius docet, vitam Monaſticam, licèt pronuntiata, & prophetata fuerit in verſo Pſalterij, nullo modo auditam fuiſſe in Iudæa ante Spiritus Sancti deſcenſum, quia ſurdi erant inter quos cantabatur; imò inuere videtur primum auditam fuiſſe in orbe terrarum, quam in Iudæa, quod Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ conſonat, ex qua habemus prius in Alexandria incepiſſe per diſcipulos Div. Marci, qui primi Chriſtiani nominati ſunt, quam in Paleſtina Monachatus verus, & Monaſteria inceperint.

135 In eodem ſenſu proſequitur Div. Auguſtinus ibidem explicans quandò, & per quos inceperit vita communis Monaſtica inſtitui, & per orbem terrarum prædicari, ibi: *Verumtamen, dilectiſsimi, ſi conſideremus de illo pariete circumciſsionis, prius nata eſt benedictio, non enim omnes Iudæi perierunt, & vndè Apoſtoli filij Prophetarum, ſicut iam ſcientibus loquimur? Vndè illi quingenti, qui Dominum poſt reſurrectionem viderunt, quod commemorat Apoſtolus Paulus? Vndè illi centum viginti, qui ſimul erant in vno loco poſt reſurrectionem Domini, & Aſcenſionem in Cælo, quibus in vno loco conſtitutis ſupervenit Spiritus Sanctus in die Pentecoſtes miſſus de Cælo, ſic miſſus ſicut promiſſus? Omnes indè erant, & ipſi primum habitauerunt in vnum, qui omnia, quæ habebant vendiderunt, rerumque ſuarum pretia ad pedes Apoſtolorum poſſuerunt, ſicut in actis Apoſtolorum legitur, & diſtribuebatur vnicuique, ſicut cuique opus erat, & nemo dicebat aliquid proprium, ſed erant illis omnia communia, & quid eſt in vnum? Et erat illis anima vna, & cor vnum in Deo: ergo ipſi prius audierunt: Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum, primi audierunt, ſed non ſoli audierunt, non enim vſque ad illos iſta dilectio, & vnitas fratrum, venit enim, & ad poſteros illa charitatis exultatio, & votum Deo.* Hucuſque D. Auguſtinus, in quibus expreſsè, & manifeſtè docet vitam communem, fratrumque habitationem in vnum, &

vo-

votum Deo primum Apoſtolos, & cum illis congregatos ex Iudæis audiviſſe, poſt Spiritus Sancti deſcenſum, & veterem legem excludit per illa verba: *Non enim vſque ad illos iſta dilectio, & vnitas fratrum*: ergo ante illos nulla extiterunt Monaſteria fratrum habitantium in vnum, nec intellectus fuit canticus ille: *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.*

136 Ex ipſis verbis Auguſtini contra adverſarios reflecti poteſt, quia ex officio in die Commemorationis B. Mariæ de Monte Carmelo probare intendunt, verum Monachatum in veteri lege dicentes plurimos illos viros de quibus ibi, diſcipulos fuiſſe Eliæ, & Ioannis Baptiſtæ, ad Chriſti Domini fidem, & diſcipulatum converſos, quod libenter admittimus; ſed veros fuiſſe Religioſos cum votis, vt aſſerunt adverſarij, negamus, & ex doctrina Auguſtini ſupra tradita contra illos breviter inſurgimus. Viri illi ad Chriſti Domini fidem converſi diſcipuli erant Eliæ, & Eliſæi, & Ioannis Baptiſtæ; ſed iſti primi cum Apoſtolis audierunt vitam communem, & votum Deo poſt Spiritus Sancti deſcenſum: ergo antequam Chriſtus Dominus veniret, & Spiritus Sanctus deſcenderet, nec illi viri, nec Magiſtri eorum viri Religioſi fuerant cum votis in veteri lege. Diſcurſus ex doctrina D. Auguſtini eſt evidens.

137 Nec intactum reliquit Div. Auguſtinus, qualis ante Chriſti Domini adventum Monachatus fuerit, & figurativum fuiſſe manifeſtè docet ſuper eumdem Pſalmum, ibi: *Noe ſignificat Rectores Eccleſiæ, quia ipſe arcam in diluvio gubernauit: Daniel autem vitam quietam elegit in Cœlibatu ſervire Deo, ideſt, vxorem non quærens, erat vir Sanctus in deſiderijs cœleſtibus vitam gerens, tentatus in multis aurum obrizum, quam quietus erat, qui inter Leones ſecurus erat, qui etiam vir deſideriorum eſt appellatus, ſed vtique caſtorum, atque ſanctorum ſignificantur ſervi Dei, de quibus dicitur: Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Duos perfectionis ſtatus, quibus Eccleſia pollet ſignificatos invenimus in verbis Auguſtini, & figuratos: in Noemo Epiſcoporum, & Eccleſiarum Rectorum: In Daniele Monachorum, & Religioſorum. Vterque enim figura, & vmbra erat, ſed vnus ex præcipuis Monachis veteris teſtamenti, quem Elianum faciunt adverſarij, fuit Daniel Propheta, & iſte, ſecundum Auguſtini doctrinam, fuit vmbraticus Monachus, figurativus, & ſignificativus verorum Monachorum legis gratiæ: ergo, & cæ-

cæteri veteris teſtamenti figurativi fuerunt, & non veri Monachi cum votis. Eſt igitur certum, & indubitatum iuxta doctrinam SS. PP. NN. Hieronymi, & Auguſtini, quod in veteri teſtamento verus Monachatus non fuit auditus; ſed primum in lege gratiæ inſtitutus à Chriſto Domino, confirmatus per Spiritum Sanctum, & per Apoſtolos prædicatus; quod vero ſi aliqui in veteri teſtamento ſolitariam vitam tenuerunt, in vmbra veri Monachatus degentes, veritatem ſtatus Religioſi in votis non attigerunt.

§. V.

Verus ſenſus D. Bernardi explicatur, & aperitur contra adverſariorum interpretationem.

138 DIv. Bernardus ab omnibus Scriptoribus etiam enumeratur inter Sanctos Doctores, & Magiſtros, & docentes verum Monachatum à Chriſto Domino fuiſſe inſtitutum, cuius ſenſum ſiniſtra quadam interpretatione, & à ſana doctrina aliena à propria ſententia in oppoſitum, & menti Doctoris contrarium convertit Hiſtoricus propheticus, lib. 3. cap. 29. §. 1. ſed ita manifeſta ſunt Melliflui Doctoris verba, vt à nullo ingenuo Magiſtro, vel Doctore in alio poſsint intelligi ſenſu. Primum teſtimonium deſſumitur ex Epiſtola *ad Monachos Montis Dei*, ibi: *Hæc novitas non eſt novella vanitas, res eſt antiquæ Religionis perfectæ fundata in Chriſto, pietas antiqua, hæreditas Eccleſiæ Dei à tempore Prophetarum, iamque nouo gratiæ ſole exorto, in Ioanne Baptiſta inſtaurata, & innovata ab ipſo Domino familiariſsimè celebrata, & ab eius diſcipulis, ipſo præſente, concupita.* Secundum teſtimonium eſt ex Apologia ad Guillermum, ibi: *Ordinem ſcilicèt, qui primus fuit in Eccleſia, imo à quo cæpit Eccleſia, quo nullus in terra ſimilior Angelicis ordinibus, nullus vicinior ei, quæ in Cœlis eſt Mater noſtra, ſiuè ob decorem caſtitatis, ſiuè propter charitatis ardorem, cuius Apoſtoli inſtitutores, cuius ij, quos Paulus Sanctos appellat, inchoatores extiterunt.* Senſus manifeſtus eſt, nam Apoſtolos, & Diſcipulos Domini inſtitutores, & inchoatores ordinis Monaſtici appellat, & nullis alijs expreſsioribus verbis potuit Mellifluus Doctor propriam ſententiam, & mentem explicare.

139 Hiſtoricus vero propheticus loco ſupra citato, num. 6. vt D. Bernardum, alioſque Sanctos Patres in gratiam ſui Monachatus Iudaici interpretetur, quandam generalem doctrinam proponit diſtinguens in veteri teſtamento opera legis, & opera fidei: opera legis appellat ſacrificia, ſacramenta, altare, & arcam: opera fidei virtutes omnes, & inter eas enumerat caſtitatem, paupertatem, & obedientiam, ieiunia, & pœnitentiam, & alia huiuſmodi, & ait, quod opera legis, quia corporalia, & ſenſibilia erant tranſierunt cum ipſa lege, opera vero ex fide facta permanſerunt in nova, quia eiuſdem naturæ, & rationis ſunt in vtroque teſtamento, & ex his ſuppoſitis concludit, quod Monachatus veteris legis cum fuerit fundatus, & inſtitutus in operibus fidei permanſit in novo teſtamento in eodem ſtatu, in quo inſtitutus fuit ab Elia, & in hoc ſenſu dicit Divus Bernardus cum alijs Patribus, præfiguraſſe Elianum Monachatum noſtrum evangelicum, tamquam imperfectum perfectum.

140 Sed hæc doctrina ſupponit falſum contra D. Thomam, & D. Auguſtinum negantes, quod in veteri teſtamento data fuiſſent maiora præcepta, & conſilia, vt probatum eſt ſupra diſcurſ. 1. §. 2. & 4. ergo neque datæ fuerunt, & revelatæ virtutes illæ quarum obſervantia cum voto pertinebat ad illa præcepta maiora, & conſilia evangelica, & adhuc in gratiam Authoris conceſſo, quod negant Patres: maiora præcepta, & conſilia data fuiſſe, verum Monachatum non probat, quia hic conſiſtit in virtutibus cum votis obſervatis, quod vt probaret, exiſtentiam, & obſervantiam votorum debet oſtendere in veteri lege. Tùm etiam falſa eſt, & parum tuta Authoris doctrina; quia licèt virtutes fidei, ſpei, & charitatis, & morales omnes, ſint eiuſdem rationis, & naturæ in vtroque teſtamento, in veteri tamen, quia ex ſe gratiam, nec meritum conferebant ex lege, totum ſtatum illius populi conſtituebant figurativum, & vmbraticum ſicut ipſa lex, qui quidem ſtatus pertranſijt, & lege Chriſti ceſſavit: ergo dato, & non conceſſo illo ſtatu cum virtutibus ex fide Chriſti futuri, adveniente lege gratiæ, ſtatus veteris teſtamenti tranſiret, & novus conſtitueretur adveniente lege gratiæ.

141 Tùm etiam, quia actus omnium virtutum fidelium illius populi erant ſub illa lege, vt docet D. Thomas 1. 2. q. 100. art. 2. Atqui lex illa tranſlata fuit, & ſtatum mutavit, vt docet idem D. Thomas ibidem, art. 1. in argumento *ſed contra* ex Div.

 Pau-

Paulo ad Hebræos, cap. 7. ibi: *Tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt, vt legis tranſlatio fiat*: ergo virtutes illius legis tranſlatæ fuerunt cum ipſa lege, & quoad ſtatum aliæ factæ ſunt in lege gratiæ. Confirmatur ex eodem D. Thoma ibidem ad 1. ibi: *Dictum eſt ſupra, quod obiectum Theologicarum virtutum, inter quas eſt fides, eſt finis vltimus.; ſed tamen fides habet alium ſtatum in veteri, ac in nova lege, nam quod illi credebant futurum, nos credimus factum*: ergo ſtatus fidelium alius fuit in veteri, ac in novo teſtamento, licèt virtutes eiuſdem rationis ſint in vtroque teſtamento, ac perconſequens ſtatus Monaſticus, ſi extitiſſet, alius eſſet in novo, & alius in veteri teſtamento.

142 Hæc doctrina confirmatur ex D. Hieronymo P. N. qui ad D. Auguſtinum Epiſt. 89. aut ibi: *De plenitudine eius accepimus gratiam pro gratia, quia lex per Moyſen data eſt, gratia autem, & veritas per Ieſum Chriſtum, pro legis gratia, quæ præterijt, gratiam evangelij accepimus permanentem, & pro vmbris, & imaginibus veteris teſtamenti, veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* In quibus verbis ſubtiliter nos docet S. P. Hieronymus, quod licèt eiuſdem naturæ ſit gratia veteris teſtamenti,& novi,illa fuit tranſiens, iſtaque permanens; vndè gratia mutata eſt in novo teſtamento, licèt non quoad naturam, quoad ſtatum tamen, & effectus, vt patet; nam gratia in veteri teſtamento ex meritis Chriſti futuri, conſtituebat, & efficiebat ſanctos illos Patres ſervos gratos ſub lege ſervitutis: in novo vero teſtamento efficit ſanctos, & iuſtos filios ſub lege libertatis iuxta illum Ioannis; *Iam non dicam vos ſervos ſed amicos.* Atqui ſtatus ſervorum, amicorum, & filiorum diſtinguuntur:ergo gratia veteris teſtamenti præterijt adveniente gratia evangelij permanente, vndè falſa eſt Authoris doctrina, quod virtutes non mutaverunt ſtatum in lege gratiæ, ac perconſequens licèt conſilia paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ obſervata fuiſſent in veteri lege, vmbra fuiſſent, & figura ſtatus Religioſi evangelici, quem novum quoad eſſentiam, & ſubſtantiam inſtituit Chriſtus Dominus in novo teſtamento.

143 Sed quia hanc novam, & falſam doctrinam introduxit Author, vt teſtimonijs SS. PP. ſatisfaceret, & præcipuè Div. Bernardi authoritati dicentis, Monachatum verum advmbratum fuiſſe in Prophetis,& inſtitutum à Chriſto,ipſum Mellifluum Doctorem audiamus in ſermone de *verbis evangelij*: *Ecce nos reliquimus omnia*, cuius verba ad longum referam, quia quidquid

con-

contra Monachatum Iudaicum diximus continent, & Authoris doctrinam falſam eſſe demonſtrant, propè principium ait ibi: *Excuſant aliqui fortaſſe dicentes Abraham, Iſaac, & Iacob, cæterique ſanctis, nunquid non terrenis divitias habuiſſe leguntur? Sufficit nobis eſſe, ſicut illi fuerunt, neque enim ſumus nos Patribus meliores, ſi culpabilis eſſet poſſeſsio divitiarum, nunquam illi in divitijs tantam à Dño gratiam obtinuiſſent, aut tantam gratiam conſequuti, divitias nihilominus poſſediſſent. Quid reſpondebimus nobis imitatoribus ſanctorum veterum? Imponant certè vitulos ſuper altare Domini, mactent arietes, hircos immolent, quia & hoc Abraham fecit, & hic ritus Patrum, quibus non modo meliores ſumus; ſed nec digni quidem ſolvere corrigiam calceamentorum eorum: ſed hæc inquirunt ſtatum, vltra non habent vbi revelata eſt veritas tranſiere. Quid, ſi ipſas quoque ſanctorum divitias temporales vmbram fuiſſe dixerimus futurorum? In figura ſiquidem eis omnia legimus contigiſſe. Denique, quid ni terrenas palam divitias poſſiderent ſancti, & perfecti viri, cum ſola adhuc terrena palam promitterentur à Deo? Sicut enim ſacrificijs illis, ſic & divitijs carnalibus adhuc populis diſpenſatio divina morem gerebat, nimirum, vt tanquam parvuli paulatim à Gentilium receđerent ritu, eadem qua gentes dæmonijs Domino immolantes, eademque & illi, ſed à Domino, non à dæmonijs expectantes. Vbi ſanè cœleſtis promiſsio ſonuit, ſpiritualia iam neceſſe eſt ſpiritualibus comparari, & mutari ſacrificium, ſpè mutata; noverant hæc quicumque, vel eo tempore fuere perfecti, ſed ex charitate populo cohærebant, vt in manifeſto quidem, & agere eadem, & eadem quærere viderentur. An fortè violenta videtur extorſio, quod de vmbra dicimus, & ſignificatione? Olim alter ſuper hæc ſcripſerat in hunc modum; nullus mihi apponat aurum templi Iudæorum, tunc enim hoc fuit quando ſanguis immolabatur, quod totum figura fuit: Aurum ergo repudiemus cum cæteris ſuperſtitionibus Iudæorum, aut ſi aurum placet, placeant, & Iudæi. Poſtremò non multos legiſſe me recolo, aut non afflictos graviter, aut non graviter in ipſa ſæculi huius proſperitate tentatos, fortè, & periclitatos. Nimirum longe aliud eſt in luto aquarum multarum diviſi fundo maris iter carpere, terrena licitè poſſidendo: aliud ipſam quoque novis greſibus vndam calcare, omnia relinquendo, ſed tempori gratiæ prærogatiua hæc debebatur. Porrò novum iter, & novi typus itineris ſervabatur: antiquorum ſanè Patrum diebus, donec in terris videretur, & converſaretur inter homines Dñs Maieſtatis, non erat evangelica forma perfectionis, & ſpiritum Domini ſolo interim ſpiritu ſequebantur, at vbi verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, iam nobis in eo tradita eſt imago vitæ, & con-*

verſationis exemplar, quod oportet etiam corporaliter imitari, vt vtroque ſequentes veſtigio, non vlterius cum Patriarcha Iacob, altero femore claudicemus. Vbi enim audinimus, quia dictum ſit antiquis, niſi quis renuntiauerit omnibus quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus? Et item: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cælo, & veni, ſequere me? Neque id dicimus tamquam ſalvari quis, vel hoc tempore nequeat, ſi ſecus egerit, ſed vt gradum agnoſcat proprium, & locum perfectionis, aut diſcipulatus officium non vſurpet. Habent evangelia, & perfectionis conſilium, & remedium infirmitatis. Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, hæc perfectio eſt, ſiquidem filius hominis vbi caput reclinaret non habebat; Petro, & Ioanni nec argentum, nec aurum erat. Paulus victu, ſimpliciqne veſtitu contentus, hæc ipſa labore manuum acquirebat, ſed non omnes capiunt verbum hoc ſicut nec conſilium caſtitatis. Hæc D. Bernardus, in quibus verbis quidquid contra Monachatum Iudaicum verum oppoſuimus, manifeſtè continetur, & exemplaritas Chriſti Domini Monachis circumciſsis revelata, vt conſilia paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis amplectentur, evidenter ex verbis relatis impugnatur, & cum Sanctis Patribus Hieronymo, & Auguſtino concludit Mellifluus Bernardus, vitam Monaſticam Religioſam ante Chriſti Dñi adventum, nec auditam, nec cognitam fuiſſe in terris.

§. VI.

Aliorum SS. Patrum, & Doctorum teſtimonijs comprobatur eadem noſtra concluſio.

144 SEmper receptum fuit in Chriſti Eccleſia ex communi SS. PP. doctrina, ſtatum Religioſum, tàm quoad eſſentiam, quàm quoad ſubſtantiam eius, à Chriſto Dño ſumpſiſſe exordium, & per Apoſtolos ſuos mundo fuiſſe propoſitum; ſed quia adverſarij ex eiſdem SS. PP. antiquiorem Eccleſia Monachatum intendunt facere, & veritatem ſtatus Religioſi inter vmbras veteris teſtamenti quærunt à SS. PP. ducti, vt aſſerunt; tàm ex Græcis, quàm ex Latinis aliquos referam, vt palam fiat per omnia ſæcula ſenſiſſe Doctores, & Patres verum Monachatum, vel ſtatum Religioſum cum votis, & conſilijs, quibus conſtituitur primogenitum filium eſſe Religionis Chriſtianæ, natum in Eccleſia ex Chriſto Dño, & per Sanctos ſuos Apoſtolos, qui nos per evangelium genuerunt, poſt Spiritus Sancti adventum propagatum, & orbi terrarum prædicatum. Sanctorum Patrum verba referam.

S. Ioan-

145 S. Ioannes Chyſoſtomus ad populum Antiochenum de *vita Monachorum*, ait ibi: *Tanti eſt Philoſophia à Chriſto introducta.* Et lib. 3. *contra impugnantes vitam Monaſticam*, ibi: *Apoſtoli huius Philoſophiæ documenta dederunt.* S. Baſilius Magnus de *Conſtitutionibus Monaſticis*, cap. 19. ibi: *Hi genus viuendi Apoſtolorum imitantur.* Vide Homiliam Sancti Baſilij in eius feſto, in qua ab Apoſtolis incepiſſe vitam Monaſticam docet infra 2. part. diſcurſ. 3. §. 3. S. Epiphanius *Hæreſi* 58. ibi: *Quinam hi fuerunt, qui ſe caſtraverunt propter Regnum Cælorum, quam generoſi Apoſtoli, & vitam Monaſticam degentes, deinceps Virgines.* Ioannes Caſianus lib. 2. inſtitutionum, cap. 5. ibi: *Cum in primordijs fidei pauci quidem, ſed probatiſsimi Monachorum nomine cenſerentur, qui ſicut à beatæ memoriæ Evangeliſta Marco, qui primus Alexandrinæ vrbis Pontifex præfuit, normam ſuſcepere viuendi, non ſolum illa magnifica retinebant, quæ primitus Eccleſiam, vel credentium turbas in actibus Apoſtolorum legimus celebraſſe* (*multitudinis ſcilicèt credentium, erat cor vnum, & anima vna*) *nec quiſquam eorum, quæ poſsidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* In quibus convenit, & conſonat cum Parente noſtro Hieronymo ſupra laudato de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* in vita D. Marci, quod etiam antea Euſebius ſcripſerat lib. 1. cap. 15. & 16. de *Monachis Alexandrinis*, ibi: *Eſt autem in multis terrarum locis hoc genus hominum, oportebat enim perfecti, boni participes fieri, tàm Græcos, quàm Barbaros, verùm in Ægypto in ſingulis præfecturis ſicuti vocant, abundant, & maximè circa Alexandriam.* Videri etiam poteſt S. P. N. Hieronymus de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* in vita Philonis. Et à tempore Apoſtolorum Cœnobitarum diſciplinam exordium ſumpſiſſe, expreſsè docuit idem Caſianus collat. 18. Poſidius Sancti Auguſtini diſcipulus in vita eius, ibi: *Factus ergo Presbyter Monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, vbi cæpit viuere ſecundum regulam ſub Sanctis Apoſtolis conſtitutam.* Pro hac quoque doctrina laudantur ab Scriptoribus Divinus Dionyſius Areopagita de *Eccleſiaſtica Hierarchia.* Sozomænus lib. cap. 12. Niphorus Calixtus lib. 2. cap. 15. D. Iſidorus de *Officijs*, *cap.* 15.

146 Antiquiores Eccleſiæ Patres ſequuntur Beda in Prologo in Marcum, & D. Laurentius Juſtinianus de *Ligno vitæ*, cap. 4. ibi: *Hanc ſpecialem paupertatis formam, tanquam perfectam Chriſtus ſervauit, & Apoſtolis ſervandam inſtituit.* Teſtimonia D. Thomæ ſupra adduximus §. 2. per totum. Angelicum Præceptorem

torem ſequuntur omnes eius diſcipuli, præcipuè ex eius familia S. Vincentius Ferrarius ſerm. in feſto S. Dominici habito, ex D. Thoma hanc de origine ſtatus Religioſi propoſitionem protulit, ibi: *Quantum ad eſſentiam totum hoc iam Chriſtus ordinauit: primus Prior fuit Chriſtus, quia dicit S. Thomas 2. 2. quæſt. 88. art. 4. ad 3. Quod Apoſtoli relinquentes omnia propter Chriſtum, vouerunt pertinentia ad perfectionis ſtatum, ex quo dicitur, quod iſta vouerunt, ſcilicèt, paupertatem, & caſtitatem.* Videndus eſt etiam Caycetanus in Commentarijs ad loca ſupra citata ex D. Thoma, & in Epiſt. 1. ad Corinthios, cap. 7. ad illa verba: *Conſilium autem do*, ſtatum in quo virginitas profitetur, proprium eſſe legis gratiæ docet, ibi: *Tertiò Paulus repetit hanc propoſitionem tamquam novam, vt magis imbiberetur in animis hominum, quod bonum eſt homini, hoc autem ideò proprium eſt ſtatui novi teſtamenti, quia gratia interna per Ieſum Chriſtum facta eſt ſemper; tùm quia plenitudo gratiæ, ad quam ſpectat ſtatus virgineus, propria eſt noui teſtamenti.*

147 Ex eadem familia inſignis Theologus, & Canoniſta celeberrimus Cardinalis Turrecremata, tract. 8. in Regulam S. Benedicti, ibi: *Genus Cœnobitarum aliquod inſtitutum ſumpſit à cuneis Prophetarum, vndè Samuel dicitur inſtituiſſe Religioſorum Conventus iugiter pſallentium Domino, vt ait Magiſter in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſuper illud 1. Reg. 10. Obviam habetis gregem Prophetarum, deſcendentium de excelſo, & ante eos pſallentium, quod autem iſtorum Prophetarum Conventus perſonas Religioſorum repræſentarent, teſtatur Hieronymus in Epiſtola ad Ruſticum Monachum dicens; filij Prophetarum, quos Monachos veteris teſtamenti dicimus, quoad perfectam vero formam communis vitæ, & abrenunciationem terrenorum, hoc genus Monachorum, hæc Cœnobitarum diſciplina, vt docet Caſſianus à tempore prædicationis Apoſtolicæ ſumpſit exordium.* Magiſter Soto in 4. diſtinct. 30. quæſt. 2. art. 1. ibi: *Quo circa licèt antea multi ob alios fines virginitatem ſervaſſent; tamen ſub voto veræ Religionis à Beata Virgine ortum habuit: votum enim Veſtalium Virginum Deorum ſuperſtitione vitiabatur, ſolemnitas veri evangelici voti à Chriſto incepit.* Magiſter Medina in 3. part. quæſt. 28. art. 4. ex multis capitibus ſtatum Religioſum negat in veteri lege, ibi: *Quia tùnc non erat in vſu votum ſolemne, tùm denique, quia votum ſolemne, ſecundum Div. Thomam, non poteſt eſſe ſine voto obedientiæ, & paupertatis, quæ non fuerunt in B. Virgine: tùm etiam, quia in veteri lege non erat ſtatus approbatus, in quo ſervaretur votum ſolemne, neque erant domus, aut*

Mo-

Monaſteria huic muneri dicata. Innumeri poſſent referri, & laudari Magiſtri, & Doctores Dominicani pro noſtra concluſione cum ſuo Magiſtro militantes, & noviſsimè eam defendunt validiſsimis rationibus Theologicis Illuſtriſsimus Dominus Araùjo in Salmanticenſi Academia Primarius, tom. 1. in 2. 2. quæſt. 99. diſputat. 4. ſect. 3. & Emminentiſsimus Dominus Cardinalis Capiſuccus ex Magiſtro ſacri Palatij ad purpuram ſacram aſſumptus, tom. 1. controv. 16 in qua adverſariorum ratiunculis reſpondet & verum Monachatum veteris legis impugnat.

148 Sacra Societatis Ieſu Religio in hac ſententia Thomiſta eſt, & pro D. Thoma concorditer pugnat, quia omnes Doctores Societatis, tam in Scholaſticis diſputationibus, & controverſijs dogmaticis, quàm in diſſertationibus Monaſticis, Hiſtoricisque, & Sacræ Scripturæ expoſitionibus, vno ore docent cum D. Thoma, verum Monachatum in Chriſto Domino incepiſſe; ſed quia Hiſtoricus propheticus aliquos ex eadem Societate pro ſuo circumciſſo Monachatu militare dicit, lib. 3. cap. 29. num. 2. in margine. Ex laudatis, aliquos referam, vt Authoris falſitas orbi appareat, & notum ſit omnibus, quam infideliter procedit in allegandis Patribus, & Doctoribus. Eximius Doctor Pater Franciſcus Suarez communem SS. PP. doctrinam defendit, tom. 2. in 3. partem, diſput. 6. ſect. 1. & tom. 3. *de Religione*, cap. 1. & 2. Magiſter Vazquez tom. 2. in 3. part. diſput. 124. cap. 5.

149 Cardinalis Bellarminus, qui pro ſuo vero Monachatu Iudaico ab Hiſtorico prophetico adducitur, contrarium expreſsè tenet, & docet tom. 2. controv. lib. 2. cap. 1. vbi poſtquam illos veteris teſtamenti Monachos figurativos, ex P. N. Hieronymo, appellavit, hanc concluſionem contra Magdeburgenſes ſtatuit de veris Monachis, ibi: *Sexto probatur ex Apoſtolorum exemplo, qui veri primi Monachi Chriſtiani, nam quod vitam Cœnobiticam inſtituerint, vbi eſſent omnia communia, patet ex actis Apoſtolorum* 4. Et ſubdit ibidem: *Quod denique ab Apoſtolorum exemplo cœperint Religiones, teſtantur quamplurimi Patres.* Quos ibi laudat in ſuis proprijs locis videndos. Adducitque pro ſua ſententia idem Author propheticus Heribertum Roſuеindum in vita Pauli; Baſſeum de ſtatibus Eremiticis: Poſſevinum in Bibliotheca, & Cornelium à Lapide in Geneſim: ſed falſo adducuntur ab Authore hi, ſicut alij Doctores, & Patres, nam licèt Heribertus vitam

tam ſolitariam exemplo Eliæ laudet;Religioſam cũ votis in Chriſto Domino per Apoſtolos incepiſſe expreſsè docet ex Chryſoſtomo, Hironymo, & Bellarmino. Baſleus contra producentem teſtatur libro de Anachoretarum origine, & vita, cap. 2. ibi: *Præſtantiam, & nobilitatem huius ſtatus Monaſtices ſumere poſſumus, primo ex origine eius, quia inchoatus eſt ab Apoſtolis, & primis Chriſtianis, vt iam dixit Poſidius in vita S. Auguſtini, & dixerunt cæteri Patres, & Euſebius, & Hieronymus, & Ioannes Caſianus collat.* 8. Poſſevinus in Biblioteca lib. 5. cap. 49. & 50. in veteri teſtamento vmbram Monachatus agnoſcens, vota à tempore Chriſti Domini, & Apoſtolorum incepiſſe conſtanter affirmat; & tom. 1. apparatus Monachos Carmelitanos Paleſtinos, & Cyrili Alexandrini Monachatum, Baronij verbis vtens, fabellam appellat. Doctiſsimus Cornelius à Lapide ab Authore citatus in Geneſim, cap. 5. verſ. 24. falſo etiam adducitur, nam ſuper num. cap. 6. differentia votorum inter Nazarenos aſsignans vota Religioſa, ſeu Monaſtica in veteri lege expreſsè negat, ibi: *Secus eſt in votis Religionis in lege noua quibus ſe homo ad nobiliſsima miniſteria ſe dedicat, quæ omne pretium excedunt, ideòque nullo pretio redimi poſſunt, quæ vota non erant in veteri lege.* Gregorius quoque de Valentia, qui ab Hiſtorico prophetico pro vero Monachatu circumciſſo laudatur, manifeſtè tenet, & docet verum ſtatum Religioſum à Chriſto Domino incepiſſe.

150 Caniſius, & cæteri ex Societate laudati pro Monachatu vero Iudaico, contrarium docent, & conſtanter defendunt ex Primatu voti Virginitatis Deiparæ, vt ſuo loco videbimus, & ex his relatis colligere poteſt lector, qua fide legendus ſit Hiſtoricus propheticus, qui verum ſenſum Doctorum confundens ſine diſtinctione procedit, & omnes, qui Eliam, & filios Prophetarum Monachos veteris teſtamenti appellant, illos à veris evangelicis diſtinguentes, ſine diſtinctione pro ſuo vero Monachatu circumciſſo laudat, eorum ſenſum, & mentem extorquens, vt in adductis conſtat, & de alijs demonſtrabitur infra.

151 Scherlogus in Cantica plurimos Doctores pro eadem ſententia refert, quam etiam docẽt Iacobus Latomus de *Inſtitutione Monaſtica*, cap. 2. Alanus Scopus, Dial. 6. cap. 6. Clotitens lib. 3. de *Votis Monaſt.* & Lorinus in *Acta Apoſtol.* verſ. 44. ibi: *Baſilius multis in locis, atque Auguſtinus hinc eruunt prima fundamenta Monaſtici inſtituti negantes aliter concordiam inter Monachos conſervari poſ-*

ſe,

ſe, Hieronymus quoque, & Caſianus agnoſcunt in iſtis altius illud vitæ genus. Auguſtinus Tornelius tom. 2. Annalium ad annum mundi 3139. ibi: Nec veri ſimile eſt, quod lege Moſaica adhuc vigente, Religio vlla ad legis evangelicæ normam, quæ nondum lata erat ab Elia, aut ab alio illorum tempore fuerit inſtituta.

152 In hanc ſententia conveniunt omnes Doctores antiqui, & moderni, eamque docuit celeberrimus Abulenſis Epiſcopus Alphonſus Toſtatus in 4. Regum cap. 1. ibi: *Dicitur de vxoribus Prophetarum, quia Prophetæ licèt eſſent viri ſancti, tamen Matrimonio vtebantur, quia tùnc non erat Religionis votum, nec ſtatus continentiæ, qui poſtea in novo teſtamento inſtitutus eſt.* Hunc etiam Doctorem pro ſua ſententia, etiam refert Hiſtoricus propheticus pluribus in locis, ſed qua fide, & veritate ex relatis verbis conſtat. Antiquus Abbas Ioachimus in introductione ad Apocalyp. c.20. ibi: *Primus ordo Religioſorum inſtitutus eſt ab Apoſtolis in primitiva Eccleſia.* Antonius Perez Epiſcopus Vrgenſis, & Salmanticenſis, Vniverſitatis Primarius in Regulam S. Benedicti ad cap. 1. num. 6. idem ex priſcis Eccleſiæ Patribus docet, ibi: *Sed quidquid de hoc ſit Cænobiatæ hoc Monachorum genus, non ſolum primum, ſed potiſſimum a priſcis, præſertim Baſilio, Caſiano, Iſidoro, & ſimilibus habetur, & commendatur dicentibus à tempore Apoſtolicæ prædicationis exordium ſumpſiſſe, quando multitudo credentium erat cor vnum, & anima vna.* Quod etiam ex Conſilijs Colonienſi, Meldenſi, & Rhemenſi apud Acta Eccleſiæ Galicanæ ibidem probat. Doctiſsimus Abbas Aſchanius Tamburinus de iure Abbatum, tom. 1. diſput. 2. de origine, & antiquitate ſtatus Religioſi diſputans, vmbraticos veteris legis ſupponens, quæſt. 1. in 2. hanc concluſionem ſtatuit num. 1. ibi: *Religioſorum ſtatum, non per purum hominem, ſed per verum ſimul Deum Ieſum Chriſtum in terris fuiſſe inſtitutum Catholicorum omnium communis eſt aſſertio.* Quod probat ex pluribus ibi citatis, præſertim ex Div. Dionyſio *de Cæleſti Hierarchia*, Thoma Vvaldenſe, Hieronymo Plato, quæſt. 8. inſtitutionem votorum à Chriſto Domino factam per ſingula diſcurrens, ex Sacris Evangeliſtis probat, & quæſt. 10. huius vitæ Apoſtolos inſtitutores oſtendit.

153 Baſilius Legionenſis Salmanticæ Academiæ Primarius, & celeberrimus Doctor, lib. 7. de Matrim. num. 1. de vero Monachatu Iudaico hanc ſententiam pronunciat, ibi: *Præter aliquos, qui refragantur, quos ſtatim referam, qui diſſentiret, aut rem*

hanc

hanc in dubium vocaret, legi neminem, & hinc patet quod merito ſæpè dixerim, ſine graui cenſura oppoſitum à Doctoribus Catholicis affirmari non poſſe. Vbi notari debet hunc authorem etiam pro ſua ſententia laudari ab Hiſtorico prophetico vbi ſupra. Miranda tom. 1. part. 1. quæſt. 3. art. 2. ait ibi: *Quamvis in veteri lege, & ante adventum Chriſti, & Sanctorum Apoſtolorum, vel Religioſi ſtatus aliqua præceſſerint veſtigia, ſymbola, atque figuræ, nulla tamen verè, & propriè Religio inſtar earum quæ in Eccleſia ſunt hodie, fuit ante tempora Chriſti.* Franciſcus Bordonus tom. 5. cap. 1. per totum Monachatum verum in lege veteri multis ſolidiſſimis rationibus impugnat, & fundamenta ab adverſarijs adducta ex ipſis Bullis, & Diplomatibus Pontificijs inſubſiſtentia, & falſa eſſe oſtendit. Magiſter Thomas Hurtado prædictum Monachatum verum Iudaicum impoſſibilem demonſtrat, & prætenſam exemplaritatem Chriſti ad vota emittenda Iudæis revelatam improbabilem ex Patribus eſſe docet, & probat in ſuo libro de vero Martyrio Fidei reſolut. 54. §. 4. Eruditiſſimus quoque noſter Chroniſta Frater Ioſephus à Siguença pro ſuo Monachatu Iudaico vero etiam ab Hiſtorico prophetico relatus, in vita S. P. N. Hieronymi, fol. 110. contrarium expreſsè docet, nam licet verum ſit, quod iuxta ſenſum S. P. N. Hieronymi Eliam, & Eliſeum, ac filios Prophetarum Monachos veteris teſtamenti appellet, figurativos, & vmbraticos, vt patet fol. 112. veros tamen per Sanctos Apoſtolos incepiſſe concludit fol. 114. ibi: *No es invencion nueva eſta, ni de ayer acà, ſino vn perfecto eſtado, que el miſmo Eſpiritu Santo puſo en los pechos de los Apoſtoles, como los primeros originales, para que deſde alli ſe trasladaſſe en el de todos los Fieles de la Igleſia.* Et poſt pauca mentem ſuam magis aperuit, ibi: *Digo, pues, que los Inſtituidores, y Fundadores de la vida, y eſtado Monaſtico fueron los Apoſtoles, como parece en el quarto libro de ſu Practica Evangelica.* Et hanc ſuam, & noſtram ſententiam eruditè probat ibidem ex Patribus.

154 In hac concluſione conveniunt omnes Patres, Doctores, & Magiſtri, qui à primo naſcentis Eccleſiæ ſæculo ſcripſerunt vmbram Monachatus in Synagoga agnoſcentes, veritatem tamen in Eccleſia per Chriſtum Dominum confitentes, vt Alanus D. Al 2. cap. 3. docuit, ibi: *Quid enim Nazaræi? quid Rechabitæ? quid Prophetarum filij aliud fuerant, quam quædam Monachorum noſtrorum prævia ſimulacra? Sed pro temporum ratione non omninò conſummata, atque abſoluta, nam quemadmodum reliquam Chriſtiano-*

rum

rum fidem, vitam, mores, & inſtituta typicis vmbris figurabant, ita & certè noſtros Monachos, ſed hoc idem tenuiùs, & obſcurius, propter quod, ſi non tota, & præcipua, magna tamen felicitatis Iudæorum pars, & bonorum à Deo illis indulgendorum pollicitatio, ad temporalia quædam commoda, & præſentis vitæ commoditates referebantur, & nihil mirum ſi Monachorum inſtituta, non tam acuratè, vt hodie noſtri, excolerent, apud quos ſterilitas legis etiam execratione devoveretur. In eodemque ſenſu ſententiam ſuam Eruditus in rebus Monaſticis Antonius Dardinus Vniverſitatis Toleſanæ Decanus profert in ſuo Aſceticon lib. cap. 1. ibi: *Sed hæc omnia fuerunt tantum ſimulacra vitæ Monaſticæ, nec Monachi Chriſtiani poſſunt laudare Authores homines veteris teſtamenti, quod lege euangelica evacuatum eſt, & ſatis eſt, ſi admittamus eos adumbraſſe figuram Monachorum, quorum longe perfectio fuit propoſitum ſolemnitate, & Religione voti.* Denique Lucas Holſtenius Vaticanæ Baſilicæ Canonicus, & Apoſtolici Palatij Bibliothecarius in ſuo Codice Regulari, in quo omnium SS.PP. Regulæ continentur, rem eleganter explicuit tom. 1. in Procemiali diſſertatione, cap. 1. ibi: *Fruſtra ſunt, qui verum, & perfectum Monachiſmum Chriſtianiſmo vetuſtiorem faciunt, cius in veteri teſtamento figura magis, quam forma, præſagia potius, quam exempla reperiuntur: Anachoreſis Eliæ huius, & Eliſæi diſcipulorum convictus Nazaræorum, & Rechabitarum inſtituta, tùm ſi quæ occurrunt alia eius generis, videri poſſunt quædam quaſi rudimenta gratiæ Monachatus facere exordientis: Eſſeni quoque, quorum Hebræi meminerunt, vti & quos Philo libro proprio deſcribit (quamquam hos Sanctus Hieronymus fuiſſe Chriſtianos putet) multis, vt palam eſt, differentijs à Monachorum inſtituto diſcrepant.* Quamplurimi poſſent pro vero Monachatu evangelico enumerari, vt noſtram concluſionem communem, & vniverſaliter receptam in Eccleſia oſtenderent; ſed laudati Patres, & Doctores ſufficiunt, vt Monachatus verus circumciſſus contra communem Patrum doctrinam introductus demonſtretur, quod quidem in §§. ſeqq. ex alijs capitibus fiet amplius manifeſtum.

DIS-

DISCURSUS TERTIUS.

Status Religioſus verus cum votis evangelicis improbabilis oſtenditur in populo circumciſſo, ex defectu cultus Virginitatis in illa veteri Lege.

§. I.

Sacra Scriptura teſtimonijs noſtra concluſio ſtabilitur.

155 UT Verum Monachatum evangelicum in veteri lege aſtruant adverſarij, votum caſtitatis, & virginitatis, ſine quo ſubſiſtere non poteſt verus Monachatus, in Synagoga obſervatum probare intendunt, quod Sacræ Scripturæ non convenire, & Sanctis Patribus repugnare ex multis, & efficacibus rationibus hic demonſtrabitur, nam licèt virginitas non fuiſſet prohibita Iudæis, vt plurimi Doctores ſentiunt, & aliqui pauci ex populo illo virginitatem ſervaverint, vel inſpiratione aliqua interna, vel ſpeciali impulſu, vt vmbram futurorum tenerent, cum voto tamen ex aliqua lege publica, vel inſtituto, cultuque externo oblatam Deo virginitatem negamus, ex Sacra Scriptura, & SS. PP. doctrina ab Eccleſia recepta, vel quia ſterilitas, & infecunditas maledicta fuit in illa lege, vel quia virginitas fuit in opprobrium, & contemptum Iudæis, vel quia circumciſsis excellentia eius non fuit cognita, nec revelata, vel quia tùnc Matrimonium præferebatur virginitati, quod in Sanctis Patribus, & Doctoribus apertè, manifeſteque videbitur.

156 Plurima ex Sacra Scriptura teſtimonia adduci poſſunt ad intentum; ſed pauca referam, ex quibus SS. PP. & Doctores cultum Virginitatis in veteri lege negant. Nam Deuteron. cap. 7. dicitur ibi: *Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus*: & quamvis hæc ver-

verba diuinam promiſsionem contineant, qua Deus Iudæis fecunditatem promittat in hominibus, & pecoribus, ex hoc rectè colligitur fecunditatem in populo illo voluiſſe, & multiplicationem prolis gratam fore ſatis apertè indicauit. Et Exod. 23. ibi: *Non erit inte infecunda, nec ſterilis in terra tua.* Ex quibus, & alijs in lege contentis ſterilitas in opprobrium habebatur apud Iudæos, vt conſtat 1. Reg. cap. 1. quod æmula Annæ eam affligebat, & ei exprobabat, quod ſterilis eſſet, quod Anna amaro animo ſemper erat: & Geneſ. 30. quod cum Rachel peperiſſet Ioſeph, dixit: *Abſtulit Deus opprobrium meum.* Et Lucæ 1. cum Sancta Eliſabeth in ſua ſenectute conceptionem Ioannis ſenſiſſet dicebat: *Quia ſic fecit mihi Dominus in diebus, in quibus reſpexit auferri opprobium meum inter homines.* Et Oſeæ cap. 9. pro maledicto, & punitione dicitur: *Da eis vuluam ſine filijs, & vbera arentia.* Ex quibus clare colligitur virginitatem non ſolum in primis temporibus legis, ſed etiam in fine legis in opprobrium fuiſſe Iudæis, nam poſt conceptionem Baptiſtæ, qua Deus ſterilitatis opprobrium abſtulit, & gratias obtulit, & laudes refert Eliſabeth pro fecunditate.

157 Ex quibus ratio conficitur, vt cultum virginitatis à populo illo excludatur; quia vt haberet cultum publicum virginitas in illa lege veteri, & laudabiliter in aliquo ſtatu poſſet ſeruari, deberet conſtare populo opprobrium infecunditatis eſſe ſublatum, ſed ex nullo textu legis, neque Prophetarum conſtat opprobrium infecunditatis ſublatum fuiſſe, imò in tempore Eliſabeth adhuc perſeuerabat in exiſtimatione populi, vt ex verbis relatis ex Luca conſtat: ergo virginitas non habuit cultum in populo Iudæorum. Et confirmatur, quia vt virginitas eſſet materia voti in populo, in quo toties reperitur benedicta proles, & promiſſa à Deo fecunditas filiorum pro benedictione debuit eſſe cognita eidem populo, & virginitatis excellentia ſupra nuptias, & virginum benedictio, & maius virginibus præmium promiſſum, ſed nullibi in veteri teſtamento virginitas inuenitur propoſita, vt melius bonum, nec maius præmium ei promiſſum: ergo virginitas non fuit culta in illa lege.

158 Dictum probatur ex libro Eccleſiaſtici, nam à cap. 44. vſque ad 55. viros glorioſos veteris teſtamenti ab Henoch incipientis laudare, & præcipuas eorum virtutes referre, Henoch, Eliam, & Eliſæum ex multis commendat, nullus ex virginitate, caſtitate, vel continentia laudatur, & extollitur, quin potius in ge-

generationibus ſuis plurimi commendantur, & pro præmio, & gloria eorum felicitas in filijs, & nepotibus refertur: ergo tunc temporis virginitas cultum non habebat in illo populo, nec laudabilis erat, quia aliquis laudaretur ex ea, & mirandum eſt, quod Elias cap. 48. per totum ex multis virtutibus commendatur, & laudatur; at ex virginitate, neque ex voto continentiæ, neque ex inſtitutione virginalis ſtatus commendatur: ergo licèt ex divina inſpiratione interna virginitatem ſervaſſet; vt eſſet figura virginum evangelij pro illo populo virginitas laudabilis non erat, nec cultum habebat in lege veteri, nam alias inter cæteras virtutes Eliæ Eccleſiaſticus eius virginitatem enumeraret, & referret. Ex quibus hoc ſylogiſmo clauditur diſcurſus; quod in Sacra Scriptura non reperitur laudatum, neque commendatum, cultus eius vt Deo gratus improbabilis eſt ex Sacra Scriptura; ſed cultus virginitatis cum voto non reperitur laudatus, nec commendatus in Sacra Scriptura vſque ad Deiparam Dominam noſtram: ergo cultus Virginitatis ſaltem cum voto improbabilis eſt ex Sacra Scriptura in populo Iudaico, vel afferant adverſarij textum veteris teſtamenti, in quo laudetur virginitas vt nuptijs excellentior, & eius votum commendetur, vt melius bonum. Sed dicunt adverſarij, præcipuè Hiſtoricus propheticus in ſua Apologia, propoſit. 1. §. 2. virginitatem laudatam, & commendatam reperiri in ſacris litteris, tàm in Eſàia cap. 56. quàm in Sapientialibus, cap. 3. & teſtimonia, ne proprius ſenſus appareat, imperfecta; & mutilata refert; nam ex Eſàia tantum ſequentia verba proponit, ibi: *Non dicat Eunuchus, ecce ego lignum aridum*; & ex Sapientialibus: *Felix Spado, &c.* Sic ſacros textus indicat Apologiſta, vt ſenſum ſimulet in verbis, & nominibus tantum *Spadonis*, & *Eunuchi.* Itaque vt vera intelligentia ſacri eloquij manifeſta fiat, verba vſque ad perfectum ſenſum apponam, vt ex relatis & contentis circumſtantijs, tempora, de quibus loquuntur intelligantur. Verba Iſàiæ ſunt: *Non dicat Eunuchus, ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus de Eunuchis, qui cuſtodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* Sapientialium verba ſunt, ibi: *Spado, qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitavit adverſus Deum nequiſſima, dabitur ei donum fidei electum, & ſors in templo Dei acceptiſſima.* Ex his arguit Apologiſta vbi ſupra: In

Eſàia

Eſaia laudantur Eunuchi ſpirituales, ſed in Sacra Scriptura Eunuchi ſpirituales ſignificant caſtos, & virgines cum voto: ergo in veteri teſtamento reperitur laudatus cultus virginitatis cum voto.

159 Sed fallax eſt argumentum ex veteri ad novum teſtamentum, niſi à figura ad figuratum procedat, vt patet: in Eſaia, qui magis Evangeliſta, quàm propheta videtur, vt aſſerit S. P. N. Hieronymus, Chriſtus Dominus, virgo Deipara, Apoſtoli, & Eccleſia laudantur, & commendantur: ergo pro illo tempore in veteri teſtamento extiterunt quoad veritatem, infelix eſt, & hæretica conſequentia, nam vt ſupra diximus ex Epiſcopo Chriſto-politano quæcumque in veteri teſtamento inveniuntur, non gratia ſui, ſed in gratiam novi teſtamenti ponuntur, itaque Eunuchi laudati in Eſaia, & Sapientialibus, in figura commendantur evangelici, qui propter Regnum Cœlorum caſtrandi erant, & in hoc ſenſu nobis reliquit explicata Doctor Maximus verba Prophetæ, ibi: *Qui humiliter hunc locum intelligunt, ad proſelytos ex Gentibus, & verè Eunuchos referunt, quæ dicuntur.* Et poſtea: *Hoc, inquiunt, dicitur contra Iudæos, qui nobilitatem iactant generis, & filios Abrahæ ſe eſſe dicunt, & beatos putant qui habent ſemen in Sion, & domeſticos in Ieruſalem.* Senſus manifeſtus eſt; nam proſelyti ex gentibus; ad Chriſti fidem converſi ſunt ex Gentiliſmo, vndè qui humiliter hunc locum Iſaiæ intelligunt, ad Eunuchos Chriſtianos, & Evangelicos Iſaiæ prophetiam referri debent. Tùm etiam ſacer textus iuxta Doctoris Maximi intelligentiam, contra Iudæos loquitur, qui nobilitatem generis iactabant, & gloriam putabant ſemen habere in Sion, & domeſticos in Ieruſalem: ergo nullo modo intellegi poteſt Prophetia de virginibus illius gentis, & legis.

160 Prædictum ſenſum, mirabili ſua doctrina Doctor Maximus aperuit, verba Prophetiæ explanans, & ad proprium ſuum tempus referens, ibi: *Et quomodo in Proſelytis non eſt vlla diverſitas, ſed viri, & fœminæ ad ſalutem vocantur, ſic & in Eunuchis, qui ſe caſtraverunt propter Regna Cælorum, vterque ſexus accipitur, qui mortificaverunt membra ſua ſuper terram fornicationem, immunditiam, paſsionem, deſiderium malum, donec perveniant omnes in virum perfectum, & dicant cum Apoſtolo: Nos neminem novimus ſecundum carnem, & ſi agnouimus iuxta carnem, Chriſtum, ſed nunc iam non novimus? ergo in Eunuchis nequaquam illi intelligendi ſunt, quos ardens Poeta deſcribens ait: Nec non infelix ferro truncata iuventus, atque excîſa*

excæta virum; ſed illi de quibus Dominus in Evangelio loquitur, qui ſe caſtrauerunt propter Regna Cælorum, quales erant & Apoſtoli, quibus admirantibus, & pro rei diſſicultate dicentibus, quis ergo poteſt ſalvus fieri, reſpondit Salvator, qui poteſt capere capiat, vndè, & Apoſtolus de huiuſmodi Eunuchis, ideſt de virginibus, præceptum Domini ſe non habere teſtatur. In eodem ſenſu Prophetiam Iſaiæ explicuit in Epiſt. ad Euſt. 22. vbi poſtquam veteris legis felicitatem in partubus, & parturitionibus conſiſtere dixit, de tempore gratiæ ait, cap. 9. ibi: *Nunc Eunuchis dicitur, nec lignum arbitreris aridum, habes locum pro filijs, & filiabus in cæleſtibus ſempiternum.* Et contra Jovinianum, lib. 1. de Virginibus legis gratiæ Prophetam loquentem explicuit.

161 Quæ quidem expoſitio S. P. N. Hieronymi ex ipſis verbis Prophetæ evidens demonſtratur, nam ſi promiſſa Eunuchis, tàm in Eſaìa, quàm in Sapientialibus attente conſiderentur, nequaquam convenire Iudæis poſſunt; ſed omnia impleta ſunt in Eunuchis legis gratiæ promittitur enim Eunuchis, de quibus ſacer textus loquitur, locum nominatum, nomen melius à filijs, & filiabus in domo Dei, & nomen ſempiternum, donum fidei electum, & ſors in templo Dei acceptiſsima, ſed in toto veteri teſtamento nullum præmium pollicetur virginibus, nullumque locum tenebant in templo Eunuchi, imo à miniſterijs templi arcebantur, & infecundi, ſterileſque in contemptum populi erant, & virgines ipſæ ad ætatem nuptiarum pervenientes à templo excludebantur: ergo ſacri textus Iſaìæ, & Sapientialium nullo modo intelligi poſſunt de Eunuchis ſpiritualibus veteris legis.

162 Eſt autem ſenſus manifeſtus in Eunuchis legis gratiæ, in quibus adimpleta reperiuntur omnia, quæ in ſacris litteris reperiuntur promiſſa, quod ſatis innuit S.P.Hieron. vbi ſup. ad verba Prophetæ dicens, ibi: *Et qui Eunuchus fuerit, & fecerit vniuerſa, quæ ſcripta ſunt, habebit in muris eius locum optimum, vt, ſcilicèt, turris Domini efficiatur, & in Sacerdotali gradu conſiſtat, & pro filijs, multos habebit filios ſpirituales*: ergo ſecundum Patrem noſtrum Hieronymum, ſacri textus relati intelligendi ſunt de tempore, in quo ſpiritualis Eunuchiſmus coniungitur Sacerdotio, quod contrarium eſt diſpoſitioni veteris legis, in qua etiam Sacerdotium etiam ſummum per carnalem generationem fuit inſtitutum, nec tùnc temporis cognita fuit ſpiritualis regeneratio, quæ poſtea in lege gratiæ fuit facta in Sanguine Chriſti Domini per Eccleſiæ Sacramen-

menta. D. Baſilius de *vera virginitate*, de virginibus legis gratiæ Iſaiam explicat, ſacros textus,& præſertim verba Iſaiæ.

163 Nec alia promiſſa Eunuchis per Iſaiam, verificari poſſunt in Eunuchis circumciſis, nec in virginibus veteris teſtamenti; ſi aliqui virginitatem ſervarunt, non *nomen melius à filijs, & filiabus*, quia tùnc felicitas illius populi, in filijs, & nepotibus, & in generationibus ſuis exiſtimabatur, & in opprobrium habebatur infecunditas prolis; neque *ſortem acceptiſsimam* tenebant Eunuchi Iudæi in templo, nam ab illo arcebantur, & à miniſterijs ſeparabantur vt indigni: etiam virgines excludebantur in nuptiali ætate, ſupra diſc. 1. §. 3. Donum fidei electum nullo modo in illis Eunuchis reperiri poteſt, cum Summus Pontifex, cui donum fidei ad legis difficultates explicandas conceſſum fuit, ex Tribu Aaron per carnalem generationem deſcendere debebat, & Matrimonium contrahere ſecundum diſpoſitionem illius legis, quæ omnia ſimul conſiderata in Eunuchis illius populi reperiri non poſſunt, & in Eunuchiſmo ſpirituali evangelico videmus adimpleta, nam: Summo Pontifici Romano, cui dictum fuit in Petro: *non deficiet fides tua*, donum fidei electum tribuitur, & largitur per Chriſtum, quod etiam generali Concilio legitimè congregato conceditur, in quo omnes Eunuchi ſpirituales evangelici ſunt, & ex ordine Sacerdotali, nomen melius à filijs, & filiabus in virginibus novi teſtamenti reperitur, in quo præſtantia virginitatis ſupra nuptias explicatur, & à D. Paulo fuit prædicata Eccleſiæ, & ex his apertè conſtat, ſacros textus ex Sapientialibus, & Iſaia de evangelicis Eunuchis loqui, & ex dicendis apertius apparebit.

§. II.

Teſtimonijs ab Eccleſia approbatis, & in ea vniverſaliter receptis ſuprà dicta intelligentia ad ſacros textus roboratur, & confirmatur.

164 Officia Eccleſiaſtica à Breviarijs appoſita, & ab Eccleſia approbata magnam habere authoritatem nullus negare poteſt; ſed cum magna tamen differentia, nam aliqua approbata ſunt poſitivè pro vniverſali Eccleſia, de præcepto recitanda

da, aliqua vero permiſsivè pro aliquo Regno, Provincia, vel Religione, vt in ea recitari poſsint, qui vellint, & in eiſdem officijs aliqua ſunt quæ ad Hiſtorias Sanctorum pertinent, & alia quæ ad doctrinam, & veram Sacræ Scripturæ intelligentiam proponuntur, vt Homiliæ, & Sanctorum Patrum expoſitiones, vndè Sanctorum vitæ, & facta ab Eccleſia approbata pro aliqua Provincia, Religione, vel Regno cum ſint facti, & teſtimonijs falibilibus dependeant, eam habent firmitatem, quam teſtimonia quibus adhæret approbatio Eccleſiæ: illa autem quæ ex Sanctorum Patrum doctrina aſſumuntur, & vniverſali Eccleſiæ proponuntur ad rectam intelligentiam Sacræ Scripturæ, licèt infalibilia non ſint, maximam habent authoritatem, ex Summi Pontificis poſitiva approbatione, & ex receptione vniverſalis Eccleſiæ, ad veram intelligentiam textus quem explicant Patres in ſermonibus, vel Homilijs propoſitis ab Eccleſia, & nullus Catholicus audebit negare veram eſſe intelligentiam Sacræ Scripturæ, quam Eccleſia propoſuit ex aliquo Sancto Doctore in omnibus Chriſtianis Eccleſijs legenda, quia hæc approbatio à Summo Pontifice tamquam è Cathedra loquente procedit ad veram Scripturæ intelligentiam.

165 His ſuppoſitis, ad intentum deveniamus. In Officio S. Cæciliæ virg. & mart. die 22. Nov. præcipit S. Mater Eccleſia, vt legatur evangelium ex cap. 19. Matt. vbi dicitur, ibi: *Simile eſt Regnum Cælorum decem virginibus, &c.* cum Homil. S. Ioann. Chryſoſt. in qua legitur: *Magna quidem de virginitate diſſeruerat dicens: Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum Cælorum, & qui poteſt capere, capiat. Nec ignorabat de virginitate magnam eſſe vulgo exiſtimationem, quippè cum ſit ea res natura ſublimis, quod inde patet, quia neque in veteri teſtamento à priſcis illis, ſanctiſque viris culta fuit, & in novo nulla legis neceſsitate iubetur, &c.* In his verbis, doctrina, & expoſitio S. Ioannis Chryſoſtomi motu proprio, & ex certa ſcientia poſitivè, & ex præcepto proponuntur ab Eccleſia, & ab omnibus Eccleſijs admittuntur, & ex præcepto recitantur à Summis Pontificibus, Cardinalibus, Epiſcopis, Doctoribus, & Magiſtris, vndè iure optimo poteſt dici, quod doctrina in verbis D. Chryſoſtomi contenta, approbata eſt poſitivè ab Eccleſia, & in ea vniverſaliter recepta; ſed apertè, & manifeſtè proponitur, quod virginitas in veteri teſtamento, à priſcis illis, ſanctiſque viris non fuit culta: ergo ſecundum doctrinam approbatam, & receptam in Eccleſia cultus virginitatis, cum voto non poteſt defendi in veteri teſtamento.

Confirmatur, nam ſi cultum habuiſſet virginitas in veteri teſtamento, in aliquo ſtatu illius populi, diſcurſus ex Chryſoſtomo propoſitus ab Eccleſia, vt ſublimitatem virginitatis probaret, inutilis, & inanis eſſet, quod indè patet, quia ideò ſublimitas virginitatis legis gratiæ probatur à D. Chryſoſt. quia in lege veteri à priſcis illis, ſanctiſque viris non fuit culta, & in novo nulla legis neceſsitate iubetur: at ſi in lege veteri fuiſſet culta virginitas ex voto in aliquo ſtatu, ſicut in novo teſtamento, ex falſo principio procederet D. Chryſoſt. & ex eo Eccleſia: ergo vera intelligentia ab Eccleſia propoſita ſuper verba relata D. Matth. ſpiritualem Eunuchiſmum à veteri teſtamento excludit, & cultum virginitatis in veteri lege negat, ac perconſequens Eunuchi laudati, & commendati in litteris ſacris veteris teſtamenti, non Iudæi, ſed Chriſtiani ſunt intelligendi, & ſi aliqui illorum virginitatem ſervarunt, non veritatem evangelici voti, ſed vmbram tantum, & figuram tenuere.

166 Reflectendum etiam eſt in verbis relatis, quod S. Mater Eccleſia ex D. Chryſoſt. conſilium virginitatis, vt novum inſtitutum in evangelio ſectandum proponit, at ſi in veteri teſtamento culta fuiſſet virginitas cum voto in aliquo ſtatu, inſtitutum Eunuchiſmi ſpiritualis non eſſet novum in Chriſti Eccleſia: ergo in veteri teſtamento non fuit culta virginitas in aliquo ſtatu. Tùm etiam nam cultus virginitatis veteris teſtamenti, vt ſtatum conſtitueret, vel fuit introductus ab aliqua lege ligante, vel ab aliquo conſilio ſuadente; ſed cultus virginitatis populi circumciſsi ex lege illa non conſtat, nec conſilium invenitur, vſque ad promulgationem evangelij: ergo virginitas non fuit culta in aliquo ſtatu veteris teſtamẽti, ac perconſequens in Iſaia, & in libro Sapientialium non laudantur Eunuchi pro illo populo Iudaico, ſed ſpirituales Eunuchi novi teſtamenti. Idem habet. in 2. Offic. de commun. Virg. in Homil. vt infra 3. part. diſc. 1. §. 3.

167 Noſtra Sancta mater Eccleſia hanc ſemper tenuit intelligentiam, quam notam fecit nobis ex Patribus, vt cultum virginitatis proprium eſſe legis gratiæ populo Chriſtiano oſtenderet, itaque in Eccleſiaſticis Officijs, quid de virginitatis inſtitutione, & cultu ſentiat proponit, & à Chriſto Dño inſtitutum fuiſſe in ſuo Sancto Evangelio apertè docet, & confitetur. Legitur etiam in communi Virginum ad 2. Noct. ſermo S. Ambroſij, in quo de virginitate dicitur, ibi: *E Cœlo acceſsivit, quod imitaretur in terris, nec immerito vivendi ſibi vſum quæſivit à Cœlo, qua ſponſum ſibi invenit in*

Cælo. Hæc ibi: ex quibus formatur diſcurſus: Virginitas à Coelo acceſſivit, vt Sponſa Chriſti eam imitaretur in terris, & eius vſum, & cultum quæſivit à Coelo, quando ſponſum in Cęlo invenit: ergo vſus, & cultus virginitatis non fuerunt revelati antequam ſponſus eius manifeſtaretur in terris, quia alias veniret Sponſa, ſcilicèt, virginitas in mundum, antequam ſponſus appareret in terris, quod negat D. Ambroſ. tùm etiam: quia ſi virginitas veniſſet in mundum ſub lege veteri, & in ſtatu ſervitutis, non eſſet Sponſa, ſed ſerva: at vera virginitas Theologica, de qua natus fuit Chriſtus, numquam fuit ſerva, ſed libera, & cum eius Sponſo nata ex Virginitate Matris: ergo cultus virginitatis, & vſus in ea vivendi non fuerunt aliquo ſtatu veteris teſtamenti, antequam Chriſtus Dñs in mundum veniret, & eius Sponſus manifeſtaretur in terris.

168 Minorem propoſitionem ſatis innuunt S. Patres noſtri Hieronymus, & Auguſtinus, Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum cap. 9. ibi: *In Chriſtum renaſcimur virginem, qui natus ex virgine, & renatus per virginem eſt.* In quibus verbis naturalem, & temporalem Chriſti nativitatem, & miſticam miſtici corporis comprehendit Maximus Doctor D. Auguſtinus de *vera virginitate*, cap. 22. ibi: *Si harum Virginum quæritur Mater, Eccleſia eſt, non parit virgines ſacras, niſi virgo ſacra, virgo illa, quæ deſponſata eſt vni viro caſta exhiberi Chriſto, ex illa non tota corpore, ſed tota virgine ſpiritu naſcuntur ſacræ virgines, & corpore, & ſpiritu.* Ex dictis Hieronymo, & Auguſtino ſequens formatur ſylogiſmus à corpore naturali Chriſti, ad eius corpus miſticum procedens: ſicut virginitas corporis naturalis Chriſti Domini non poteſt dici in tempore genita, & nata niſi ex vera Virgine Matre, ſic ſimiliter virginitas corporis miſtici Chriſti non poteſt dici ſpiritualiter genita, & nata, Deoque dicata, niſi in Virgine, & ex Virgine Matre miſtica; ſed Eccleſia eſt vnica Sponſa Chriſti virgo, & Mater corporis miſtici Chriſti, imo, & eius corpus miſticum: ergo virginitas Deo ſacra non poteſt dici in tempore ſpiritualiter genita, niſi ex Chriſti Sponſa Virgine Matre miſtica in Chriſto, & per Chriſtum Dominum. Diſcurſus procedit ex doctrina SS. PP. Hieronymi, & Auguſtini, & concludit primam dedicationem virginitatis factam fuiſſe in templo Spiritus Sancti in Chriſto Domino, & in eius Matre, & in Eccleſia Chriſtiana poſt Chriſtum.

169 Et confirmatur ex ſupra adducto ſermone Sancti Ambroſij in Officio de communi Virginum ab Eccleſia approbato,

In quo verba ſequentia recitat, & canit Eccleſia Catholica, Lect. 3. ibi: *Quis neget hanc vitam fluxiſſe de Cœlo, quam non facile invenimus in terris, niſi poſtquam Deus in hæc terreni corporis membra deſcendit? Tunc in vtero virgo concepit, & verbum caro factum eſt, vt caro fieret Deus.* Hæc Sancta Mater Eccleſia ex Ambroſio: ergo dum relata verba approbat, canit, & recitat vniverſalis Eccleſia, ſentit, proponit, & docet, quod in veteri lege non fuit ſtatus, in quo terreni corporis membra Deo ſe virginitate dicarent, antequam caro fieret Deus, & quod virginitas non fuit culta in terris, niſi poſtquam verbum caro factum fuit, & homo Cœleſtis.

170 Adverſariorum præcipuum fundamentum ſibi ipſi oppoſuit D. Ambroſius, ibi: *Dicet aliquis: Sed etiam Elias nullius corporei coitus fuiſſe permixtus cupiditatibus invenitur. Ideò ergo curru raptus in Cœlum*: ergo ante Chriſti Domini Nativitatem (inferunt adverſarij) virginitas fuit culta, & dicata Deo. Sed huic obiectioni reſpondit D. Ambroſius in eodem libro de Virginitate, ex quo Sancta Mater Eccleſia ſermonem aſſumpſit paulo poſt relata verba, ibi: *Sed quid dicit Apoſtolus? Hæc autem in figuris contingebant illis, vt eſſent inditia futurorum, figura enim in paucis eſt, vita in pluribus*: ergo virginitas Eliæ vmbratica fuit, & figurativa, & virginum legis gratiæ vmbra, & non eodem cultu, votoque dicata, & in ea non fuit vita, & veritas virginitatis legis gratiæ, neque Synagoga cognovit verum ſtatum virginitatis publicum Iudæis, vt in eo poſsint, ſi vellent virginitatem voto Deo dicare, ac perconſequens Eunuchiſmus in ſacris litteris laudatus non commendatur pro illa lege, ſed pro Sacroſancto Evangelio, & tempore legis gratiæ.

§. III.

Eadem concluſio ex D. P. N. Hieronymo demonſtratur.

171 QVoniam S. P. N. Hieronymus ſæpè virgines ex veteri teſtamento enumerat, & Eliam, Eliſæum, & filios Prophetarum in virginitate permanſiſſe docet, præſertim Epiſt. 22. cap. 9. ex Doctore Maximo votum virginitatis in populo circumciſſo probare intendunt adverſarij, ſed fruſtra certè, nam D. Hieronymus maxima diſtinctione precedit ex

veteri ad novum teſtamentum, tamquam à figura, & vmbra ad figuratum, & veritatem, illamque veteris teſtamenti virginitatem ſæculi appellat, vt à virginitate propter Chriſtum, quæ Sacra eſt, diſtinguat, vt patet in libro 1. contra Jovinianum: Filiæ Jepte virginitatem referens, ſic ait ibi: *Nos enim non tàm virgines ſæculi, quàm eas, quæ propter Chriſtum ſunt virgines, prædicamus.* Ergo manifeſtè diſtinguit Doctor Maximus virginitatem veteris, & novi teſtamenti, & illam Iudaicam ſæculi appellans, & legis gratiæ propter Chriſtum, vel Chriſtianam nuncupat. Hac diſtinctione procedit vbicumque de virginitate ſermonem inſtituit, vel contra Jovinianum, & Helvidium arguens, vel dilectam filiam Euſtochium virginitatem docens. Audiamus igitur Doctorem Maximum contra Jovinianum de virginitate diſputantem, lib. 1. cap. 17. ait ibi: *Audiamus quid loquatur ſponſa antequam ſponſus eius ad terras veniat, patiatur, inferos penetret, ac reſurgat; ſimilitudines auri faciemus tibi cum diſtinctionibus argenti, quoadusque Rex in accubitu ſuo eſt, antequam reſurgeret Dominus, & Evangelium coruſcaret, non habebat aurum ſponſa, ſed ſimilitudines auri; argentum autem, quod in nuptijs habere ſe pollicetur, habebat varium, atque diſtinctum in viduis continentibus, ac maritatis: deindè ſponſus reſpondet ad ſponſam, & eam docet, quod veteris legis vmbra tranſierit, & veritas evangelij venerit: ſurge, veni proxima mea, ſponſa mea, columba mea, quoniam ecce hyems tranſijt, pluvia abijt ſibi, hoc de veteri teſtamento. Rurſum de evangelio, & virginitate: flores viſi ſunt in terra, tempus ſectionis advenit. Non ne tibi videtur idipſum dicere, quod & Apoſtolus ſupereſt, vt qui habent vxores, ſint quaſi non habeant? & manifeſtius de præconio caſtitatis: vox, inquit, turturis audita eſt in terra noſtra, turtur avis pudiciſsima ſemper habitans in ſublimibus typus eſt Salvatoris.* Verba Doctoris Maximi perpende, & nullum virginitatis aurum in Synagoga invenies, ſed ſimilitudines auri, evangelicæ puritatis in continentibus illius legis: ergo ex mente Hieronymi virgines veteris teſtamenti vmbram tantum, & ſimilitudinem virginum legis gratiæ tenuerunt, aurum puritatis evangelicæ non attingentes: quomodo ergo in veritate voti evangelici aurum puritatis Deo conſecrare potuerunt in veritate evangelica Elias, & alij, qui in ſimilitudinibus tantum permanſerunt? & ne locum dubitationis relinqueret Doctor Maximus, tempora expreſsè diſtinguit de veteri teſtamento, ait ibi: *Scilicèt ſimilitudines auri*, & rurſum de evangelio, & virginitate ait Maximus Do-

Ctor:

ctor: flores viſi ſunt, tempus ſectionis, præconium caſtitatis à Chriſto Domino, in voce turturis: ergo ante Chriſti Domini adventum, nec flores virginitatis apparuerant, nec votum virginitatis aud tum fuit in terra, nec aliquis fuit ſtatus in quo virginitas culta eſſet in Synagoga à Iudæis.

172 Virginitatis aurum in Sponſa expreſsè negat Maximus Doctor, antequam reſurgeret Dominus, & evangelium coruſcaret, argentum in viduis continentibus, & maritatis in umbris veteris teſtamenti concedit: ergo cultus virginitatis ſaltem cum voto Doctor Maximus in veteri teſtamento non agnovit, quod ex multis Sacræ Scripturæ locis oſtendit, præſertim contra Jovinianum vbi ſup. cap. 24. verba D. Iacobi expendens: *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius.* Ex quibus Doctor Maximus in laudem virginitatis, ibi: *Nec vlla vmbra, quæ verſabatur in lege, premit eos, qui de nationibus crediderunt, ſed verbo nos genuit, & verbo veritatis, quia vmbra, & imago, & ſpecies quædam veritatis præceſsit in lege, vt ſimus primitiæ creaturarum eius, & quomodo ipſe primogenitus ex mortuis omnes in ſe mortuos ſuſcitauit, ſic ipſe virgo primitias virginum ſuorum in ſe virgine dedicauit.* Tùm ſic: ergo quando vmbra legis premebat, virginitas non erat cultu dedicata, & nullus ante Chriſti adventum eam dedicavit, quia alias Chriſtus Dominus primitias virginum in ſe virgine non dedicaret, in quibus verbis Scholiator Marianus notauit ſuorum virginum dixiſſe dedicaſſe primitias Chriſtum Dominum, vt ad mares referantur, nam fœminarum Virginum primitias Dei Genitrix Domina noſtra dicauit, & in ea dicare incepit, vt expreſsè docet N. S. Pater Epiſt. 22. cap. 9. ibi: *Poſtquam vero virgo concepit in vtero, & peperit nobis puerum, cuius principatum in humeros eius, Deum fortem, Patrem futuri ſæculi, ſoluta maledictio eſt: mors per Hevam, vita per Mariam, ideòque editius virginitatis donum fluxit in fœminas, quia cœpit à fœmina.* Et antea, cap. 7. dixerat, ibi: *Habeant nuptæ ſuum tempus, & titulum, mihi virginitas in Maria dedicatur, & Chriſto.* Quid clarius? Vt cultum virginitat in Chriſto, & Maria incepiſſe oſtenderet?

173 Si huius Hieronymiani dogmatis rationem quærimus, in ipſo Doctore Maximo fundamentum veritatis Theologicæ inveniemus, ex differentia legum, & ſtatuum vtriuſque teſtamenti, nam in illo veteri ex carnali imbecillitate illos ſerviſſe

nuprijs, in novo vero ex firmiori Spiritus Sancti gratia virginitatem amplecti docet in eodem libro contra Jovinianum, cap. 22. ad mentem D. Pauli, ibi: *Ego, fratres, non potui loqui vobis, ſicut ſpiritualibus, ſed ſicut carnalibus, ſicut parvulis in Chriſto lac potum vobis dedi, non eſcam, nondum enim poteratis; ſed neque nunc poteſtis, adhuc enim carnales eſtis, quia, qui animalis eſt, & non recipit ea quæ Spiritus Dei ſunt, ſtultitia eſt illi, nec poteſt intelligere, quia ſpiritualiter iudicatur, iſte non perfecto caſtitatis cibo, ſed rudi nuptiarum lactè nutritur.* Hæc Doctor Maximus: Si enim ex mente Hieronymi parvuli illi in Chriſto perfecto caſtitatis cibo non nutriebantur, nec tunc nutriri poterant, ſed rudi nuptiarum lactè: ergo multo minus nutriti fuerunt ante Chriſti Domini adventum parvuli populi Iudaici ſub pædagogo legis veteris degentes perfecto caſtitatis cibo evangelij.

174 Rem & cauſam manifeſtius explicat cap. 19. eiuſdem libri, ibi: *Quomodo de virginibus Apoſtolus dicit non habere præceptum, & tamen dat conſilium quaſi miſericordiam conſecutus à Domino? & hoc agit in omni illa diſputatione, vt virginitatem præferat Matrimonio, & ſuadeat quod imperare non audet, ne inijcere videatur laqueum, & plus imponere ponderis, quam poteſt hominum ſuſtinere natura, ita & in Eccleſiaſtico ordine conſtituendo, quia rudis ex gentibus conſtituebatur Eccleſia, leviora nuper credentibus dat præcepta, ne territi ferre non poſſint. Denique & Apoſtoli, & ſeniores de Hieroſolymis litteras mittunt, vt non amplius imponant oneris ijs qui de gentibus crediderunt, niſi vt abſtineant ſe ab idolatria, & fornicatione, & à ſuffocatis, & quaſi parvulis, atque infantibus lac potum dant, non ſolidum cibum, nec præcipiunt de continentia, nec de virginitate ſignificant, nec ad ieiunia provocant, neque dicunt illud, quod in evangelio ad Apoſtolos dirigitur: ne habeant duas tunicas, ne peram, ne æs in Zonis, ne virgam in manu, ne calceamenta in pedibus, aut certè illud: ſi vis perfectus eſſe vade, & vende omnia tua, & da pauperibus, & veni ſequere me. Si enim adoleſcens ille qui ſe iactaverat cuncta feciſſe, quæ legis ſunt, audiens hoc triſtis abijt, quia habebat poſſeſſiones multas, & Phariſæi huiuſmodi Domini ſententiam ſubſannabant, quanto magis, tanta gentium multitudo, cui ſumma virtus erat aliena non rapere, non habebat neceſſe præceptum de caſtitate, & continentia perpetua.*

175 Multa ſunt reflexione digna in verbis Doctoris Maximi, & primum occurrit, quam difficilè judicaverit in primitivam

vam Eccleſiam conſilium introducere perpetuæ continentiæ & caſtitatis, & ſervandam perſuadere propter Regnum Cœlorum in evangelio revelatum: Si vero à multis retro ſæculis fuiſſet in populo Iudaico perpetuo cuſtodita caſtitas, ex inſtituto Eliano Deo dicata, faciliter poſſet perſuaderi ab Apoſtolis, & prædicari Chriſtianis converſis ex gentibus Iudæorum antiquo exemplo, quod non fecerunt, ſed paulatim à Div. Paulo introductum fuit virginitatis conſilium: ergo novum erat gentibus, & Iudæis.

176 Occurrit etiam in verbis D. Hieronymi, quod Apoſtolus in illa diſputatione virginitatem præferendam eſſe Matrimonio ſuadeat: ergo ante promulgationem evangelij, & prædicationem D. Pauli, tàm in gentibus, quàm in Iudæis Matrimonium præferebatur virginitati. Eſt etiam valdè mirum, quod Sancti Apoſtoli poſt Chriſti Domini mortem, & Sancti Spiritus adventum tanta circunſpectione procedant, vt fideles in vita Apoſtolica inſtruant, & virginitatem ſignificent, & Elias tanto divino auxilio præditus fuerit in veteri teſtamento, vt tot haberet vitæ Apoſtolicæ ſequaces, & ſacræ virginitatis veri Cultores in illa lege ſervitutis, & peccati, onuſque imponeret populo circumciſſo, quod Chriſtiano, & Eccleſiaſtico ordine adhuc tenero imponere non audebant Apoſtoli. Occurrit etiam notandum in verbis Sancti Patris noſtri Hieronymi, quod adoleſcens ille, cui Dominus abrenunciationem temporalium propoſuit, & ſui ſequellam docuit, vt perfectionem acquireret, triſtis abijt, & quod Phariſæi ſententiam Domini Salvatoris de poſſeſſionibus relinquendis ſubſanabant: ergo nova erant hæc omnia, & inaudita in illa lege, nam Phariſæi docti in cæremonijs, ſtatutis ſtatibusque ſuæ legis magnam etiam habebant de Elia exiſtimationem, & ſcirent Sanctum Prophetam cultum virginitatis docuiſſe, & vitam in paupertate perpetua inſtituiſſe, Monaſteria virorum, & fœminarum ab Elia, & diſcipulis eius fundata, vt aſſerunt adverſarij, vidiſſent: ergo nec adoleſcens triſtis abijſſet propter Chriſti Domini conſilium, nec Phariſæi ſententiam Domini ſubſanaſſent de relinquendis poſſeſsionibus, vt perfectionem acquireret. Conſtans eſt igitur ſententia D. P. N. Hieronymi, quod virginitatis cultum in veteri lege negat, & ſtatum Religioſum verum in Synagoga non agnovit.

177 Eamdem doctrinam probat Maximus Doctor ad præ-

præcitatum locum D. Pauli reflectens vbi ſupra contra Jovinianum, cap. his verbis, ibi: *Si non habes præceptum Domini, quare audes dare conſilium, de qua non habes iuſsionem? Reſpondet mihi Apoſtolus, & vis vt ego iubeam, quod Deus obtulit potius quàm præcepit? ille creator, & figulus ſciens fragilitatem vaſculi, quod operatus eſt, virginitatem in audientis poteſtate dimiſit, & ego Doctor gentium, qui omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifacerem, onus perpetuæ caſtitatis ſtatim imponam cervicibus infirmorum? Diſcant prius ferias nuptiarum, vaccent ad tempus orationi, vt accepto guſtu pudicitiæ, id ſemper habere deſiderent, quo ad modicum delectati ſunt.* Ex quibus formatur ratio: Converſi ad Chriſti fidem ſtatim poſt eius mortem infirmi exiſtimantur à D. Hieronymo, vt onus perpetuæ caſtitatis cervicibus eorum imponeret Div. Paulus; ſed infirmiores erant circumciſi in lege veteri antequam ſalutem, & gratiam reciperent per Chriſtum ante adventum eius: ergo iuxta mentem S. P. N. Hieronymi cultus virginitatis cum voto non fuit inſtitutus in illa lege. Minor probatur, & confirmatur diſcurſus, nam Iudæis ſub lege ſervitutis permiſit Deus polygamiam propter fragilitatem vaſculi, in quo contineri non potuerunt, quàm permiſsionem abſtulit per ſuum Sacroſanctum Evangelium, polygamiam prohibens in lege gratiæ: ergo infirmiores erant Iudæi ad ſervandam perpetuam caſtitatem, quam converſi ſtatim poſt prædicationem evangelij.

178 Conſideranda ſunt etiam Doctoris Maximi, illa verba: *Vis vt ego iubeam, quod Deus obtulit potius, quam præcepit.* In quibus manifeſtè docet Deum, & hominem Chriſtum prius, & potius obtuliſſe virginitatem, quam præcepiſſe: Vndè ante adventum Chriſti Domini virginitatis cultum non agnovit in terris, quod expreſsè docet Epiſt. 22. ad Euſtochium, ibi: *Statim vt filius hominis ingreſſus eſt ſuper terram, novam ſibi familiam inſtituit, vt qui ab Angelis adorabatur in Cælo, haberet Angelos, & in terris.* Hæc de virginibus: at ſi cultus virginitatis inſtitutus fuiſſet ab Elia in ſua Religione cum voto, vt aſſerunt adverſarij, non inſtitueret Chriſtus Dominus novam familiam: ergo novitas cultus virginitatis veteris legis opponitur doctrinæ S. P. N. Hieronymi, & vt hoc dogma ſtatueret Maximus Doctor altiori principio procedit, ibi: *Poſtquam vero concepit in vtero, & peperit nobis puerum, cuius principatus in humeros eius, Deum fortem, Patrem futuri ſæculi, ſoluta maledictio eſt, mors per Hevam, vita per Mariam,*

ideò

ideòque editius virginitatis donum fluxit in fœminas, quia cæpit à fœmina. Et proſequitur: *Statim vt filius hominis, &c.* In quibus profundam, & mirabilem doctrinam contemplor, nam virginitas non mortuorum, ſed vivorum per gratiam virtus eſt: ergo prius introducta fuit vita per Mariam, quam virginitas in filios Hevæ. Tùm etiam prius ſoluta fuit maledictio infecunditatis, & poſtea introducta benedictio virginitatis, ſed maledictio infecunditatis ſoluta fuit poſtquam virgo concepit in vtero, & peperit nobis puerum: ergo ante conceptum virginis non fuit culta virginitas in aliquo ſtatu cum voto.

179 Doctrina S. P. N. Hieronymi ſubtilem continet rationem, nam ſi ante conceptum virginis Deiparæ, & nativitatem Chriſti Domini ſolveret Deus maledictionem infecunditatis, & conſilium dediſſet virginitatis, videtur non procedere, vt iuſtus Iudex, quod non eſt admittendum: ergo, &c. Diſcurſus probatur, nam non procedit vt iuſtus Iudex, qui ante ſatisfactionem pro pœna, conſilium dat damnatis, vt à pęna liberentur; ſed ſi Deus in veteri teſtamento dediſſet conſilium ſervandæ virginitatis in aliquo ſtatu, ante redemptionem à culpa, & pęna, poſſent damnati liberari à pęna per conſilium ab ipſo infligente pęnam conceſſum, & datum; ergo non procederet vt iuſtus Iudex pœnam imponens, & conſilium dans, vt ante ſatisfactionem poſſent liberari damnati à pœna. Minor probatur, nam Hevæ, & in ea omnibus mulieribus in pęnam primi, & originalis peccati impoſuit Deus, quod in dolore parturirent, ſed inſtructo conſilio, & ſtatu virginitatis in veteri lege ante redemptionem, & ſatisfactionem pro culpa, mulieres, quæ vellent, liberarentur à pęna pariendi in doloribus: ergo tale conſilium non dediſſet Deus, vt iuſtus Iudex in veteri lege, antequam virgo conciperet in nova, vndè vt pęnam ſolverent omnes mulieres pro peccato, maledictum infecunditati impoſuit, vt vel in partu pęnam ſolverent, vel in fecunditate maledictum, vel opprobrium legis ferrent.

180 Ex virginali Chriſti Domini conceptu, miſticam virginum regenerationem in Chriſto Domino incepiſſe, ſemper Apoſtoli verbis adhærens probat S. Doctor, vbi ſupra cap. 9. ibi: *Exuentes veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, qui renovatur in cognitionem ſecundum imaginem Creatoris ſui, vbi non eſt maſculus, & fœmina, Græcus, & Iudæus, cir-*

præcitatum locum D. Pauli reflectens vbi ſupra contra Jovinianum, cap. his verbis, ibi: *Si non habes præceptum Domini, quare audes dare conſilium, de quo non habes iuſsionem? Reſpondet mihi Apoſtolus, & vis vt ego iubeam, quod Deus obtulit potius quam præcepit? ille creator, & figulus ſciens fragilitatem vaſculi, quod operatus eſt, virginitatem in audientis poteſtate dimiſit, & ego Doctor gentium, qui omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifacerem, onus perpetuæ caſtitatis ſtatim imponam cervicibus infirmorum? Diſcant prius ferias nuptiarum, vaccent ad tempus orationi, vt accepto guſtu pudicitiæ, id ſemper habere deſiderent, quo ad modicum delectati ſunt.* Ex quibus formatur ratio: Converſi ad Chriſti fidem ſtatim poſt eius mortem infirmi exiſtimantur à D. Hieronymo, vt onus perpetuæ caſtitatis cervicibus eorum imponeret Div. Paulus; ſed infirmiores erant circumciſi in lege veteri antequam ſalutem, & gratiam reciperent per Chriſtum ante adventum eius: ergo iuxta mentem S. P. N. Hieronymi cultus virginitatis cum voto non fuit inſtitutus in illa lege. Minor probatur, & confirmatur diſcurſus, nam Iudæis ſub lege ſervitutis permiſsit Deus polygamiam propter fragilitatem vaſculi, in quo contineri non potuerunt, quàm permiſsionem abſtulit per ſuum Sacroſanctum Evangelium, polygamiam prohibens in lege gratiæ: ergo infirmiores erant Iudæi ad ſervandam perpetuam caſtitatem, quam converſi ſtatim poſt prædicationem evangelij.

178 Conſideranda ſunt etiam Doctoris Maximi, illa verba: *Vis vt ego iubeam, quod Deus obtulit potius, quam præcepit.* In quibus manifeſtè docet Deum, & hominem Chriſtum prius, & potius obtuliſſe virginitatem, quam præcepiſſe: Vndè ante adventum Chriſti Domini virginitatis cultum non agnovit in terris, quod expreſsè docet Epiſt. 22. ad Euſtochium, ibi: *Statim vt filius hominis ingreſſus eſt ſuper terram, novam ſibi familiam inſtituit, vt qui ab Angelis adorabatur in Cælo, haberet Angelos, & in terris.* Hæc de virginibus: at ſi cultus virginitatis inſtitutus fuiſſet ab Elia in ſua Religione cum voto, vt aſſerunt adverſarij, non inſtitueret Chriſtus Dominus novam familiam: ergo novitas cultus virginitatis veteris legis opponitur doctrinæ S. P. N. Hieronymi, & vt hoc dogma ſtatueret Maximus Doctor altiori principio procedit, ibi: *Poſtquam vero concepit in vtero, & peperit nobis puerum, cuius principatus in humeros eius, Deum fortem, Patrem futuri ſæculi, ſoluta maledictio eſt, mors per Hevam, vita per Mariam,*

ideò-

ideòque editius virginitatis donum fluxit in fæminas, quia cæpit à fæmina. Et proſequitur: *Statim vt filius hominis, &c.* In quibus profundam, & mirabilem doctrinam contemplor, nam virginitas non mortuorum, ſed vivorum per gratiam virtus eſt: ergo prius introducta fuit vita per Mariam, quam virginitas in filios Hevæ. Tùm etiam prius ſoluta fuit maledictio infecunditatis, & poſtea introducta benedictio virginitatis, ſed maledictio infecunditatis ſoluta fuit poſtquam virgo concepit in vtero, & peperit nobis puerum: ergo ante conceptum virginis non fuit culta virginitas in aliquo ſtatu cum voto.

179 Doctrina S. P. N. Hieronymi ſubtilem continet rationem, nam ſi ante conceptum virginis Deiparæ, & nativitatem Chriſti Domini ſolveret Deus maledictionem infecunditatis, & conſilium dediſſet virginitatis, videtur non procedere, vt iuſtus Iudex, quod non eſt admittendum: ergo, &c. Diſcurſus probatur, nam non procedit vt iuſtus Iudex, qui ante ſatisfactionem pro pœna, conſilium dat damnatis, vt à pęna liberentur; ſed ſi Deus in veteri teſtamento dediſſet conſilium ſervandæ virginitatis in aliquo ſtatu, ante redemptionem à culpa, & pęna, poſſent damnati liberari à pęna per conſilium ab ipſo infligente pęnam conceſſum, & datum: ergo non procederet vt iuſtus Iudex pœnam imponens, & conſilium dans, vt ante ſatisfactionem poſſent liberari damnati à pœna. Minor probatur, nam Hevæ, & in ea omnibus mulieribus in pęnam primi, & originalis peccati impoſuit Deus, quod in dolore parturirent, ſed iuſt uto conſilio, & ſtatu virginitatis in veteri lege ante redemptionem, & ſatisfactionem pro culpa, mulieres, quæ vellent, liberarentur à pęna pariendi in doloribus: ergo tale conſilium non dediſſet Deus, vt iuſtus Iudex in veteri lege, antequam virgo conciperet in nova, vndè vt pęnam ſolverent omnes mulieres pro peccato, maledictum infecunditati impoſuit, vt vel in partu pęnam ſolverent, vel in fecunditate maledictum, vel opprobrium legis ferrent.

180 Ex virginali Chriſti Domini conceptu, miſticam virginum regenerationem in Chriſto Domino incepiſſe, ſemper Apoſtoli verbis adhærens probat S. Doctor, vbi ſupra cap. 9. ibi: *Exuentes veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, qui renovatur in cognitionem ſecundum imaginem Creatoris ſui, vbi non eſt maſculus, & fæmina, Græcus, & Iudæus,* cir-

circumciſsio, & præputium, Barbarus, ac Scytha, ſervus, & li ber; ſed eſt omnia in omnibus Chriſtus; imago enim ſalvatoris non habet copulam nuptiarum, vbi diverſitas ſexus auferatur, & veteri homine exuimur, & induimur novo, ibi in Chriſtum renaſcimur virginem, qui natus ex virgine, & renatus per virginem eſt, quod autem ait: creſcite, & multiplicamini, & replete terram: neceſſe fuit prius plantare Sylvam, & creſcere, vt eſſet, quod poſſet excidi. Subtili hoc diſcurſu probat Maximus Doctor nuptiarum opera pertinere ad vetus teſtamentum, & veterem hominem, & virginitatis excellentiam ad novum, in quo veteri homine exuimur, & induimur novo, ibique renaſci virgines in Chriſto virgine, in eoque virginitatem dicari, & conſecrari Deo, id ipſum expreſsè dicit Epiſt. 22. ad Euſtochium cap. 7. ibi: *Habeant nuptiæ ſuum tempus, & titulum, mihi virginitas in Maria dedicatur, & Chriſto*: ergo apertè diſtinguit Maximus Doctor tempus nuptiarum, & virginitatis, & hanc in Chriſto, & Maria Deo dicari manifeſtè docet.

181 Mentem ſuam magis aperuit argumenta Joviniani ſolvendo; nam hæreticus vt Matrimonium virginitati præferendum eſſe probaret ex Evangelio, Matrimonia Zachariæ, & Eliſabeth, & D. Petri opponebat, cui Sanctus Doctor vbi ſupra cap. 14. reſpondet ibi: *Venit ad Evangelium, & proponit nobis Zachariam, & Eliſabeth, & Petrum, & Socrum eius, & conſueta vecordia non intelligit, iſtos quoque inter eos, qui legi ſervierunt debuiſſe numerari, neque enim Evangelium ante Crucem Chriſti eſt, quod paſsione, & ſanguine eius dedicauit, iuxta quam regulam Petrus, & cæteri Apoſtoli, vt ei ex ſuperfluo interim concedam, habuerunt quidem vxores; ſed quas eo tempore acceperant, quo evangelium neſciebant, qui aſſumpti poſtea in Apoſtolatum, relinquunt officium coniugalem, nam cum Petrus ex perſona Apoſtolorum dicit ad Dominum: ecce nos reliquimus omnia, reſpondit ei Dominus: Amen dico vobis, quoniam nemo eſt, qui dimiſſerit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter Regnum Dei, qui non recipiat multo plura in ſæculo iſto, & in ſæculo futuro vitam æternam.*

182 In reſponſione, vel impugnatione D. Hieronymi ad hæreticum, conſtat evidenter quod Zacharias, Eliſabeth, Petrus, & Apoſtoli præexcellentiam virginitatis ſupra Matrimonium neſciebant, quia evangelium non fuit eis notum, & promulgatum, & lege veteri ſerviebant: ergo ſenſit S. Pater, quod ante promulgationem evangelij non fuit ſtatus in quo virginitas cultu-

de-

dedicaretur Deo, alias diſcurſus Doctoris Maximi contra hæreticum non probaret, vt patet, quia ſi eſſet ſtatus virginitatis in veteri teſtamento, & ex eo non elegerit Chriſtus Diſcipulos, poterat arguere Jovinianus, ſtatum Matrimonij, ex quo Chriſtus Dominus Apoſtolos elegit, præferendum eſſe virginali ſtatui, vndè vt virginitatem contra hæreticos defendamus, tenendum eſt cultum eius, & ſtatum inſtitutum fuiſſe in nouo teſtamento, vt S.P.N.Hieronymus hic docet.

183 Quod expreſsius adverſus Helvidium Deiparæ Dominæ noſtræ virginitatem defendens, docuerat cap. 10. ibi: *Et quia de comparatione virginitatis, & nuptiarum ſum aliqua dicturus; obſecro lecturos ne me putent nuptijs detraxiſſe in virginum laude, & aliquam feciſſe differentiam inter Sanctos veteris teſtamenti, & noui, ideſt, inter eos qui habuere coniugia, & eos qui à complexu mulierum penitus receſſerunt: verum pro conditione temporum; alij eos tunc ſubiacuiſſe ſententiæ, alij nos in quos fines ſæculorum decurrerunt, quando lex illa pertranſijt, creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & maledicta ſterilis, quæ non parit ſemen in Iſrael nubebant omnes, & nubebantur, & relictis parentibus fiebant vna caro; quando vox illa pertonuit, tempus breviatum eſt, vt qui habent vxores, ſic ſint, quaſi non habeant adhærentes Domino vnus cum eo efficimur ſpiritus, quare? quia qui ſine vxore eſt, cogitat ea quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo.* Ex his, & alijs ſupra dictis patet S. Patrem noſtrum Hieronymum ſemper tenuiſſe, & contra hæreticos docuiſſe excellentiam virginitatis ex eius inſtitutione in Evangelio per Chriſtum Dominum, & Matrem eius, & in eis incepiſſe Deo voto dicari, & per Sanctos Apoſtolos prædicari in orbe terrarum, nullumque cultum tenuiſſe in veteri teſtamento, ſaltem cum voto, ſed ſi qui fuerunt qui virginitatem cuſtodierunt ob aliquos fines particulares, vel ex inſtinctu interno ſpeciali Dei, vmbram tantum Virginum tenuerunt evangelij, & verum ſtatum virginalem non conſtituerunt cum voto ante Crucem Domini, & eius adventum.

)(§)(

§. IV.

§. IV.

Diu. Auguſtini, & Diu. Thomæ teſtimonijs ſententia P. N. Hieronymi confirmatur.

184 DIv. Pater Auguſtinus in libro de bono coniugali Sanctos veteris teſtamenti Patres continentiam in habitu ſervaſſe, non opere propter maledictum infecunditatis, & quia tunc cultus Dei in generationibus carnalibus augebatur, expreſsè docet, præſertim cap. 21. & 22. ex quo Matrimonium veteris legis cum virginitate novæ comparans, æqualis meriti facit cap. 21. ibi: *Qui vident continentiæ virtutem in habitu animi ſemper eſſe debere, in opere autem pro rerum, ac temporum oportunitate manifeſtare, ſicut virtus patientiæ SS. Martyrum in opere apparuit, cæterorum vero æque Sanctorum in habitu fuit. Quo circa ſicut non eſt impar meritum patientiæ in Petro, qui paſſus eſt, & Ioanne, qui paſſus non eſt, ſic non eſt impar meritum continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus eſt nuptias, & in Abraham, qui filios generavit, & illius enim Cœlibatus, & illius connubium, pro temporum diſtributione Chriſto militarunt, ſed continentiam Ioannis, & in opere, Abraham vero in ſolo habitu habebat.* Rationem ſubiungit, ibi: *Illo itaque tempore cum & lex dies Patriarcharum ſubſequens maledictum dixit, qui non excitaret ſemen in Iſrael, & qui poterat non promebat, ſed tamen habebat: ex quo autem venit plenitudo temporis, vt diceretur, qui poteſt capere capiat, ex illo vſque adhuc, & deinceps vſque in finem, qui habet operatur, qui operare noluerit, non ſe habere mentiatur.* In quibus docet D. Auguſtinus, & virginitatem non præferri Matrimonio in veteri lege, & maledictum impoſitum non habenti ſemen in Iſrael, & virginitatem habitu, & opere incepiſſe cum venit plenitudo temporis, & dictum fuit in evangelio, *qui poteſt capere, capiat*: tùnc non oportere virginitatem ſervare docet ibidem cap. 22. de Abraham, ibi: *Caſtè quippè coniugaliter vixit, eſſe autem caſtus ſine connubio potuit, ſed tunc non oportuit.* Pauloque inferius Matrimonio in illa lege ex Religionis ſpeciali cultu Deo offerri propter expectationem benedicti ſeminis ſatis innuit, ibi: *Quod autem illi egerunt, ſic ego non agerent, & ſi nunc agendum eſſet,*

aut

aut ſi talem ſe iſte ſentit, & movit, vt ſalva permanente in habitu animi ſui virtute continentiæ, ſi ad vſum nuptiarum ex aliquo Religionis officio deſcendiſſet, talis maritus, & talis Pater eſſet, qualis fuit Abraham. Ergo ſecundum D. Auguſtinum Matrimonium in veteri lege contrahebatur ex officio Religionis, ac per conſequens cultus Deo datus ſpecialis fuit in ea.

185 Cultum virginitatis in illa lege expreſsè negat eodem cap. ibi: *Qui tantum poteſt, talis eſt, qualis fuit Abraham, poteſt autem fieri, vt minor ſit continentiæ virtus in animo eius, qui non vtitur nuptijs, quibus eſt vſus Abraham, ſed tamen maior eſt in opere eius, qui propterea tenuit coniugij caſtitatem, quia non potuit ampliorem.* Sentit ergo Div. Auguſtinus, quod continentia in habitu teneri poterat in lege veteri, & opere non poterat, & paulo poſt idem docet de Sara, ibi: *Tu ergo melior eſt quam Sara? Reſpondeat: ego melior ſum, ſed ijs quæ virtute huius continentiæ, quod de Sara non credo, fecit ergo illa cum iſta virtute, quod illi tempori congruebat, à quo ego ſum immunis, vt in meo etiam corpore appareat, quod illa in animo conſervabat*: ergo immunitas à lege contrahendi Matrimonium ſecundum dicta à Div. Auguſtino in evangelio incepit. Idem docet cap. 9. eiuſdem libri, & lib. de *nuptijs, & concupiſcentijs*, cap. 3.

186 In eadem ſententia fuit Div. Auguſtinus lib. de *Sancta Virginitate*, eam ex multis commendans, & præcipuè ex Deipara Domina noſtra, & Ieſu Chriſto eius filio, & notanda ſunt illa verba ex cap. 27. ibi: *Gaudia Virginum Chriſti de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum, propter Chriſtum.* In quibus quidquid dici poteſt de origine, principio, & fine virginitatis comprehendit Div. Auguſtinus in Chriſto Domino, multaque alia teſtimonia ex eodem libro laudari poſſunt pro eadem ſententia, præcipuè ex cap. 11. & 15. 24. & 28. ſed quia relata ſufficiunt, vt ſententia Div. Auguſtini manifeſta fiat; & cum Sancto Patre noſtro Hieronymo pro cultu ſacræ virginitatis militare ab ijs, & alijs brevitatis cauſa abſtinemus.

187 Angelicus Magiſter in doctrina Div. Auguſtini ſemper ſtetit, & nulla eſt inter Thomiſticas concluſiones, clarior, & expreſsior, quam hæc noſtra Hieronymiana, & Auguſtiana doctrina ad cuius probationem quamplurima retulimus teſtimonia, diſcurſ. 2. §. 2. per totum, vbi videri poſſunt dicta Angelici Magiſtri, & nunc addimus ex 4. ſent. quæſt. 28. art. 4. in corpor. ibi:

ibi: *Tempore legis oportebat generationi inſiſtere, tàm mulieres, quàm viros, quia ſecundum carnis originem cultus Dei propagabatur vſquequam ex illo populo Chriſtus naſceretur*, eadem verba, repetit 3. part. quæſt. 28. art. 4. in corpore, & diſtinct. 23. quæſt. 1. art. 2. in corp. ait ibi: *Quòd in lege de vnitate vxoris diſpenſatio fuit à Deo Sanctis Patribus, & per eorum exemplum ad alios derivata eſt eo tempore, quo oportebat idem naturæ præceptum de vnitate vxoris prætermitti, vt maior eſſet multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ.* Et quod cultus Dei per carnalem generationem cum diſpenſatione de vnitate vxoris, vſque ad adventum Chriſti Domini perduraverit, docet ad 4. ibidem: *Ad quartum dicendum, quod adveniente Chriſto fuit tempus plenitudinis gratiæ Chriſti, per quam cultus Dei in omnes gentes ſpirituali propagatione diffuſus eſt, & ideò non eſt eadem ratio diſpenſationis, quæ erant ante Chriſti adventum, quando cultus Dei propagatione carnali multiplicabatur, & conſervabatur.* Et in 4. diſtinct. 30. quæſt. 2. art. 1. qq. 1. in corp. ait ibi: *Virginitas quamvis in ſe optima, tamen pro tempore illo Matrimonium præferebatur propter expectationem benedicti ſeminis per viam generationis venturi.* Et lib. 3. contra gentes, cap. 137. virginitatem præferendam eſſe in lege gratiæ Matrimonio docens, cum ſibi ipſi obieciſſet Matrimonium Abraham, Iſaac, & Iacob, reſpondet ibi: *Nec tamen, quia ipſi Matrimonio vſi ſunt, minus contemplationem veritatis, & divinorum amaverunt, ſed ſecundum quod temporis conditio requirebat Matimonio vtebantur ad multiplicationem populi fidelis, nec tamen perfectio alicuius perſonæ eſt ſufficiens argumentum ad perfectionem ſtatus.* Et ibidem cap. 136. in fine, ait ibi: *Sicut autem non expedit cuilibet omni tempore actui generationis vacare, ita nec expedit ab eo omni tempore abſtinere, maximè quando neceſſaria erat multiplicatio generationis, vel propter hominum paucitatem, ſicut in principio, quando humanum genus cœpit multiplicari, ſivè propter paucitatem fidelis populi, quando oportebat ipſum per carnalem generationem multiplicari, vt fuit in veteri teſtamento, & ideò conſilium de continentia perpetua obſervanda reſervatum eſt temporibus novi teſtamenti, quando ſpiritualis populus per ſpiritualem generationem multiplicatur.* Ex his & alijs teſtimonijs Div. Thomæ diſcurſ. 2. §. 2. ſupra citato adductis, mens D. Thomæ clariſsima pro noſtra ſententia apparet, & virginitatis cultum in veteri lege ex voto Angelicum Præceptorem negaſſe indubitatum eſt inter ſuos diſcipulos, itaque valde miror, quod noviſsimè diebus

 noſtris

noſtris aliqui, qui rigidiores, & ſeveriores Thomiſtæ exiſtimantur, & pro materiæ primæ inexiſtentia, & alijs Philoſophicis quæſitis, dubijſque in via Div. Thomæ ſententijs acerrime pugnent pro veritate ſubſtinenda, & in re tam gravi, & dogmatica, & in via D. Thomæ notiſsima, Magiſtrum relinquant, & novitatem pro viribus amplectentur, & ſequantur, contra eius mentem, & doctrinam.

§. V.

Aliorum SS. PP. & Doctorum teſtimonijs eadem concluſio demonſtratur.

188 EX varijs principijs Sancti Patres, & Doctores cultum virginitatis negant in veteri teſtamento, vel quia virginitas tempore legis naturæ fuit prohibita, & hanc prohibitionem ad tempus legis ſcriptæ extendunt aliqui, vt cultus Dei per carnalem generationem propagaretur in illo populo. Sunt & alij qui licèt virginitatem prohibitam fuiſſe, non doceant, tamen eius obſervantiam non convenire in lege veteri propter expectationem benedicti ſeminis venturi, expreſsè dicunt. Multi etiam ſentiunt, quod Iudæi virginitatem aſpernabantur, quia ſecundum mores Iſraelitarum, adhuc in vltimis diebus legis veteris, populus eam recuſabat, & Matrimonium, vt gratius Deo, amplectabantur. Vndè virginitatis vſus ab illa lege excluditur à Sanctis Patribus, & Doctoribus Eccleſiaſticis, & licèt ex dictis ſatis conſtet præcipuorum Eccleſiæ Doctorum ſententia illam tamen ex eiſdem, & alijs antiquos ſequentibus, confirmatur, & roboratur teſtimonijs.

189 In primis conſtat, virginitatem voto non fuiſſe cultam ex novitate voti Deiparæ Dominæ noſtræ, quod ſtupeſcere fecit, & mirari Pontifices, & Sacerdotes illius temporis, in quo Beata Virgo virginitatem ſuam Deo dicavit. Hanc hiſtoriam referunt D. Gregorius Niſſænus, S.P.N. Hieronymus, Simeon Methafraſtes, Nizephorus Calixtus, quorum verba dedimus ſupra diſc. 1. §. 4. & poſt eos innumeri Authores de virgine Deipara ſcribentes, vt veram hanc hiſtoriam referunt, & tradunt.

190 Sancta Mater Eccleſia in hac doctrina ſemper ſtetit, vt oſtenditur in hoc Diſcurſu, §. 2. ex Homilia D. Ioannis Chryſoſt.

ibi relata in qua ſententia ſemper fuit os aureum, vt patet in libro de *vera virginitate*, ibi: *Iudæi virginitatis laudem aſpernantur, nec mirũ quando etiam ipſum natum ex virgine Chriſtum ignominijs affecerunt: contra vero gentes admiratione virginitatis obſtupeſcunt, quam tamen ſola colit Eccleſia.* D. Baſilius Magnus in libro de *vera virginitate* de Chriſto, ibi: *Ex eo in primis conſtat, quod cum in lege omnibus obtemperauerit, ſolum coniugium renuit*: ergo ſentit D. Baſilius, quod coniugium continebatur in illa lege, vt præceptum, vel ſaltem quod virginitas non erat ſecundum illam legem. S. Paulinus Poemate de Ioanne Baptiſta de virginitate, ibi: *Sed quod in opprobrium Matrum poſuere maiores*: ergo ſecundum D. Paulinum temporibus Ioannis Baptiſtæ in opprobrium poſita erat virginitas. S. Iſidorus Archiepiſcopus Hiſpalenſis, & Hiſpaniarum celeberrimus Doctor, cap. 18. de *Virginibus*, ibi: *Ante adventum quippè Chriſti coniugia placuere Deo, poſt adventum virginitas, prima enim ſententia creſcere, & generare præcipit, ſecunda continentiam ſuaſit.* Diſtinguit tempora ante, & poſt adventum Chriſti, & in illo præceptum generandi, in noſtro vero conſilium virginitatis exprimit. S. Leander eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopus eandem ſententiam Docuit ad Florentinam ſororem de *inſtitutione virginum*, ibi: *Verum eſt quod Deus præceperit nuptias, ſed idcircò, vt indè naſceretur virginitas.* S. Petrus Damianus de fide Deo aſtricta non fallenda, cap. 3. ibi: *Tunc enim ſalvo altiori myſterio dicebatur, maledictus vir qui non habet ſemen in Iſrael.* D. Bonaventura in 4. diſtinct. 33. quæſt. 2. ibi: *Secundum tempus legis ſtatus continentiæ coniugalis omninò præfertur, & ſtatus virginitatis prohibetur.* Militant enim pro noſtra ſententia ex Sanctis Doctoribus, qui ſupra Stellas firmamenti ſedent, & cum Chriſto regnant, vt in hoc & ſuperioribus §§. oſtenditur, Chryſoſtomus, & Ambroſius, & ex eis Eccleſia, Hieronymus, Auguſtinus, Niſenus, Damaſcenus, Baſilius Magnus, Paulinus, Iſidorus, Leander, Petrus Damianus, D. Thomas, & D. Bonaventura, quorum authoritas ſufficeret, vt noſtra ſententia irrefragabilis fieret in Dei Eccleſia; ſed vt inconcuſus conſenſus Doctorum per omnia ſæcula oſtendatur, aliquos ex innumeris, qui Sanctorum Patrum doctrinam ſequuntur, referam.

191 Eucherius Lugdunenſis de qq. difficil. novi, & veteris teſtamenti in Geneſim, ibi: *Rudi adhuc ſæculo præceptum fuerat, creſcite, & multiplicamini.* Severus in Cathena Græca ad caput 17. num. ibi: *Tanto ſtudio tunc temporis ſobolem curabant, vt qui*

ſine

ſine ſpe propaginis diſcederet, haberetur quaſi execratus à Deo. Arnoldus Carnotenſis de laudibus virginis Mariæ, ibi: *Hoc enim (vt diximus, idest coniugium) ad propagandum populum Dei, ita lex ab omnibus indifferenter exigebat, vt nec Summus Sacerdos putaretur immunis.* Guillermus Parvus in Cantica, cap. 3. ibi: *Parum eſt, quod dixi virginitatem, tùnc temporis non eſſe rem conſilij, erat enim res maledicti.* Ricardus à S. Victore tom. 3. tract. de *Virginitate perpetua*, ibi: *Quando ab vno tantum populo agnitus eſt Deus, per legem maledicta eſt ſterilis, vt multiplicarentur fideles.* Philippus Abbas de *ſilentio Clericorum*, ibi: *Denique in veteri lege Moyſes ei, qui non inventus fuerit dare fructum, diſtrictius incutit maledictum.* Lyra in Iudices cap. 11. de *filia Jepta*, ibi: *Planget virginitatem ſuam, quia tùnc temporis opprobrium erat mori ſine prole.* Alphonſus Toſtatus in cap. 30. num. quæſt. 4. ibi: *In veteri teſtamento omnes enim tàm Sacerdotes, quàm Levitæ, & Sacerdos magnus, etiam Sanctiſsimi Prophetæ vxores habebant.*

192 Eſt igitur conſtans, & perpetua ſentencia in Dei Eccleſia ab exordio evangelicæ prædicationis inter Sanctos Doctores, Græcos, & Latinos, & etiam inter Doctores Eccleſiaſticos, quod virginitas nullum habuit cultum ex voto in veteri lege, imo obſervantiam eius negant laudati Patres, Doctores, & Magiſtri, quam tenent omnes Scholarum Principes, & eorum diſcipuli per vniverſum orbem. D. Thomas, & D. Bonaventura locis ſupra citatis. Scotus in 4. diſtinct. 30. Durandus etiam in 4. diſtinct. 34. quæſt. 4. Ex Sacra Societate Ieſu Eximius Doctor Franciſcus Suarez tom. 3. de Religione, lib. 3. cap. 1. num. 6. quem ſequuntur ferè omnes Magiſtri, & Doctores eiuſdem Familiæ. Vazquez quidem, qui laudabilem fuiſſe virginitatem in lege veteri tenet, cultum tamen cum voto in ea negat, in quo conveniunt Patres Societatis, vt videri poſſunt apud Scherlogum in Cantica.

193 Eamdem ſententiam vi conſequentiæ tenentur defendere, & defendunt omnes Theologi aſſerentes votum Deiparæ Dominæ noſtræ fuiſſe conditionatum ante deſponſationem cum Ioſepho, quam ſententiam elucidat, & noviſsimè defendit Emminentiſsimus Dominus Cardinalis Capiſuccus controv. 14. & pro ea laudat D. Auguſtinum, B. Albertum Magnum, Scotum, Paludanum, Richardum, Maiorem, Lyranum, Abulenſem, Cayetanum, Medinam, Ledeſmam, & Nazarium, & ex hac doctrina concluditur impoſsibilitas veri ſtatus Religioſi in veteri

H 2 teſta-

teſtamento, ex defectu cultus virginitatis in illa lege, quod quidem commune dogma §. ſequenti evidentius demonſtrabitur.

§. VI.

Ex Primatu voti Virginitatis Deiparæ tempore, & dignitate quem docent Patres, verus ſtatus Monaſticus circumciſſus reijcitur, excluditur, & impugnatur.

194 UT certum ſupponitur, quod ad conſtituendum verum ſtatum Religioſum evangelicum, requiritur neceſſario obſervantia caſtitatis cum voto, quod eſt vnum ex tribus conſilijs à Chriſto Domino inſtitutis in Sacroſancto ſuo Evangelio, vndè qui verum ſtatum Religioſum in Synagoga ſtatuere conantur, votum virginitatis, & caſtitatis in ea demonſtrare tenentur, & non ſufficit aliquos virginitatem obſervaſſe, probare, quia hæc virtus cum voto, vel ſine voto obſervari poteſt perpetuo, vt docet Div. Thomas in 4. diſtinct. 30. quæſt. 3. art. 2. ad 4. & conſtat, quia quamplurimæ ſunt, quarum virginitas celebratur in Dei Eccleſia, & earum voto non conſtat, vndecim millium Virginum, quæ ad contrahendum Matrimonium navigabant, commendatur virginitas, & ab Eccleſia proponitur ſine voto celebranda: ergo de virginitate ad votum non valet conſequentia, nec procedit argumentum: In veteri teſtamento extitere aliqui virgines: ergo cum voto, nam votum virginitatis in Domina noſtra incepit dicari, & obſervari: ergo antiquitus in illa lege non fuit ſtatus Religioſus verus in quo votum caſtitatis, & virginitatis, Deo circumciſi devoverent. Conſequentia infallibilis eſt, quod autem Deipara Domina noſtra prima fuerit dignitate, & tempore in dedicatione, & cultu virginitatis cum voto, defendunt tot Sancti Patres, & Doctores, ita vt contrarium ſine timore non poſſit defendi, aliquos referam.

195 A tempore prædicationis Apoſtolicæ incepit Dña noſtra Virgo Maria à fidelibus laudari ex Primatu voti virginitatis, quæ laus ſemper perennis fuit in ore omnium SS. PP. & Doctorum, vſque ad præſens ſæculum, in quo pauci quidam intereſſe habentes (vt vulgò dicitur) contra hanc Dominæ noſtræ

ex-

excellentiam inſurrexerunt, eamque Sancto Prophetæ Eliæ tribuunt, vt ab eo originem ſuæ Religionis in ipſo ſtatu Religioſo Iudaico trahant, & probent, ſic Hiſtoricus Propheticus in ſua Hiſtoria, & Apologia, & alij eiuſdem familiæ Carmelitanæ. Sed contra eſt tota antiquitas Sanctorum Patrum, & à D. Bartholomæo Apoſtolo hoc dogma fuiſſe prædicatum in laudem, & gloriam Dei Genitricis Mariæ refert Abdias Babylonicus in vita eiuſdem Sancti Apoſtoli lib. 8. ibi: *Hæc virgo cùm execraretur omnem virum, prima Deo omnipotenti vouit: primam autem ideò dixi, quia ex quo homo factus eſt ab initio ſæculi nulla hoc votum Deo obtulit; hæc prima inter fœminas conſtituit, vt in corde ſuo dixerit: Domine offero tibi Virginitatem meam.* Et licèt hic liber Apocryfus apud Viros doctos exiſtimetur, non omnia, quæ in apochryfis contenta ſunt, vt falſa debent contemni, vt aduertit S. P. N. Hieronymus, itaque quoad Primatum voti Deiparæ à quamplurimis viris doctis, & pijs recipitur, & laudatur Abdias, & idoneus teſtis exiſtimatur, præſertim à D. Bonaventura in lib. 1. Pharetræ cap. 5. & à Richardo de Sancto Victore lib. 3. de laudibus Mariæ.

196. In hac etiam ſententia extiterunt antiqui Patres Græci in primis ſæculis Eccleſiæ, qui firmiter docuerunt virginitatem in Chriſto Domino, & Maria incepiſſe, vndè Primatus voti in tempore rectè concluditur in Deipara Domina noſtra. Verba D. Athanaſij ſupra dedimus diſcurſ. 1. §. 4. in quibus apertè docet Chriſtum Dominum poſt mortem, & paſsionem ſuam nobis dediſſe exemplum Angelicæ virginitatis, & numquam alibi, niſi apud nos Chriſtianos hoc ſanctum propoſitum fuiſſe obſervatum. In eadem ſententia eſt in libro de *Incarnatione verbi Dei*, cuius verba ſunt, ibi: *Quis igitur hominum, vel poſt mortem, vel in vita Author virginitatis fuit? An non contra arbitratus fuit eam virtutem præſtare non poſſe? Atamen noſter Salvator, & omnium Rex Chriſtus tantum valuit in huiuſmodi præcepit, vt pueri non dum maturi, in legum diſciplina virginitatem, quæ ſupra leges eſt, profiteantur.* Origines in Matth. cap. 13. ibi: *Arbitror rationi conſentaneum, eſſe virilis quidem puritatis in caſtitate primitias fuiſſe Ieſu: muliebris fuiſſe Mariam.* S. Epiphanius hæreſi 78. ibi: *Qua vero ratione non potius Petro tradidit* (ſcilicèt Matrem?) *Qua ratione non Andreæ, Mattheaoque, vel Bartholomæo? At manifeſtum eſt, quod Ioanni propter virginitatem: ecce enim Mater, quamquam non eſſet Maria.*

ter ipſius Ioannis ſecundum carnem, ſed vt oſtenderet ipſam Matrem eſſe Principem virginitatis.

197 S. Gregorius Thaumaturgus nullam aliam virginem corpore, & ſpiritu ex omnibus generationibus agnovit, vſque ad Deiparam Dominam noſtram, ſerm. 1. Annuntiat. ibi: *Convenienter igitur Angelus Sanctæ Mariæ Virgini primo omnium illud: Ave gratia plena, Dominus tecum præſignificauit, quoniam cum ipſa totus gratiæ theſaurus reconditus erat; ex omnibus enim generationibus hæc ſola virgo ſancta corpore, & ſpiritu extitit.* D. Ioannes Chryſoſtomus ſuper illa verba, Pſalm. 44. *Afferentur Regi virgines poſt eam* de Chriſto, & Maria ibi: *Virginitatis decor apud veteres nec nominabatur, in nova autem lege fulſurus erat, vide quomodo prædixit David: afferentur Regi virgines poſt eam.* Eſtque communis Patrum intelligentia in his verbis: Primatus Deiparæ Dominæ noſtræ in voto virginitatis prædici, & annuntiari à Regio parentique ſuo Propheta. S. Gregorius Nazianzenus in exortatione ad virginem, ibi: *Cum vigebat lex, & vmbra, & temporarij cultus, tunc Primas vſque deferebant nuptiæ, vel vt puerilis, at poſtquam ſe ſubiecit littera, ſpirituſque illius locum ſubijt Chriſtuſque ex virgine quoad carnem progreſſus, tunc vero fulſit Cœlibatus, mundum contrahens.* Et Poemate de laude Deiparæ Dominæ noſtræ eleganter cecinit.

At poſtquam Chriſtus poſt caſtæ viſcera Matris,
Abſque Patre, & tædis vitæ progreſſus in auras
Luſtrauit muliebre genus, primamque Parentem
Depulit, & carnis leges abſcindere iuſsit,
Gratiaque in medium venit, tunc denique noſtro
Virginitas generi præclaro lumine fulſit.

198 S. Cyrilus Homil. 6. in Neſthorianos, ibi: *Beata Maria lampas inextinguibilis, & corona virginitatis.* D. Baſilius Magnus meritum virginitatis defuiſſe in veteri lege, & à Chriſto Domino eius perfectionem doceri incepiſſe expreſsè dicit lib. *de vera virginitate*, ibi: *Nec tamen, vt dixi de virginitate, tulit per Moſen Dominus legem, vtrumque ſexum intuens, hominumque naturam,*

neque

neque hanc in evangelio præcipit, ſed aſſumpta Moſi lege, quod illi ad perfectionis meritum deerat, edocet dicens: dictum eſt non fornicaberis, ego autem dico tibi non concupiſces, &c. Et paulo poſt. *Quemadmodum dicitur Dominus virginalis abſciſsionis, modos rogatus aperuit, & diſcipulus virginitatis intulit conſilium, dicens: De virginibus autem præceptum Domini non habeo.* In quibus verbis de virginitati voto oblata diſputat Magnus Baſilius, vt expreſsè conſtat in toto libro de virginitate.

199 S. Ioannes Damaſcenus de Nativitate B. Mariæ, ibi: *Chriſtianorum ſpes, virginitatis feraciſsima planta, per te enim virginitatis pulchritudo latiſsimè ſeſe diffudit.* Hæc de Beata Virgine. S. Methodius ſermone de Simeone, & Anna, virginitatem, itatumque eius in Chriſti Eccleſia incepiſſe docet, ibi: *Cum plures Eccleſia filias habeat, vna nihilominus ſola eſt electa, & pretioſa in oculis eius præ omnibus, agmen, ſcilicèt virginum, quæ enim præ omnibus nominatur perfectè, & electa, illa eſt Apoſtolorum ex omnibus collecta, concinnataque omnis pulchritudinis ac virginitatis præſtans ſponſa.* Vndè virginitas præ omnibus perfecta, & electa non eſt Synagogæ filia, ſed Chriſti Eccleſiæ. Patres Græci apud Corderium tom. 1. ad illa verba, Pſalm. 44. *Adducentur Regi virgines, &c. Obſerva vero dictionis acurationem, nam non ſtatim cum prima conſtituta eſt Eccleſia, floruit virginitas, ſed propterea quoque ipſe poſtea exponit, nempè poſtquam ea oblita fuit populi ſui, & domus paternæ.* Eſt igitur conſtans, communiſque ſententia inter Patres Græcos, quod virginitas Deo voto dicata in Chriſti Domini Eccleſia nata fuit, & quod in ea dicari incepit Deo in voto Deiparæ Dominæ noſtræ, quæ prima tempore, & dignitate eam obtulit Deo.

200 Conveniunt etiam in hoc Eccleſiaſtico dogmate Patres, & Doctores Latini. Antiquiſsimus Martyr, & Doctor Div. Cyprianus de *diſciplina, & habitu virginum*, & ex eo Eccleſia Romana in communi Virginum, 2. Noct. Lect. 1. hæc verba recitat, & cantat, ibi: *Flos ille Eccleſiaſtici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ ſpiritualis, læta indoles, laudis, & honoris opus integrum, atque incorruptum, Dei imago reſpondens ad Sanctimoniam Domini illuſtrior portio gregis Chriſti.* Quæ nullo modo intelligi poſſunt niſi de virginitate Deo in lege gratiæ voto conſecrata, nam ſi verum eſſet adverſariorum aſſertum, ſcilicèt, quod virginitas in veteri teſtamento fuit Deo conſecrata, haberet Syna-

nagoga decus, atque ornamentum gratiæ ſpiritualis, eſſetque in ea opus integrum, atque incorruptum, & illuſtrior portio gregis Chriſti reperiretur in ea. Conſonat Cypriano S. Aldhelmus ſexto ſæculo ſcribens tom. 3. Bibliot. vet. PP. in libello de laudibus virginitatis, cap. 9. ibi: *Cum tres ſint ſtatus in Eccleſia, virginitas, Cœlibatus, & coniugium, ex revelatione Angelica didicimus, ſi meritorum ratio habenda eſt cum has inter virtutes conſtituendum ordinem, vt ſit virginitas aurum, Cœlibatus argentum, & coniugium æramentum.* Vndè ſtatus aureus Eccleſiæ in Chriſto Domino, & eius Matre incepit, vt propria dos ſponſæ, qui non fuit in Synagoga.

201 Teſtimonia S.P.N. Hieronymi ſupra dedimus, diſc. 3. §. 3. in quibus expreſsè docet virginitatem in Chriſto Domino, & Maria incepiſſe Deo dicari. Div. Ambroſius idem docet de inſtitutione virginum, cap. 5. ibi: *Egregia igitur Maria, quæ ſignum ſacræ virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Chriſti vexillum levavit, & tamen cum omnes ad cultum virginitatis Sanctæ Mariæ doecrentur exemplo.* Div. Gregorius Magnus in Gloſſa ad cap. 1. Lucæ, ibi: *Verè gratia plena, quia prima inter fœminas munus virginitatis obtulit.* Ex relatis teſtimonijs Div. Auguſtini in hoc diſcurſ. §. 4. conſtat in hac noſtra fuiſſe ſententia, præcipuè ex cap. 27. de Sancta Virginitate, ibi: *Gaudia Virginum, Chriſti de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum, propter Chriſtum.* Et apud Magiſtrum ſententiarum in 4. diſtinct. 30. votum Deiparæ fuiſſe conditionatum, & internum docet idem D. Auguſtinus per hæc verba: *Beata Maria propoſuit ſe ſervaturam votum virginitatis in corde, ſed ipſum votum non expreſſit in ore, ſubiecit ſe divinæ diſpoſitioni, propoſuit ſe perſeveraturam virginem, niſi Deus aliter ei revelaret.* Eadem verba referuntur cap. Beata Maria cau. 27. quæſt. 2. conveniunt igitur Sancti quatuor Doctores Gregorius, Ambroſius, Auguſtinus, & Hieronymus, & ex eorum doctrinis manifeſtè convincitur, quod Deipara Domina noſtra prima fuit in voto virginitatis emittendo, non ſolum dignitate, ſed etiam tempore, & quantæ fuerit authoritatis in Dei Eccleſia iudicium quatuor Doctorum in controverſijs Eccleſiaſticis, Catholicus ignorare non poteſt, ſemper enim irrefragabile viſum fuit, & ab eorum conformi ſententia recedere temerarium iudicatur, maximè cum nullus ex Sanctis Doctoribus contrarium doceat.

202 Sequuntur quatuor Doctores omnes, qui in Dei Eccleſia ſanctitate, & doctrina floruerunt per vniverſum orbem. In noſtra Hiſpania Primatum Virginis Deiparæ docuerunt ex antiquis noſtris Doctoribus S. Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus, ſerm. 5. de Aſſumpt. ibi: *Prima omnium fœminarum virginitatem obtulit.* S. Leander Archiepiſcopus Hiſpalenſis de inſtitutione Virginum ad Florentinam ſororem, ibi: *Imò ipſa Mater, & Dux Virginum Maria ſuum interpellauit, pro ſuo merito filium.* Et in regula cap. 7. ibi: *Venit veritas, vmbra diſceſsit, venit verum ſacrificium, & ceſſavit hoſtia pecudum, venit virgo virginis filius, & virginitatis præbuit documentum.* S. Thomas à Villanova Archiepiſcopus Valentinus, ſerm. 2. de Aſſumpt. ibi: *Quis te docuit, ò Maria, ſic placere Deo pudicitiam? Vndè ſervandæ virginitatis documenta perceperis? Vt neque Deum, niſi virgo concipere non aſſentias? Neque enim huius rei lex tibi documentum, neque antiquitas præbuerat exemplum, lex ſterili fœmina maledixit, virginitatis perpetuæ dignitatem non agnoſcens.* Venerabilis, & Eruditiſsimus Epiſcopus Abulenſis Alphonſus Toſtatus in 4. Reg. cap. 4. ibi: *Non fuit etiam Ioſias ſimilis Ezechiæ, quia Ioſias deſtruxit omnem Idolatriam, quæ erat in terra, perfectius quam Ezechias, tamen non fuit ei ſimilis, quia Ezechias fecit hoc à ſeipſo non habens aliquem Priorem cuius ſequeretur exemplum; Ioſias autem ſequutus eſt exemplum Ezechiæ, magna enim laus eſt, quod aliquis fecit bona, quæ nullus ante feciſſet: Sic enim dicitur de Domina noſtra: ſola ſine exemplo placuiſti fœmina Chriſto, ſcilicèt, non fuit aliqua quæ emiſiſſet votum virginitatis ante Dominam noſtram.* Et ibidem ſtatum continentiæ in veteri teſtamento negat, & in novo inſtitutum fuiſſe docet, & in num. cap. 30. quæſt. 12. ibi: *In veteri teſtamento non invenitur obſervatio virginitatis cum voto, vel ſine voto, ſed omnes accipiebant viros: Domina noſtra fuit prima, quæ virginitatem obſervauit, & vouit.* Præter aliquos, qui verum ſtatum Religioſum ab Elia inſtitutum fuiſſe contendunt, omnes Magiſtri, & Doctores: qui in noſtra Hiſpania ſcripſerunt, laudatos præcipuarum Eccleſiarum Hiſpaniarum Præſules, ſequuntur, ex quibus aliquos poſtea referam.

203 Per alias quoque orbis regiones eamdem ſententiam docuerunt in laudem Deiparæ Dominæ noſtræ, Sanctus Anſelmus de quatuor virtutibus virginis, cap. 1. ibi: *Prudentiam quidem eius, vt prima fœminarum adverteret rem quæ carebat exemplo, quam gratum eſt Deo pudicitiæ ſacrificium, quod ipſa voverat Deo.*

Et

Et cap. 3. ibi; *Nullus has Domina prudentior, quæ antequam voueret, Deo virginitatem ſuam, perſpicaciter prouidit quantum profectus illud votum factum, & benè obſervatum, ſibi & toti mundo induceret, non enim rem voueret exoticam.* Venerabilis Beda in Lucæ cap. 1. *Prima fœminarum tantæ virtuti ſe mancipaſſe curauit.* Godfredus Abbas ſerm. 8. de Beata Maria, ibi: *Vnde hæc ſancta virgo Dei filio tantum placuiſſe ſi quæratur, dilectione videlicèt, & humilitate? quia prima Deo virginitatem devouit.* S. Fulgentius Rupenſis, ſerm. 10. de Martyribus, ibi: *De ipſo ligno virentis crucis iuxta fontem plantata, virginitas floruit caſtitatis.* Rupertus Abbas in Cantica, lib. 3. circa finem, ibi: *Quia votum egregium prima vouiſti, votum virginitatis.* Aymus Epiſt. de Aſſumpt. ibi: *Maria prima omnium virginitatem ſuam, vt ſine macula ſeruaret, docuit.* Aponius in Cantica lib. 4. ibi: *Per quam* (ſcilicèt Mariam) *in terra maledictionis in terra impiorum perditam terram incontinentiæ primum ſanctæ virginitatis vox audita eſt.* Ricardus à S. Laurentio lib. 4. de laudibus B. Mariæ, ibi: *Ipſa enim prima abſque humano conſilio, & exemplo diuinitus inſpirata, votum emiſsit virginitatis, ſicut dicit B. Bernardus.* Cuius verba dulcedine plena in laudem Deiparæ Dominæ noſtræ ex Homil. 3. ſuper *Miſſus eſt*, ſequentia ſunt, ibi: *O virgo prudens, ò virgo deuota, quis te docuit Deo placere virginitatem? quæ lex? quæ iuſtitia? quæ pagina veteris teſtamenti? vel præcipit, vel conſulit, vel hortatur in carne non carnaliter viuere, & in terris Angelicam ducere vitam? Vbi legeras, Beata Virgo, ſapientia carnis mors eſt, & curam carnis ne perfeceritis in deſideriis? Et paulo poſt: Vbi legeras laudandos eſſe, qui ſe caſtrauerunt propter Regnum Cœlorum? Tu vero non dicam præceptum, ſed nec conſilium, nec exemplum, niſi quòd vnctio docebat te de omnibus, ac ſermo Dei vivus, & efficax ante tibi fuit Magiſter, quam filius, prius inſtruxerit mentem, quam induerit carnem: Chriſto ergo devoues te exhibere virginem, & neſcis quod ipſi exhiberi te oportet etiam Matrem? Eligis in Iſrael eſſe contemptibilis, vt illi placeas cui te probaſti, maledictum incurrere ſterilitatis, & ecce maledictio benedictione cõmutatur, ſterilitas fœcunditate recompenſatur.*

204 Angelicus Magiſter perpetuus eſt in Primatu virginitatis Deiparæ, vt ſatis oſtenſum eſt ex locis ſupra citatis, Diſc. 2. §. 2. per totum, & in hoc Diſcurſ. §. 4. & eamdem ſententiam quam diſputando diffinivit, prædicando docuit, ſerm. 2. de Annunciatione Virginis, ibi: *Inchoauit vitam Angelorum, quia inſtituit vitam virginum.* Quam ſententiam ante D. Thomam in Dominicana

cana Familia docuerant Magiſter eius Albertus Magnus ſuper *Miſſus eſt*, cap. 182. ibi: *Beata virgo eſt Mater omnium in virginitate, ſine præcepto, ſine conſilio, vel exemplo glorioſum virginitatis munus Deo obtulit.* Vincentius Belbacenſis, tom. 3. in ſpecul. moral. lib. 2. diſtinct. 96. art. 3. §. 3. ibi: *Primò quia Chriſtus eſt amator virginum, quod patet in eo, quod ſupra omnes mulieres elegit habere in Matrem Beatam Virginem, & quia ea primo obtulit votum virginitatis.* Hugo primus ordinis purpuratus in Pſalm. 18. de Beata Virgine, ibi: *Nulla ante ipſam profeſſa fuerat virginitatem.* Et ibidem: *Prima eſt noua profeſſio virginitatis.* Poſt D. Thomam eamdem ſententiam tenent, & defendere tenentur omnes Dominicani Magiſtri, Magiſtrum ſequentes. S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, part. 4. ſummæ, cap. 20. §. 10. ibi: *Beata Maria eſt Mater omnium in virginitate, quia prima ſine præcepto, conſilio, vel exemplo glorioſum virginitatis munus Deo obtulit, & per votum virginitatis ab ea emiſſum virginitatis opprobrium abſtulit.* Cum hac doctrina in laudem Deiparæ Dominæ noſtræ, concepta, nata, & enutrita fuit ſacra Dominicana Familia, eamque docent noviſsimè Illuſtriſsimus Dominus Epiſcopus Segobienſis, & celeberrimus Salmanticenſis Primarius Doctor Magiſter Araùjo, tom. 2. in 2. 2. quæſt. 99. diſput 4. ſect. 3. ibi: *Vt nouam, & temerariam, & ſcandaloſam, tùm nouiſsimus index Expurgatorius, tùm Sapientiſsimum Inquiſitionis Tribunal, Sapientiſsimorum Salmanticenſium Magiſtrorum, & meo Calculo damnauit.* Hæc ibi: quam poſtea probabilem dicit propter decretum S. Officij: & Emminentiſsimus Dominus Cardinalis Capiſuccus tom. 1. controv. 16. per totam.

205 Notandum eſt, quod licèt aliqui diſcipuli D. Thomæ virginitatem obſervatam ab aliquibus concedant in veteri teſtamento, quod à doctrina Div. Thomæ alienum non eſt, cum voto tamen obſervatam fuiſſe, omnes concorditer negant, vt Magiſter Sotus in 4. diſtinct. 27. quæſt. 2. art. 1. in fine, ibi: *Quocirca licèt antea multi ob alios fines ſervaſſent, tamen id ſub voto vera Religionis à Beata Virgine ortum habuit: votum enim Veſtalium virginum Deorum ſuperſtitione vitiabatur, ſolemnitas evangelici voti à Chriſto incepit.* Et ibidem diſtinct. 30. art. 2. contra Scotum ſtatuit, & defendit, votum conditionatum Deiparæ, vt à D. Thoma docetur in 3. part. loco ſupra citato. Magiſter Medina in 3. part. quæſt. 28. art. 4. de voto virginitatis Deiparæ, ibi: *Sed mihi videtur,*

tur, quod fuerit ſimplex, quia tunc non erat in vſu votum ſolemne, tùm deniquè, quia votum ſolemne, ſecundùm D. Thomam, non poteſt eſſe ſine voto obedientiæ, & paupertatis: tùm etiam, quia in veteri lege non erat ſtatus approbatus, in quo ſervaretur votum ſolemne, neque erant domus, aut Monaſteria huic muneri dicata. Et ibidem virginitatem Eliæ, & aliorum veteris teſtamenti ex Doctore Maximo, & aliis referens, ait ibi: *Quamvis enim viri commemorati virgines fuerint, non eſt conſequens, quod votum virginitatis Deo emiſerint.*

206 In hac ſententia etiam fuit Seraphica Familia ab origine Religionis naſcentis, vt in omnibus ſcriptoribus manifeſtum eſt. D. Bonaventura ſupra laudatus §. præcedenti, & lib. 1. in Pharetra, cap. 5. ibi: *Bartholomæus Apoſtolus dicit manifeſtè, quod prima vouit virginitatem, & ideò prima, quia ante eam nulla.* S. Bernardinus Senenſis ſerm. 52. de *Salutatione Angelica*, art. 2. cap. 1. ibi: *Sed hoc maledictum Maria Virginum Primiceria aboleuit, dum prima ſuam virginitatem Domino conſecrauit, & ideò Pſalmus de ipſa ait: adducentur Regi virgines poſt eam.* Bernardinus de Buſtos in ſuo pio, eruditoque Mariali, part. 4. ſerm. 4. de Beata Virgine, ibi: *Secunda prærogatiua eius eſt, quod fuit prima Deo dicata:* & excellentiam huius prærogativę explicat paulo poſt ibidem: *Profectò apparet benedictæ Matris excellentia, quia prima omnium hanc ſuper naturam humanam cæleſtem vitam inchoauit, & agredi auſa eſt, maior enim difficultas eſt vnam virtutem arripere, vbi omnes contra faciunt, quam vbi omnes eam obſeruant.* Et ibidem: *Item facilè eſt habentem bonum Ductorem præcedentem ſequi illum per rectum iter, difficilè verò eſt iter inconſuetum peragere ſine Ductore, & omninò cum Beata Virgo omnes cerneret nubere, & ſolum ad generationem intendere, & maledictas ſteriles reputare, atque virginitatem in opprobrium habere, maxima eius virtus fuit per hanc inſolitam, & arduam viam incipere ambulare, & vſque in finem perſeverare.* Et paulo inferius ſecundum communem Patrum intelligentiam de Primatu voti Deiparæ explicat illud Pſalmi 44. *Adducentur Regi virgines, &c.* In eodem ſenſu loquuntur in laudem Deiparæ omnes eiuſdem familiæ Doctores Magiſtrum ſuum Scotum ſequentes, & licèt eruditiſſimus Ioannes Carthagena inter ſuas Homilias de Beata Virgine de Monte Carmelo, & de veteri Monachatu in eodem monte ſuo tempore legis, diſputavit, & ſecundum adverſariorum opinionem eorum placito adhærere videatur, vel verum cum votis evangelicis non intellexit, vel illam opinionem retractavit,

&

& propriam expreſsit, tom. 2. de Arcanis Sacris Deiparæ, vbi Primatum voti virginitatis Dei Genitricis Dominæ noſtræ ex communi SS. PP. doctrina eruditè ſtatuit, propugnat, & defendit: titulus Homiliæ adſcribitur, ibi: *Oſtenditur ex Sanctorum Patrum doctrina Beatam Virginem in templo virginitatem ſuam Deo expreſſo voto nuncupaſſe, atque adeò caſtitatem vovendi primam inventricem fuiſſe.*

207 Communem Sanctorum Eccleſiæ Doctorum, & Religionum Patrum doctrinam acerrime propugnat Eruditiſsima Familia Societatis Ieſu. Devotiſsimus Pater Caniſius de Beata Virgine, lib. 2. cap. 1. Primatum voti Dominæ noſtræ ſupponit, & cap. 14. aſſumptum, ex communi Patrum conſenſu probat, ibi: *Convenienter, atque conſtanter indicant Patres, adeòque ex ipſis evangelij verbis demonſtrant Mariam ex voto virginem, atque adeò voventium primam extitiſſe, quæ res profectò illi eximiam prærogativam, & immortalem laudem parit.* Eximius Doctor Franciſcus Suarez tom. 3. de *Religione*, tract. 7. lib. 7. cap. 1. ex Primatu voti virginitatis Dominæ noſtræ verum ſtatum Religioſum in veteri lege impugnat. Gabriel Vazquez, qui virginitatem laudabilem fuiſſe in veteri teſtamento contra Div. Thomam defendit, votum tamen caſtitatis, & virginitatis in illo tempore negat, & Deiparam primam fuiſſe, quæ Deo ſacræ virginitatis votum mancipavit, aſſerit tom. 2. in 3. part. diſput. 124. cap. 5. ibi: *Nullum tamen ante ipſam votum Deo nuncupaſſe, nam Authores, qui de alijs teſtantur in virginitate vixiſſe, non dicunt ex voto eos virginitatem ſervaſſe, at qui de Virginitate Mariæ loquuntur, planè aſſerunt eam Deo voto nuncupaſſe.* Cardinalis Bellarminus concione 2. part. 2. ſuper *Miſſus eſt*, ait ibi: *Si nunc magnum eſt virginitatem conſervare, cum eam filius Dei docuit, Apoſtolus conſuluit, Patres laudaverunt, multi ſexus vtriuſque tenuerunt, & exemplo ſuo ſervari poſſe demonſtrarunt, quanto magis ſingularem iſtam virginem, & virginum Reginam, tunc ad palmam huius nobiliſsimæ virtutis aſpirare potuiſſe, cum neque præceptum habuerat, neque conſilium audierat, neque viderat exemplum, & cum nullo in pretio apud homines habebatur.* Cornelius Alapide in Cantica, cap. 4. verſ. 3. ſenſu 3. ibi: *Rurſum Beata Virgo vitam egit Religioſiſsimam in ſumma caſtitate, paupertate, & obedientia, nam ipſa mortalium prima virginitatem ſuam Deo dicavit.* Eandem ſententiam tenet in Iſaiam cap. 17. In Lucam cap. 1. In Apocalypſim cap. 12. Pater Scherlo-

gus

gus in Cantica, ex profeſſo de Primatu Deiparæ diſputavit, & multis rationibus hanc Deiparæ probavit prærogativam. Sunt & alij Doctores, & Magiſtri Societatis, qui hanc doctrinam tenent, & docent; ſed quia laus Beatæ Virginis Mariæ in omnium Ieſuitarum ore ſemper fuit, & eſt, eius Primatus in voto Virginitatis omnes Patres Societatis pro hac excellentia Deiparæ Dominæ noſtræ poſſunt laudari.

208 Conveniunt in hac excellentia Dei Genitricis Mariæ omnes quotquot ſcripſerunt in omnibus Eccleſiæ ſtatibus, quos referre impoſsibile, & ferè infinitum eſſet. Ex antiquis tamen aliquos venerabiles Viros, & Eruditiſsimos Patres, & Doctores referam. Dionyſius Carthuſianus lib. 3. de laudibus glorioſæ virginis, art. 2. ibi: *Sed quoniam adhuc ſub lege erat, nondum tam abſolutè hanc vovit, quin hanc honeſtiſsimam conditionem addiderit, niſi Deus de ea aliud quippè diſpoſuerit, non quod ipſa dubitaret an intacta manere vellet, ſed an deberet.* Et in cap. 11. Iudicum, opprobrioſam docet virginitatem in illa lege. Lanſpergius Carthuſianus ſerm. 2. in feſto Annunciationis, ibi: *Planè virginitas quam Deo dicaſti nullo aliarum exemplo ad hoc invitata, neque ſcripturis, ſed Spiritu Sancto inſtituta.* Richardus de Media villa in 4. diſtinct. 30. quæſt. 1. ad 1. ibi: *Poteſt dici, quod Beata Virgo fuit confinium veteris legis, & nouæ, ſicut aurora noctis præcedentis, & diei ſequentis, & ideò fuit conſonum legi nouæ* (votum ſcilicèt virginitatis) *nec tamen contrarium legi veteri in quantum conditionem appoſuit.* Primatum voti virginitatis Deiparæ defendere tenentur Magiſtri ſententiarum Commentatores, qui conditionatum fuiſſe votum Deiparæ aſſerere debent Magiſtrum ſequentes in 4. diſtinct. 30. Sic Durandus ibidem, quæſt. 2. Paludanus, quæſt. 2. Maior, q. 4. & alij quamplurimi. Ioannes Gerſon lib. 4. de Sacramento Matrimonij, ibi: *Alia cauſa eſt, vt eſſet mulieribus exemplum virginitatis* (Maria ſcilicèt) *ſicut Chriſtus eſt exemplum viris.* Pelbartus lib. 8. Pomerij part. 1. art. 2. de Deipara, ibi: *Primum priuilegium eſt, quia eſt omnium prima* (Beata Maria) *primo ratione temporis, quia nec ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, vt canit Eccleſia: merito ergo dicitur virgo virginum Maria, quia eſt omnium Virginum Mater, virginitate prima, vel primiceria, quoniam ſine præcepto, conſilio, & exemplo prima omnium glorioſum munus virginitatis obtulit.* Guillermus Parvus in Cantica, cap. 3. ibi: *Prima hominum Deo omnipotenti immaculati corporis, & cordis ſacrificium obtulit, malens vtique ſubijci maledictioni.* Omit-

209 Omittimus alios Doctores, & Magiſtros, tàm ex antiquis, quàm ex modernis Scriptoribus, Theologis, Expoſitoribus, & Concionatoribus, qui vnô ore ab exordio Eccleſiæ docerent, & prædicant Primatum temporis Deiparæ Dominæ noſtræ in voto virginitatis: Vndè iure optimo aſſertum adverſariorum de Primatu voti virginitatis Eliæ in tempore contra communem SS. PP. Doctorum, & Theologorum iudicari poteſt, vt conſtat ex relatis per omnia §§. huius diſcurſus, quia vel virginitatem in veteri teſtamento negant, vel opprobrioſam dicunt, & incognitam populo Iudaico concludunt, & licèt aliqui virginitatem laudabilem in circumciſsione concedant, cultum eius cum voto abſolutè omnes concorditer negant, & in hac prerogativa primatum prædicant Deiparæ Dominæ noſtræ, cumque ſtatus verus Religioſus ſine voto caſtitatis intelligi non poſsit ex hoc Primatu Deiparæ Dominæ noſtræ rectè concluditur impoſsibilitas veri Monachatus in veteri lege.

210 Sed quia adverſarij ad particulares revelationes recurrunt Divis ſuæ Religionis factas de Monachatu ab Elia fundato in Sinagoga, ne hoc probationis genus in noſtro diſcurſu deſideretur, aliquas etiam revelationes referam pro Primatu Deiparæ, quæ Carmelitanis viſis oppoſitæ videntur: quæ autem veræ ſint, & quæ falſæ, iudicent docti, nobis autem ſufficit pro noſtris advertere, quod à nobis laudatæ communi SS. PP. & Theologorum doctrinæ conformes ſunt, quæ eſt vna ex præcipuis regulis ad cognoſcendam, & iudicandam veritatem, vel falſitatem revelationum. In primis enim in S. Birgitta lib. 1. cap. 20. legitur revelatum ei fuiſſe Deiparam Dominam noſtrã conditionatè votum virginitatis emiſsiſſe. In B. Mactilde lib. 1. In B. Angela de Fulgino lib. 1. de Salutatione Angelica. In S. Aldegundi lib. 1. viſione 5. In B. Eliſabetha lib. 3. cap. 13. de vita continentium. In B. Amadæo raptu 4. Revelatus invenitur in his omnibus Primatus voti virginitatis Deiparæ Dominæ noſtræ iuxta Sanctorum Patrum, & Doctorum doctrinam; qui per omnia ſæcula Chriſti, vſque ad noſtrum, ſanctitate, & doctrina floruerunt in Dei Eccleſia.

DIS-

DISCURSUS QUARTUS.

Nova adverſariorum explicatio ad Sanctorum Patrum, & Doctorum teſtimonia refertur, & contra eorum doctrinam, & ſenſum eſſe demonſtratur.

§. I.

Suppoſita adverſariorum proponuntur.

211 Hiſtoricus Propheticus in ſua Apologia, propoſit. 2. §. 4. vt Deiparam Dominam noſtram Primatu temporis in voto virginitatis expoliet, & Sancto Prophetæ Eliæ an excellentiam tribuat, Santiſque Patribus, & Doctribus pro Dei Genitricis temporali Primatia pugnantibus ſatisfaciat, quatuor propoſitiones ſupponit, vt veras, & certas, & ab omnibus vniverſaliter receptas; quæ quidem ſuas limitationes patiuntur.

212 Prima eſt ex D. Thoma 1. part. quæſt. 65. art. 3. quod quanto aliqua cauſa eſt ſuperior, tanto ad plura ſe extendit in cauſando. Et 3. contra Gentes cap. 24. quod quanto aliquid invenitur melius, tanto ad remotiora bonitatem ſuam diffundit. Et Quidlibeto 3. quæſt. 3. art. 6. & quæſt. 3. de potentia, art. 3. quod quanto vnumquodque bonitatem ſuam diffundit in alia fit altior cauſa. Hoc ſuppoſitum ſuis limitationibus verum eſt, ſed ad intentum non pertinere, Diſcurſ. 1. §. 4. oſtendimus.

213 Secunda propoſitio eſt, quod cauſæ voluntatem moventes finaliter, & exemplariter, non eſt neceſſario, vt realiter exiſtant, & in tempore effectibus ſuis præcedant, ſed ſufficit, vt in intellectu præexiſtant, & ab agente cognoſcantur, vt ad inſtar illarum operetur. Quod verum etiam eſt, ſed vt ad intentum verificetur (vt ex diffinitione cauſæ exemplaris à Philoſopho tradita con-

conſtat) debuit innoteſcere omnibus Monachis circumciſsis Beatam Virginem emiſſuram tale votum, vt ad eius exemplaritatem ſuam emitterent in veteri lege. Falſitatem huius revelationis exemplaritatis Deiparæ ſatis apertè demonſtravimus, §. ſupra citato per totum, vndè hæc ſuppoſitio ad rem non pertinet.

214 Tertia propoſitio eſt, quod Primatus alicuius perfectionis, dividitur in Primatum temporis, & dignitatis, & deindè, quod Primatus temporis per ſe ſolum nullam dicit, nec arguit perfectionem reſpectu poſterioris, & hoc exemplificat, quia Synagoga prius fuit tempore, quam Eccleſia, lex ſcripta, quam lex gratiæ, Prophetæ, quam Apoſtoli, ſacramenta veteris teſtamenti, quam novi, ſancti quoque illius legis, quam noſtræ. Imò, & ipſe Dñs noſter IeſusChriſtus, & B. Mater eius poſteriores fuerunt tempore Patribus veteris teſtamenti, quæ quidem vera ſunt, quia præcedentia ordinabantur ad poſteriora, & comparabantur ad illa, ſicut lex illa ad noſtram, tamquam imperfectum ad perfectum, figura ad figuratum, & vmbra ad lucem. Primatus dignitatis, & cauſalitatis ex ſe, & ſine prioritate temporis magnam ſemper dicit excellentiam, quæ quidem Primatia Chriſto Domino ab Apoſtolo tribuitur dum ad Coloſſenſes 1. verſ. 15. ait ibi: *Primogenitus omnis creaturæ*: & S. P. N. Hieronymus explicat: *Primogenitum non tempore, ſed honore*: vndè infert Author, quod quando Primatus temporis non ſit Primatum dignitatis, & honoris, nulla eſt excellentia primus eſſe in tempore; vndè concludit, quod tùnc Primatus temporis dignior fiet, quando ſimul cum Primatu dignitatis, & honoris concedatur. Super hanc doctrinam Authoris reflectere poſſumus, quod hæc diſtinctio Primatuum temporis, & dignitatis non eſt nova, ſed antiqua, & in Chriſti Eccleſia à Sanctis Patribus cognita, & ea vtuntur in Primogenitura omnium creaturarum Chriſti Domini; at iidem Sancti Patres, qui Primatum Deiparæ Dominæ noſtræ in voto virginitatis laudant, & extollunt, omnes abſolutè primam dicunt, laudant, & prædicant, ſine aliqua diſtinctione, vel limitatione: ergo Primatum abſolutum temporis, & dignitatis comprehendunt, quia ſi aliter intellexiſſent, ſe explicarent, ſicut in Primogenitura omnium creaturarum Chriſti Domini, non tempore, ſed honore dixit S. P. N. Hieronymus. Tùm etiam, quia in eo ſenſu debemus intelligere loqui Patres, in quo maior laus eſt Deiparæ Dominæ noſtræ, ſed Primatus temporis, & dignitatis in Deipa-

ra Domina noſtra, non ſolum dignitatem eius exaltat, ſed etiam excellentiam Chriſti Domini, & Eccleſia extollit, quia magna laus Eccleſiæ, & legis gratiæ eſt ponere in ea virtutes, & excellentias ex meritis Chriſti paſsi, quas non habuit Synagoga ſub lege ſervitutis ex meritis Chrſti futuri: ergo Primatus temporis, & dignitatis in voto Deiparæ Dominæ noſtræ cedit in laudem Chriſti Domini, Matris eius, & legis gratiæ, ac perconſequens in hoc ſenſu intelligi debent Patres. Tum denique, quia ſecundum doctrinam Authoris omnes effectus ſanguinis Chriſti Domini effuſsi, & eius redemprionis concedere teneremur in Synagoga Iudæorum, vt Primatus temporis, non minueret Primatum dignitatis, & cauſalitatis; ſed hoc eſt falſum: ergo, & doctrina Authoris in noſtro caſu; nam votum virginitaris proprium eſt legis gratiæ ſecundum doctrinam Patrum laudantium Dei Genitricis Primatum.

215 Quarta propoſitio eſt, quod ſacra Deipara Domina noſtra eſt formalis, aut virtualiter cauſa exemplaris, & finalis totius virginitatis, præteritæ, præſentis, & futuræ: Hanc excellentiam in laudem Deiparæ Dominæ noſtræ libenter concedimus poſt Chriſtum Dominum, non ſolum in virginitate, ſed in omnibus virtutibus eo modo quo pura creatura cauſa exemplaris, & finalis poteſt eſſe creaturæ rationali, & ſecundum diverſitatem temporum veteris, & novi teſtamenti, quia ad plura ſe extenduut virtutes fidei, ſpei, & charitatis, & cæteræ virtutes in lege gratiæ, quam in veteri; & ad effectus proprios legis gratiæ, quæ in illa veteri non conveniebant, nec vt cauſa finalis manifeſtatus fuit Chriſtus, nec Deipara Domina noſtra revelata, vt cauſa exemplaris in illa lege.

216 His quatuor propoſitionibus, ſeu ſuppoſitis prætermiſsis, ex revelatione exemplaritatis Chriſti Domini, & Mariani voti omnibus Monachis circumciſsis Elianis vniverſaliter facta, communi explicatione, & interpretatione ad teſtimonia Sanctorum Patrum reſpondet, intelligendos eſſe Patres dum primam dicunt Deiparam in voto de Primatu dignitatis, honoris, & exemplaritatis, non temporis: & vt teſtimonijs Sanctorum Patrum ſatisfaciat, propoſit. ſupra citata, §. 6. ad ſeptem claſſes teſtimonia reducit, & verba in quibus vis eſt omittit, & plura alia teſtimonia, nec refert, nec meminit: Vndè vt veritas magis elucceſcat, per ſingulas claſſes diſcutremus, & novitatem Au-

Authoris contra Sanctorum Patrum ſententiam eſſe, & veræ eorum intelligentiæ repugnare, demonſtretur.

§. II.

Explicationem ad Patres, & Doctores primæ claſsis oſtenditur eſſe falſam.

217 AD hanc primam claſſem reducit omnes Patres, & Doctores, qui Deiparam primam in virginitate laudantes, & votum non explicant, & de Primatu dignitatis per neceſſariam conſequentiam intelligendos eſſe concludere conatur, quia multi ex eis virgines aliquos in veteri teſtamento extitiſſe dicunt: ergo vel dum primam dicunt virginem Deiparam de Primatu dignitatis ſunt intelligendi, vel ſibi ipſis ſunt contrarij; ſed hæc Authoris conſequentia non rectè infertur; ſi verba SS. PP. ſincerè legantur, & perpendantur, nam virginitas, caſtitas, & cœlibatus ex varijs poſſunt ſervari motivis, & ſpeciali cultu Deo dicari: vndè licèt verum ſit, quod multi SS. PP. aliquos, vel aliquas in veteri teſtamento virgines cōcedant, ex motivis naturalibus, vel ex alijs, vt eſſent indicia futurorum virginum, vt aſſerit D. Ambroſius: primam tamen dicunt Deiparam Dominam noſtram in virginitate mentis, & corporis propter Regnum Cœlorum, & in hoc ſpeciali cultu virginitatem primam ſervaſſe, conſtans eſt verus, & legitimus ſenſus in eorum verbis, & ſententijs, vt patet in Parenti noſtro Doctore Maximo, qui virgines veteris teſtamenti enumerans, primam virginitatem Deo dicaſſe Dominam noſtram expreſsè dicit, & in ea incepiſſe dicari; ſed in exemplaritate revelata Iudæis non potuit dici Deo primo dicata, nec in Deipara incepiſſe dicari: ergo D. Hieronymus P. N. & cum eo cæteri Patres dicentes primam in virginitate Deiparam, de cultu virginitatis Theologicæ ſunt intelligendi, propter Regnum Cœlorum mentis, & corporis Deo dicatæ. Hæc doctrina ſat's apertè invenitur in teſtimonijs S. P. N. Hieronymi ſupra laudati, Diſc. 3. §. 3. præſertim, in quo virgines veteris teſtamenti ſæculi virgines appellat, & legis gratiæ propter Regnum Cęlorum virgines prædicat: ergo dum Deiparam Dominam noſtram primam virginitatem dicaſſe dicit, de Primatu temporis in virginitate propter

Regnum Cęlorum eſt intelligendus,& in eodem ſenſu loquuntur Patres;& ex eis Sancta mater Eccleſia.

218 Nam vt ſupra vidimus Diſc. ſupra citato, §.2. in officio Sanctæ Ceciliæ approbatum tenet Eccleſia, quod in veteri teſtamento à priſcis ſanctis illis viris, virginitas non fuit culta: & in officio de communi Virginum, quod non facilè invenitur in terris, niſi poſtquam Deus in hæc terreni corporis membra deſcendit, ibique, quod Elias nullius corporei coitus permixtus cupiditatibus invenitur: ergo ſpecialem aliquem cultum recognoſcit Eccleſia in virginibus legis gratiæ, quem non tenuit virginitas veteris teſtamenti; ſed nullus alius poteſt aſsignari niſi obſervantia virginitatis,& eius conſecratio propter Regnum Cœlorum cum voto: ergo in hoc ſenſu primam dicunt tempore, & dignitate Deiparam Dominam noſtram Patres, & Eccleſia, quia aliàs falſum eſſet,quod vniverſaliter canitur in toto orbe terrarum, ex D. Ioanne Chryſoſtomo, quod virginitas, neque in veteri teſtamento à priſcis Sanctiſsimis viris culta fuit, & in novo nulla legis neceſsitate iubetur.

219 Alia differentia colligitur ex D. Ambroſio ab Eccleſia relato in officio de comm. Virgin. cuius verba dedimus Diſc. & §.ſupra citatis,ait enim,poſt verba in officio relata,quod Elias, & virgines veteris teſtamenti indicia fuere futurorum virginum, & addidit: *Figura enim in paucis eſt vita in pluribus*: ergo virginitas veteris teſtamenti, & Deiparæ Dñæ noſtræ diſtinguuntur, tamquam figura à figurato,& vmbra à veritate, at res geſtæ in veteri teſtamento figurativæ tantum erant, quia propter Regnum Cęlorum,& præmia æterna non erant factæ,ſed propter terrena: ergo virginitas Deiparæ Dñæ noſtræ in vero ſenſu SS. PP. & Eccleſiæ prima Deo conſecrata fuit tempore propter Regnum Cœlorum, & præmia æterna,in quo vera,& Theologica virginitas conſiſtit.

220 Cæterum, ſi Authoris intelligentia vera eſſet, probaret vtique,quod omnibus virginibus veteris teſtamenti revelata fuit etiam virginitas Deiparæ Dñæ noſtræ, & eius votum, vt illorum virginitatis exemplar eſſet, quod probare Author debet;ſed hoc non probat,nec probari poteſt: ergo falſa eſt explicatio ab eo tradita,& aliena à vera SS.PP. intelligentia, nam omnibus illis virginibus ex vi ſtatus revelatum fuiſſet etiam Regnum Cœlorum, vt propter illud votum virginitatis emitterent, quod ſecundum SS. PP. doctrinam admitti non poteſt ex dictis diſc.1.§.3.& 4.

Ad

221 Ad hanc claſſem pertinet etiam Angelicus Doctor, cui vt ſatisfaciat Hiſtoricus propheticus in ſua Apologia, propoſit. 2. §. 3. num. 24. teſtimonium eiuſdem Angelici Magiſtri refert ex 4. diſtinct. 33. quæſt. 3. art. 2. ad 2. in quo diſtinguens circumſtantias temporis illius legis, & multiplicationem generis humani primis ſæculis ſub præcepto fuiſſe ſtatuens concludit, ibi: *Sed poſtea facta multiplicatione generis humani, & locupletato ſatis cultu divino, certè non peccaſſet virginitatem ſervans, vel in lege Moyſi, vel in ſtatu naturæ integræ, nec feciſſet contra præceptum, quia multiplicatio poterat fieri per alios.* Et ex his, ſupponit Author, Angelicum Præceptorem ſuæ favere opinioni; ſed quantum diſtet Angelici Præceptoris ſenſus à voto virginitatis, notum eſt omnibus verba tantum percipientibus; nam Angelicus Præceptor, ſolum dicit, non peccare virginitatem ſervantem in illa lege poſt multiplicationem generis humani, & adimpletionem divini cultus: ergo virginitas fuit materia voti in illa lege: non infertur conſequentia, vt notum eſt, quia votum debet eſſe de meliori bono, in noſtra enim lege gratiæ, qui nubit non peccat: ergo Matrimonium eſt materia voti, & Deo promitti poteſt, vt excellentius virginitati, fallax certè, & inſubſiſtens eſt hæc conſequentia.

222 Angelici Præceptoris doctrina certa eſt, & ab eius diſcipulis admiſſa, eamque illuſtravit noviſſimè Emminentiſſimus Dom. Cardinalis Capiſuccus controv. 14. & Matrimonium præferri virginitati in illa lege docet, §. 7. per totum, & §. ſequenti adverſariorum argumenta ex eodem D. Thoma eruditiſſimè ſolvit, quod vt magis appareat ſenſus Apologiſtæ menti D. Thomæ contrarius, ſequentes propoſitiones in doctrina D.Thomæ indubitatæ ex dictis, & relatis Diſcurſ. 2. §. 2. ſunt in memoriam revocandæ. Prima quod B. Virgo votum virginitatis emiſit conditionatum, quia virginitas videbatur prohibita in illa lege. Secunda, quod non erat omninò laudabile à commixtione carnis abſtinere in ea, nec præmium virginitatis redderetur, niſi ex divino inſtinctu ejus propoſitum proceſſiſſet. Tertia, quod non dum virginalis perfectionis advenerat tempus, prout advenit in Chriſto. Quarta, ex relatis teſtimonijs, Diſcurſ. 2. §. 4. quod tempore legis oportebat generationi inſiſtere propter propagationem cultus Dei, & expectationem benedicti ſeminis per viam generationis venturi. Quinta, quam ſæpè repetit Angelicus

cus Magiſter ex Patribus, quod virginitas in opprobrium, & contemptum habebatur in illa lege. Ex his manifeſtè concluditur in via D. Thomæ virginitatem non fuiſſe materiam voti in veteri teſtamento, licèt qui eam ſervaret non peccaret, ſicut accidit in multis, quæ licèt peccata non ſint, laudabilia, & meritoria non ſunt, nec Deo poſſunt offerri, vt vota.

223 Suppoſita hac irrefragabili intelligentia Angelici Doctoris, pro Primatu Deiparæ Dominæ noſtræ virginitatis, ex eius voto conditionato, Apologiſtæ doctrina notari debet circa votum Deiparæ conditionatum, loco ſupra citato, num. 25. ait, quod licèt Virgo Maria opinionem vulgi non tenebat circa prohibitionem virginitatis, ſed deſuper illuſtrata licitam, & laudabilem practicatamque in multis agnoſceret, cor ſuum puriſsimum ad votum eius potentiſsimè eam inclinaret, vt ait D. Thomas, tamen conſiderans, quod tempore illo convenientius poterat Matrimonium eſſe propter propagationem divini cultus, & ſingulariter in deſcendentibus de Tribu Iuda, cui per carnalem ſucceſsionem directè promiſſus fuerat Meſias, conſiderans etiam Deipara Domina noſtra magnam, tùnc Matrimonium habere exiſtimationem, quod obligatorium vulgariter reputabatur, his rationibus, exemplis, & congruentijs inter Matrimonium, & virginitatem anceps Deipara, perpendens an Matrimonium, aut virginitatem amplecteretur, dubitavit, quia Spiritus Sanctus noluit, tùnc maiorem notitiam, & claritatem ſanctiſsimæ ſuæ voluntatis Deiparæ tribuere propter ſuæ providentiæ altiſsimos fines, & fortè, vt Matrimonium cum Ioſepho contraheret à Deo congruenter decretatum: itaque Deipara Domina noſtra his rationibus mota votum virginitatis emiſsit conditionatum. Hæc Author vbi ſupra, in quibus apertè fatetur Deiparam Dominam noſtram Chriſtum naſciturum ex virgine ignoraſſe, & Spiritum Sanctum virginitatem futuræ Matris Dei Deiparæ non revelaſſe propter altiſsimos fines ſuæ divinæ, & infrutabilis providentiæ: ergo propter eoſdem fines Monachis circumciſis, & Monialibus Elianis non fuit revelata virginitas futuræ Matris Dei, vt ad inſtar eius votum ſuum emitterent virginitatis.

224 Tùm etiam, quia adverſarij ſupponunt Deiparam Dominam noſtram familiarem converſationem cum Carmelitanis Monachis habuiſſe, eiuſque colloquijs frui potuiſſe, & antequam in mundum veniret Domina noſtra, Sacel-

cellum virgini pariturae in Carmelo conſtruxiſſe, & nullus pius, & catholicus credet virginitatem Deiparae futurae ignotam fuiſſe eidem Dei Matri, & in Carmelo notam, publicamque inter Monachos, & Moniales Carmelitas: ergo Authoris doctrina incredibilia, & inveriſimilia continet, magnaque inconſequentia piè, & catholicè diſcurrendo laborat. Eſt igitur conſtans D. Thomae, & SS. PP. doctrina pro Primatu temporis Deiparae, qui eam in virginitate primam dicunt, & rationem cauſamque Primatus explicationi Authoris oppoſitam, & incompatibilem aſsignant Patres, vel ex maledicto, & contemptu virginitatis in illa lege, vel quia virginitas erat, vel videbatur prohibita, vel quia Iudaeis non erat cognita, & Matrimonium virginitati praeferebatur, & tempus caſtitatis non advenerat, vt conſtat ex teſtimonijs Eccleſiae, & SS. PP. & Doctorum, traditis Diſcurſ. 3. §. 1. 2. 3. 4. & 5. ſed admiſſa Authoris explicatione de Primatu virginitatis Eliae, Monachorum, & Monialium in tempore ante Dominam noſtram Dei Genitricem Mariam, rationes, & cauſas, quibus eam dicunt primam, corruunt, & non ſubſiſtunt; quia virginitas fuiſſet culta in ſtatu publico, vero, & Religioſo, laudabilique, & apud Iudaeos cognito, laudato, & benè viſo: ergo expoſitio Authoris vero Sanctorum Patrum, & Doctorum ſenſui opponitur, & contrarius eſt eorum ſententijs, teſtimonijs, & dictis.

§. III.

Eadem explicatio teſtimonijs Patrum ſecundae claſsis etiam repugnat.

225 AD hanc claſſem reducit omnia illa teſtimonia Sanctorum Patrum, & Doctorum, qui varijs titulis, & encomijs votum virginitatis explicant, & primum dicunt voviſſe Beatam Virginem Mariam, & omnes neceſſario intelligendos eſſe de Primatu dignitatis tantum, & non temporis contendit Author, & rationem ſubiungit ibidem, quia haec locutio tam abſoluta, & generalis neceſſe eſt, vt intelligatur in eo ſenſu, in quo maior ſignificetur excellentia Deiparae, ſine aliquo addito minuente, vel limitante: cum autem Primatus dignitatis ad vetus, & novum teſtamentum ſe extendat: & Primatia tem-

poris ad novum tantum, ideò ne limitet excellentiam dignitatis Primatus Deiparæ, de Primatu dignitatis, & exemplaritatis intelligendi ſunt Patres, Deiparam Dominam noſtram primam laudantes in voto virginitatis.

226 Sed fruſtra laborat Arthor in hac nova SS. Patrum, & Doctorum explicatione, nam Patres, & Doctores intelligendi ſunt in eo ſenſu, quo maior excellentia Deiparæ explicatur, quando non derogant dignitatem filij, nec excedunt excellentiam Matris, nec ſacro alicui textui ſcripturæ opponuntur, ſed Primatus temporis, & dignitatis ſimul maiorem excellentiam explicat, quam Primatus dignitatis tantum, vt ex ſe patet, & excellentiam Matris non excedit, nec dignitatem filij minuit, Sacræque Scripturæ non ſolum non opponitur, ſed conformior eſt: ergo Patres intelligendi ſunt de Primatu temporis, & dignitatis.

227 Nec valet dicere, quod Primatus temporis minueret, & limitaret Primatum dignitatis, & exemplaritatis, quia exemplaritas Chriſti Domini, & B. Mariæ in virginitate non ſe extenderet ad vetus teſtamentum: non inquam, hoc valet; nam perfectio cauſæ exemplaris non conſiſtit in eo, quod magis, vel minus imitetur, ſed in eo, quod in ſe contineat maiorem perfectionem imitabilem: operari enim, vel non operari ad inſtar cauſæ exemplaris perfectio, vel imperfectio eſt ad agentes pertinens, non ad ipſam cauſam exemplarem, vndè ex Primatu virginitatis in tempore Deiparæ infertur tantū, quod in veteri teſtamento non extiterunt operantes ad inſtar eius voti virginitatis, quod intendunt Patres, & ex hoc Deiparam laudant; non vero quod dignitas exemplaritatis eius minueretur, quæ licèt tùnc ad homines non extendebatur, ab Angelis admirabatur, vt inimitabilis: nec Patribus illis veteris teſtamenti imputabile fuit, ad inſtar voti Deiparæ non operari, quia vel non fuit cognitum in illa lege, vel non fuit revelatum, vt imitabile, quia vt quamplurimi Patres, & Doctores dicunt, virginitatis tempus non advenerat, & nuptijs oportebat, tùnc operam dare. Certum eſt enim, quod aliquibus Sanctis Patribus, & Prophetis revelatum fuit Euchariſtiæ Sacramentum in quo Chriſtus Dominus Primatum tenet temporis, & dignitatis: Non ne exemplaritas Chriſti Domini minuitur, & limitatur, eo quod non ſe extenderit ad Patres veteris teſtamenti in conficiendo hoc Sacramentum? Minimè, quia proprium eſt legis gratiæ, & Chriſti Eccleſiæ reſervatum: Certum etiam

etiam eſt, quod Chriſtus Dominus ſe præbuit exemplar omnium virtutum in lege gratiæ, minuitur ne Chriſti Domini exemplaritas, eo quod multi ad inſtar eius virtutum non operentur? Nequaquam, quia dignitas, & excellentia exemplaritatis Chriſti in ſua intrinſeca, & inimitabili perfectione conſiſtit, non autem in hominum voluntate expoſita, ſic certè Patres dicunt, primam Deiparam virginitatem voviſſe, & nullam antea; quia ſtatus virginitatis proprius eſt legis gratiæ, & ideò cum primam dicunt, de Primatu temporis ſunt intelligendi, quod dignitas exemplaritatis non limitatur.

228 Quod autem vt magis præcipiatur, ad Patres reflectimur laudatos Diſcurſ. 3. per totum, præſertim §. 6. S. Athanaſius profligata morte, & genere humano liberato Chriſtum dediſſe nobis exemplar virginitatis, & quod nunquam alibi, niſi apud nos Chriſtianos propoſitum eius fuit ſervatum expreſsè dicit. S. Ioannes Chryſoſtomus, & cum eo Eccleſia, cultum virginitatis à priſcis illis Patribus veteris teſtamenti negat, vt ſupra vidimus Diſcurſ. citato, §. 2. & §. 6. decorem virginitatis apud veteres nec nominari, & in nova fulſurum. S. Gregorius Thaumaturgus, quod ex omnibus generationibus ſola Deipara mente, & corpore virgo extitit. Nazianzenus, quod poſtquam gratia in medium venit, tùnc denique noſtro virginitas generi præclaro lumine fulſit, cecinit. S. Baſilius, quod virginitas ad perfectionis meritum in veteri lege defuit. S. Auguſtinus gaudia virginum in Chriſto, per Chriſtum, poſt Chriſtum, & propter Chriſtum tantum agnoſcit. S. P. N. Hieronymus virginitatem in Chriſto Domino, & Maria incepiſſe dicari expreſsè dicit. Sunt & alij quamplurimi, qui primam dicunt in voto, vel quia virginitas non erat cognita, vel adhuc infæcunditas ſub maledicto erat, vel quia Deipara opprobrium eius abſtulit, qui omnes explicationem Authoris non admittunt, quia ſi exemplaritas voti Deiparæ ad vetus teſtamentum ſe extenderet, maledictum infæcunditatis eſſet ablatum, virginitas eſſet cognita, eius obſervantia laudabilis, propoſitum eius ſervatum, & gaudium virginitatis ante Chriſti Domini adventum eſſet hominibus gratum, vt ex ſe patet, & Author concedere tenetur contra mentem SS. Patrum.

229 Magis repugnat Authoris explicatio ſenſui SS. PP. & Doctorum dicentium, Deiparam primam voviſſe virginitatem,

vel

vel eam Deo obtuliſſe primam; plurimi enim ſunt, qui Primatum eius hac fraſsi explicant. Sed vovere, & Deo offerre virginitatem eſſet cauſalitas cauſæ efficientis, & in hoc dicunt primam Dominam noſtram: ergo Patres, qui primam voviſſe dicunt, neceſſario intelligendi ſunt de Primatu non ſolum cauſæ exemplaris, ſed etiam cauſæ efficientis, quæ temporis ſupponit Primatiam, & Prioritatem, quod patet ex ſæpè repetitis, nam Sancti Patres, & Doctores dignitatem, & exemplaritatem fidei, ſpei, & charitatis, aliarumque virtutum in Deipara celebrant, & ſummis laudibus extollunt, nullus tamen dixit, quod prima amavit, ſperavit, & credidit, & ſe humiliavit, &c. ergo dum primam dicunt voviſſe, & Deo obtuliſſe virginitatem, eam ex primatu temporis, & dignitatis laudant, & prædicant: eſt igitur explicatio Apologiſtæ contra mentem, & proprium ſenſum SS. PP.

§. IV.

Teſtimonia tertiæ claſsis propugnantur, & verus eorum ſenſus oſtenditur.

230 IN hac claſſe explicat teſtimonia Sanctorum Patrum aſſerentium, Deiparam Dominam noſtram, primam, ſine exemplo, conſilio, & præcepto obtuliſſe Deo ſuam ſacràm virginitatem, & primatum temporis ex dictis Sanctorum Patrum non inferri; ſed ſolum concludere, quod non præceſsit in veteri lege aliud virginitatis votum, quod eſſet exemplar ipſi Deiparæ, eam movens, vt ſuum emitteret. Verba Sanctorum ſupra dedimus Diſcurſ. præcedenti, §. 6. & Primatum temporis concludere, ex eorum littera conſtat, Primus in hac fraſsi fuit Mellifluus Bernardus, & poſt eum eiſdem ferè verbis B. Albertus Magnus, D. Antoninus, D. Thomas à Villanova, Ricardus à S. Laurentio, & alij qui ſenſum, & verba D. Bernardi ſequuntur. D. Anſelmus rem exoticam, novam, & peregrinam, quæ carebat exemplo, votum Deiparæ nuncupat; quod præexiſtente Eliano voto, à multis retro ſæculis inſtituto, & obſervato, nec novum eſſet Deiparæ, nec à D. Anſelmo appellaretur exoticum: ergo in ſenſu D. Anſelmi carebat exemplo à Deipara

para emiſſum, non quia aliud præextiterit ei exemplar, quod imitaretur, ſed quia numquam fuit viſum, nec factum, antequam à Domina noſtra ſuum emitteretur.

231 Div. Bernardus Dominæ noſtræ voto in admirationem ductus, ſic ad virginem Deiparam aſſatur: *O Virgo prudens, quis te docuit placere Deo virginitatem? quæ lex, quæ iuſtitia, quæ pagina veteris teſtamenti præcipit, vel hortatur in carne non carnaliter viuere? vbi legeras laudandos eſſe, qui ſe caſtrauerunt propter Regnum Cœlorum?* In quibus verbis notandum eſt, quod in nulla pagina veteris teſtamenti præcipitur, nec hortatur virginitatis votum, nec alibi reperiebatur ſcriptum laudandos eſſe, qui ſe caſtraverunt propter Regnum Cœlorum, vndè miratur D. Bernardus ex novitate voti Deiparæ Dominæ noſtræ numquam viſi, nec auditi, nec ſcripti: ergo Primatum temporis verba D. Bernardi concludunt, ex quibus alia adverſariorum narratio falſitatis convincitur. Narrant moderniores Carmelitani Scriptores Deiparam Dominam noſtram Monaſteria ſua frequenter viſitaſſe, & familiari virginis converſatione Monachos illos circumciſſos Elianos fuiſſe fruitos, quod D. Bernardi verbis repugnat; nam ſi dictum Carmelitanum verum eſſet votum, quod in veteri teſtamento non reperiebatur ſcriptum ad præceptum, neque ad conſilium, in regula Eliana inveniret Virgo Deipara, & in conſtitutionibus Elianis legeret, laudandos eſſe, qui ſe caſtraverunt propter Regnum Cœlorum: ergo prædicta narratio Carmelitana, verbis D. Bernardi, vt fabella reijcitur. D. Bernardi ſenſus adhuc manifeſtius aperitur, quia contemptibilem eſſe in Iſrael propter votum emiſſum Mariam Virginem elegiſſe, expreſsè dicit Bernardus vbi ſupra citatus, quod directè repugnat cum Authoris explicatione, nam qui tùnc temporis virginitatem contemptibilem appellat ex præſcripto legis illius populi, nullum votum recognoſcit in illo, & ex hoc miratur, quod Virgo Deipara ſuo ſe mancipaſſe Deo in virtute populo contemptibili.

232 Div. Thomas à Villanova eiſdem ferè verbis D. Bernardi in laudem Dei Genitricis vtitur, & votum eius exaltat adiungens vbi ſupra, ibi: *Lex ſterili fœminæ maledixit, virginitatis perpetuæ dignitatem non agnoſcens.* Quid clarius dici potuit pro Primatu temporis voti Dei Genitricis? Sit ergo certus, & conſtans ſenſus Sanctorum, & Doctorum in verbis D. Bernardi laudantium votum Deiparæ, quod nullum ante eam fuit in lege veteri

ra Domina noſtra, non ſolum dignitatem eius exaltat, ſed etiam excellentiam Chriſti Domini, & Eccleſia extollit, quia magna laus Eccleſiæ, & legis gratiæ eſt ponere in ea virtutes, & excellentias ex meritis Chriſti paſsi, quas non habuit Synagoga ſub lege ſervitutis ex meritis Chrſti futuri: ergo Primatus temporis, & dignitatis in voto Deiparæ Dominæ noſtræ cedit in laudem Chriſti Domini, Matris eius, & legis gratiæ, ac perconſequens in hoc ſenſu intelligi debent Patres. Tum denique, quia ſecundum doctrinam Authoris omnes effectus ſanguinis Chriſti Domini effuſsi, & eius redemptionis concedere teneremur in Synagoga Iudæorum, vt Primatus temporis, non minueret Primatum dignitatis, & cauſalitatis; ſed hoc eſt falſum: ergo, & doctrina Authoris in noſtro caſu; nam votum virginitatis proprium eſt legis gratiæ ſecundum doctrinam Patrum laudantium Dei Genitricis Primatum.

215 Quarta propoſitio eſt, quod ſacra Deipara Domina noſtra eſt formalis, aut virtualiter cauſa exemplaris, & finalis totius virginitatis, præteritæ, præſentis, & futuræ: Hanc excellentiam in laudem Deiparæ Dominæ noſtræ libenter concedimus poſt Chriſtum Dominum, non ſolum in virginitate, ſed in omnibus virtutibus eo modo quo pura creatura cauſa exemplaris, & finalis poteſt eſſe creaturæ rationali, & ſecundum diverſitatem temporum veteris, & novi teſtamenti, quia ad plura ſe extenduut virtutes fidei, ſpei, & charitatis, & cæteræ virtutes in lege gratiæ, quam in veteri; & ad effectus proprios legis gratiæ, quæ in illa veteri non conveniebant, nec vt cauſa finalis manifeſtatus fuit Chriſtus, nec Deipara Domina noſtra revelata, vt cauſa exemplaris in illa lege.

216 His quatuor propoſitionibus, ſeu ſuppoſitis prætermiſsis, ex revelatione exemplaritatis Chriſti Domini, & Mariani voti omnibus Monachis circumciſsis Elianis vniverſaliter facta, communi explicatione, & interpretatione ad teſtimonia Sanctorum Patrum reſpondet, intelligendos eſſe Patres dum primam dicunt Deiparam in voto de Primatu dignitatis, honoris, & exemplaritatis, non temporis: & vt teſtimonijs Sanctorum Patrum ſatisfaciat, propoſit. ſupra citata, §. 6. ad ſeptem claſſes teſtimonia reducit, & verba in quibus vis eſt omittit, & plura alia teſtimonia, nec refert, nec meminit: Vndè vt veritas magis eluceſcat, per ſingulas claſſes diſcurremus, & novitatem Au-

Authoris contra Sanctorum Patrum ſententiam eſſe, & veræ eorum intelligentiæ repugnare, demonſtretur.

§. II.

Explicationem ad Patres, & Doctores primæ claſsis oſtenditur eſſe falſam.

217 AD hanc primam claſſem reducit omnes Patres, & Doctores, qui Deiparam primam in virginitate laudantes, & votum non explicant, & de Primatu dignitatis per neceſſariam conſequentiam intelligendos eſſe concludere conatur, quia multi ex eis virgines aliquos in veteri teſtamento extitiſſe dicunt: ergo vel dum primam dicunt virginem Deiparam de Primatu dignitatis ſunt intelligendi, vel ſibi ipſis ſunt contrarij; ſed hæc Authoris conſequentia non rectè infertur; ſi verba SS. PP. ſincerè legantur, & perpendantur, nam virginitas, caſtitas, & coelibatus ex varijs poſſunt ſervari motivis, & ſpeciali cultu Deo dicari: vndè licèt verum ſit, quod multi SS. PP. aliquos, vel aliquas in veteri teſtamento virgines cōcedant, ex motivis naturalibus, vel ex alijs, vt eſſent indicia futurorum virginum, vt aſſerit D. Ambroſius: primam tamen dicunt Deiparam Dominam noſtram in virginitate mentis, & corporis propter Regnum Coelorum, & in hoc ſpeciali cultu virginitatem primam ſervaſſe, conſtans eſt verus, & legitimus ſenſus in eorum verbis, & ſententijs, vt patet in Parenti noſtro Doctore Maximo, qui virgines veteris teſtamenti enumerans, primam virginitatem Deo dicaſſe Dominam noſtram expreſsè dicit, & in ea incepiſſe dicari; ſed in exemplaritate revelata Iudæis non potuit dici Deo primo dicata, nec in Deipara incepiſſe dicari: ergo D. Hieronymus P. N. & cum eo cæteri Patres dicentes primam in virginitate Deiparam, de cultu virginitatis Theologicæ ſunt intelligendi, propter Regnum Coelorum mentis, & corporis Deo dicatæ. Hæc doctrina ſat'sapertè invenitur in teſtimonijs S. P. N. Hieronymi ſupra laudati, Diſc. 3. §. 3. præſertim, in quo virgines veteris teſtamenti ſæculi virgines appellat, & legis gratiæ propter Regnum Cęlorum virgines prædicat: ergo dum Deiparam Dominam noſtram primam virginitatem dicaſſe dicit, de Primatu temporis in virginitate propter

221 Ad hanc claſſem pertinet etiam Angelicus Doctor, cui vt ſatisfaciat Hiſtoricus propheticus in ſua Apologia, propoſit. 2. §. 3. num. 24. teſtimonium eiuſdem Angelici Magiſtri refert ex 4. diſtinct. 33. quæſt. 3. art. 2. ad 2. in quo diſtinguens circumſtantias temporis illius legis, & multiplicationem generis humani primis ſæculis ſub præcepto fuiſſe ſtatuens concludit, ibi: *Sed poſtea facta multiplicatione generis humani, & locupletato ſatis cultu diuino, certè non peccaſſet virginitatem ſervans, vel in lege Moyſi, vel in ſtatu naturæ integræ, nec feciſſet contra præceptum, quia multiplicatio poterat fieri per alios.* Et ex his, ſupponit Author, Angelicum Præceptorem ſuæ favere opinioni; ſed quantum diſtet Angelici Præceptoris ſenſus à voto virginitatis, notum eſt omnibus verba tantum percipientibus; nam Angelicus Præceptor, ſolum dicit, non peccare virginitatem ſervantem in illa lege poſt multiplicationem generis humani, & adimpletionem diuini cultus: ergo virginitas fuit materia voti in illa lege: non infertur conſequentia, vt notum eſt, quia votum debet eſſe de meliori bono, in noſtra enim lege gratiæ, qui nubit non peccat: ergo Matrimonium eſt materia voti, & Deo promitti poteſt, vt excellentius virginitati, fallax certè, & inſubſiſtens eſt hæc conſequentia.

222 Angelici Præceptoris doctrina certa eſt, & ab eius diſcipulis admiſſa, eamque illuſtravit noviſsimè Emminentiſsimus Dom. Cardinalis Capiſuccus controv. 14. & Matrimonium præferri virginitati in illa lege docet, §. 7. per totum, & §. ſequenti adverſariorum argumenta ex eodem D. Thoma eruditiſſimè ſolvit, quod vt magis appareat ſenſus Apologiſtæ menti D. Thomæ contrarius, ſequentes propoſitiones in doctrina D.Thomæ indubitatæ ex dictis, & relatis Diſcurſ. 2. §. 2. ſunt in memoriam revocandæ. Prima quod B. Virgo votum virginitatis emiſsit conditionatum, quia virginitas videbatur prohibita in illa lege. Secunda, quod non erat omninò laudabile à commixtione carnis abſtinere in ea, nec præmium virginitatis redderetur, niſi ex divino inſtinctu eius propoſitum proceſſiſſet. Tertia, quod non dum virginalis perfectionis advenerat tempus, prout advenit in Chriſto. Quarta, ex relatis teſtimonijs, Diſcurſ. 2. §. 4. quod tempore legis oportebat generationi inſiſtere propter propagationem cultus Dei, & expectationem benedicti ſeminis per viam generationis venturi. Quinta, quam ſæpè repetit Angeli-

cus Magiſter ex Patribus, quod virginitas in opprobrium, & contemptum habebatur in illa lege. Ex his manifeſtè concluditur in via D. Thomæ virginitatem non fuiſſe materiam voti in veteri teſtamento, licèt qui eam ſervaret non peccaret, ſicut accidit in multis, quæ licèt peccata non ſint, laudabilia, & meritoria non ſunt, nec Deo poſſunt offerri, vt vota.

223 Suppoſita hac irrefragabili intelligentia Angelici Doctoris, pro Primatu Deiparæ Dominæ noſtræ virginitatis, ex eius voto conditionato, Apologiſtæ doctrina notari debet circa votum Deiparæ conditionatum, loco ſupra citato, num. 25. ait, quod licet Virgo Maria opinionem vulgi non tenebat circa prohibitionem virginitatis, ſed deſuper illuſtrata licitam, & laudabilem practicatamque in multis agnoſceret, cor ſuum puriſsimum ad votum eius potentiſsimè eam inclinaret, vt ait D. Thomas, tamen conſiderans, quod tempore illo convenientius poterat Matrimonium eſſe propter propagationem divini cultus, & ſingulariter in deſcendentibus de Tribu Iuda, cui per carnalem ſucceſsionem directè promiſſus fuerat Meſias, conſiderans etiam Deipara Domina noſtra magnam, tùnc Matrimonium habere exiſtimationem, quod obligatorium vulgariter reputabatur, his rationibus, exemplis, & congruentijs inter Matrimonium, & virginitatem anceps Deipara, perpendens an Matrimonium, aut virginitatem amplecteretur, dubitavit, quia Spiritus Sanctus noluit, tùnc maiorem notitiam, & claritatem ſanctiſsimæ ſuæ voluntatis Deiparæ tribuere propter ſuæ providentiæ altiſsimos fines, & fortè, vt Matrimonium cum Ioſepho contraheret à Deo congruenter decretatum: itaque Deipara Domina noſtra his rationibus mota votum virginitatis emiſsit conditionatum. Hæc Author vbi ſupra, in quibus apertè fatetur Deiparam Dominam noſtram Chriſtum naſciturum ex virgine ignoraſſe, & Spiritum Sanctum virginitatem futuræ Matris Dei Deiparæ non revelaſſe propter altiſsimos fines ſuæ divinæ, & inſcrutabilis providentiæ: ergo propter eoſdem fines Monachis circumciſis, & Monialibus Elianis non fuit revelata virginitas futuræ Matris Dei, vt ad inſtar eius votum ſuum emitterent virginitatis.

224 Tùm etiam, quia adverſarij ſupponunt Deiparam Dominam noſtram familiarem converſationem cum Carmelitanis Monachis habuiſſe, eiuſque colloquijs frui potuiſſe, & antequam in mundum veniret Domina noſtra, Sacel-

cellum virgini pariturae in Carmelo conſtruxiſſe, & nullus pius, & catholicus credet virginitatem Deiparae futurae ignotam fuiſſe eidem Dei Matri, & in Carmelo notam, publicamque inter Monachos, & Moniales Carmelitas: ergo Authoris doctrina incredibilia, & inveriſimilia continet, magnaque inconſequentia piè, & catholicè diſcurrendo laborat. Eſt igitur conſtans D. Thomae, & SS. PP. doctrina pro Primatu temporis Deiparae, qui eam in virginitate primam dicunt, & rationem cauſamque Primatus explicationi Authoris oppoſitam, & incompatibilem aſsignant Patres, vel ex maledicto, & contemptu virginitatis in illa lege, vel quia virginitas erat, vel videbatur prohibita, vel quia Iudaeis non erat cognita, & Matrimonium virginitati praeferebatur, & tempus caſtitatis non advenerat, vt conſtat ex teſtimonijs Eccleſiae, & SS. PP. & Doctorum, traditis Diſcurſ. 3. §. 1. 2. 3. 4. & 5. ſed admiſſa Authoris explicatione de Primatu virginitatis Eliae, Monachorum, & Monialium in tempore ante Dominam noſtram Dei Genitricem Mariam, rationes, & cauſas, quibus eam dicunt primam, corruunt, & non ſubſiſtant; quia virginitas fuiſſet culta in ſtatu publico, vero, & Religioſo, laudabilique, & apud Iudaeos cognito, laudato, & benè viſo: ergo expoſitio Authoris vero Sanctorum Patrum, & Doctorum ſenſui opponitur, & contrarius eſt eorum ſententijs, teſtimonijs, & dictis.

§. III.

Eadem explicatio teſtimonijs Patrum ſecundae claſsis etiam repugnat.

225 AD hanc claſſem reducit omnia illa teſtimonia Sanctorum Patrum, & Doctorum, qui varijs titulis, & encomijs votum virginitatis explicant, & primum dicunt voviſſe Beatam Virginem Mariam, & omnes neceſſario intelligendos eſſe de Primatu dignitatis tantum, & non temporis contendit Author, & rationem ſubiugit ibidem, quia haec locutio tam abſoluta, & generalis neceſſe eſt, vt intelligatur in eo ſenſu, in quo maior ſignificetur excellentia Deiparae, ſine aliquo addito minuente, vel limitante: cum autem Primatus dignitatis ad vetus, & novum teſtamentum ſe extendat: & Primatia tem-

poris ad novum tantum , ideò ne limitet excellentiam dignitatis Primatus Deiparæ , de Primatu dignitatis , & exemplaritatis intelligendi ſunt Patres, Deiparam Dominam noſtram primam laudantes in voto virginitatis.

226 Sed fruſtra laborat Author in hac nova SS. Patrum, & Doctorum explicatione , nam Patres, & Doctores intelligendi ſunt in eo ſenſu , quo maior excellentia Deiparæ explicatur, quando non derogant dignitatem filij , nec excedunt excellentiam Matris , nec ſacro alicui textui ſcripturæ opponuntur , ſed Primatus temporis, & dignitatis ſimul maiorem excellentiam explicat, quàm Primatus dignitatis tantum , vt ex ſe patet , & excellentiam Matris non excedit, nec dignitatem filij minuit, Sacræque Scripturæ non ſolum non opponitur, ſed conformior eſt: ergo Patres intelligendi ſunt de Primatu temporis,& dignitatis.

227 Nec valet dicere, quod Primatus temporis minueret, & limitaret Primatum dignitatis , & exemplaritatis , quia exemplaritas Chriſti Domini , & B. Mariæ in virginitate non ſe extenderet ad vetus teſtamentum : non inquam, hoc valet ; nam perfectio cauſæ exemplaris non conſiſtit in eo , quod magis , vel minus imitetur , ſed in eo , quod in ſe contineat maiorem perfectionem imitabilem: operari enim, vel non operari ad inſtar cauſæ exemplaris perfectio , vel imperfectio eſt ad agentes pertinens, non ad ipſam cauſam exemplarem, vndè ex Primatu virginitatis in tempore Deiparæ infertur tantũ,quod in veteri teſtamento non extiterunt operantes ad inſtar eius voti virginitatis , quod intendunt Patres,& ex hoc Deiparam laudant; non vero quod dignitas exemplaritatis eius minueretur , quæ licèt tùnc ad homines non extendebatur , ab Angelis admirabatur , vt inimitabilis : nec Patribus illis veteris teſtamenti imputabile fuit , ad inſtar voti Deiparæ non operari , quia vel non fuit cognitum in illa lege , vel non fuit revelatum, vt imitabile , quia vt quamplurimi Patres, & Doctores dicunt , virginitatis tempus non advenerat , & nuptijs oportebat , tùnc operam dare. Certum eſt enim , quod aliquibus Sanctis Patribus , & Prophetis revelatum fuit Euchariſtiæ Sacramentum in quo Chriſtus Dominus Primatum tenet temporis , & dignitatis : Non ne exemplaritas Chriſti Domini minuitur, & limitatur , eo quod non ſe extenderit ad Patres veteris teſtamenti in conficiendo hoc Sacramentum ? Minimè , quia proprium eſt legis gratiæ , & Chriſti Eccleſiæ reſervatum : Certum

etiam

etiam eſt, quod Chriſtus Dominus ſe præbuit exemplar omnium virtutum in lege gratiæ, minuitur ne Chriſti Domini exemplaritas, eo quod multi ad inſtar eius virtutum non operentur? Nequaquam, quia dignitas, & excellentia exemplaritatis Chriſti in ſua intrinſeca, & inimitabili perfectione conſiſtit, non autem in hominum voluntate expoſita, ſic certè Patres dicunt, primam Deiparam virginitatem voviſſe, & nullam antea; quia ſtatus virginitatis proprius eſt legis gratiæ, & ideò cum primam dicunt, de Primatu temporis ſunt intelligendi, quod dignitas exemplaritatis non limitatur.

228 Quod autem vt magis percipiatur, ad Patres reflectimur laudatos Diſcurſ. 3. per totum, præſertim §. 6. S. Athanaſius profligata morte, & genere humano liberato Chriſtum dediſſe nobis exemplar virginitatis, & quod nunquam alibi, niſi apud nos Chriſtianos propoſitum eius fuit ſervatum expreſsè dicit. S. Ioannes Chryſoſtomus, & cum eo Eccleſia, cultum virginitatis à priſcis illis Patribus veteris teſtamenti negat, vt ſupra vidimus Diſcurſ. citato, §. 2. & §. 6. decorem virginitatis apud veteres nec nominari, & in nova fulſurum. S. Gregorius Thaumaturgus, quod ex omnibus generationibus ſola Deipara mente, & corpore virgo extitit. Nazianzenus, quod poſtquam gratia in medium venit, tùnc denique noſtro virginitas generi præclaro lumine fulſit, cecinit. S. Baſilius, quod virginitas ad perfectionis meritum in veteri lege defuit. S. Auguſtinus gaudia virginum in Chriſto, per Chriſtum, poſt Chriſtum, & propter Chriſtum tantum agnoſcit. S. P. N. Hieronymus virginitatem in Chriſto Domino, & Maria incepiſſe dicari expreſsè dicit. Sunt & alij quamplurimi, qui primam dicunt in voto, vel quia virginitas non erat cognita, vel adhuc infæcunditas ſub maledicto erat, vel quia Deipara opprobrium eius abſtulit, qui omnes explicationem Authoris non admittunt, quia ſi exemplaritas voti Deiparæ ad vetus teſtamentum ſe extenderet, maledictum infæcunditatis eſſet ablatum, virginitas eſſet cognita, eius obſervantia laudabilis, propoſitum eius ſervatum, & gaudium virginitatis ante Chriſti Domini adventum eſſet hominibus gratum, vt ex ſe patet, & Author concedere tenetur contra mentem SS. Patrum.

229 Magis repugnat Authoris explicatio ſenſui SS. PP. & Doctorum dicentium, Deiparam primam voviſſe virginitatem,

vel

vel eam Deo obtuliſſe primam; plurimi enim ſunt, qui Primatum eius hac fraſsi explicant. Sed vovere, & Deo offerre virginitatem eſſet cauſalitas cauſæ efficientis, & in hoc dicunt primam Dominam noſtram: ergo Patres, qui primam voviſſe dicunt, neceſſario intelligendi ſunt de Primatu non ſolum cauſæ exemplaris, ſed etiam cauſæ efficientis, quæ temporis ſupponit Primatiam, & Prioritatem, quod patet ex ſæpè repetitis, nam Sancti Patres, & Doctores dignitatem, & exemplaritatem fidei, ſpei, & charitatis, aliarumque virtutum in Deipara celebrant, & ſummis laudibus extollunt, nullus tamen dixit, quod prima amavit, ſperavit, & credidit, & ſe humiliavit, &c. ergo dum primam dicunt voviſſe, & Deo obtuliſſe virginitatem, eam ex primatu temporis, & dignitatis laudant, & prædicant: eſt igitur explicatio Apologiſtæ contra mentem, & proprium ſenſum SS. PP.

§. IV.

Teſtimonia tertiæ claſsis propugnantur, & verus eorum ſenſus oſtenditur.

230 IN hac claſſe explicat teſtimonia Sanctorum Patrum aſſerentium, Deiparam Dominam noſtram, primam, ſine exemplo, conſilio, & præcepto obtuliſſe Deo ſuam ſacram virginitatem, & primatum temporis ex dictis Sanctorum Patrum non inferri; ſed ſolum concludere, quod non præceſsit in veteri lege aliud virginitatis votum, quod eſſet exemplar ipſi Deiparæ, eam movens, vt ſuum emitteret. Verba Sanctorum ſupra dedimus Diſcurſ. præcedenti, §. 6. & Primatum temporis concludere, ex eorum littera conſtat, Primus in hac fraſsi fuit Mellifluus Bernardus, & poſt eum eiſdem ferè verbis B. Albertus Magnus, D. Antoninus, D. Thomas à Villanova, Ricardus à S. Laurentio, & alij qui ſenſum, & verba D. Bernardi ſequuntur. D. Anſelmus rem exoticam, novam, & peregrinam, quæ carebat exemplo, votum Deiparæ nuncupat; quod præexiſtente Eliano voto, à multis retro ſæculis inſtituto, & obſervato, nec novum eſſet Deiparæ, nec à D. Anſelmo appellaretur exoticum: ergo in ſenſu D. Anſelmi carebat exemplo à Dei-

para emiſſum, non quia aliud præextiterit ei exemplar, quod imitaretur, ſed quia numquam fuit viſum, nec factum, antequam à Domina noſtra ſuum emitteretur.

231 Div. Bernardus Dominæ noſtræ voto in admirationem ductus, ſic ad virginem Deiparam affatur: *O Virgo prudens, quis te docuit placere Deo virginitatem? quæ lex, quæ iuſtitia, quæ pagina veteris teſtamenti præcipit, vel hortatur in carne non carnaliter vivere? vbi legeras laudandos eſſe, qui ſe caſtraverunt propter Regnum Cœlorum?* In quibus verbis notandum eſt, quod in nulla pagina veteris teſtamenti præcipitur, nec hortatur virginitatis votum, nec alibi reperiebatur ſcriptum laudandos eſſe, qui ſe caſtraverunt propter Regnum Cœlorum, vndè miratur D. Bernardus ex novitate voti Deiparæ Dominæ noſtræ numquam viſi, nec auditi, nec ſcripti: ergo Primatum temporis verba D. Bernardi concludunt, ex quibus alia adverſariorum narratio falſitatis convincitur. Narrant moderniores Carmelitani Scriptores Deiparam Dominam noſtram Monaſteria ſua frequenter viſitaſſe, & familiari virginis converſatione Monachos illos circumciſſos Elianos fuiſſe fruitos, quod D. Bernardi verbis repugnat; nam ſi dictum Carmelitanum verum eſſet votum, quod in veteri teſtamento non reperiebatur ſcriptum ad præceptum, neque ad conſilium, in regula Eliana inveniret Virgo Deipara, & in conſtitutionibus Elianis legeret, laudandos eſſe, qui ſe caſtraverunt propter Regnum Cœlorum: ergo prædicta narratio Carmelitana, verbis D. Bernardi, vt fabella reijcitur. D. Bernardi ſenſus adhuc manifeſtius aperitur, quia contemptibilem eſſe in Iſrael propter votum emiſſum Mariam Virginem elegiſſe, expreſsè dicit Bernardus vbi ſupra citatus, quod directè repugnat cum Authoris explicatione, nam qui tùnc temporis virginitatem contemptibilem appellat ex præſcripto legis illius populi, nullum votum recognoſcit in illo, & ex hoc miratur, quod Virgo Deipara ſuo ſe mancipaſſe Deo in virtute populo contemptibili.

232 Div. Thomas à Villanova eiſdem ferè verbis D. Bernardi in laudem Dei Genitricis vtitur, & votum eius exaltat adiungens vbi ſupra, ibi: *Lex ſterili fœminæ maledixit, virginitatis perpetuæ dignitatem non agnoſcens.* Quid clarius dici potuit pro Primatu temporis voti Dei Genitricis? Sit ergo certus, & conſtans ſenſus Sanctorum, & Doctorum in verbis D. Bernardi laudantium votum Deiparæ, quod nullum ante eam fuit in lege veteri

teri votum emiſſum, nec virgini ad exemplar, nec alijs ad do-cuiuſcunque, & inſtitutum, quia in verbis, & ſenſu vero, D. Bernardi, & D. Thomæ à Villanova dignitas virginitatis perpetuæ ante Deiparam non fuit ſcripta in lege, nec audita in populo, neque in Synagoga viſa.

233 Denique ipſe Apologiſta ibidem advertit, quod licèt, aliquod reperiatur teſtimonium aſſeverans, quod Domina noſtra habuit in veteri lege aliquod votum, ad cuius imitationem ſuum emitteret, non eſt intelligendum de exemplo movente illam, quæ ſolum ex Dei voluntate, & illuſtratione Spiritus Sancti mota fuit, ſed exemplo, hoc eſt, de aliquo actu ſimili alijs proportionato finibus, ſed hoc teſtimonium ſolum reperitur in Ioanne illo Ieroſolymitano, vel vt melius dicam in Authore libri, qui ei falsò adſcribitur, in quo ex antiqua traditione Carmelitarum refertur, Dei Genitricem Dominam noſtram votum ſuum emiſiſſe ad imitationem Eliæ; hoc teſtimonium nullius momenti eſt, quia ſi veri Ioannis Ieroſolymitani liber eſt, origeniſta fuit, & vt in hac hæreſi comprehenſus à D. P. N. Hieronymo acriter carpitur, ſi alterius Authoris, multa irrationabilia continet, quæ ab eruditis Doctoribus cenſura gravi notantur. Vndè teſtimonium huius Authoris, nobis non afficit, nec ipſis modernis Carmelitanis prodeſt, quia ex eo manifeſtè conſtat antiquos ſui ordinis novam revelationem exemplaritatis Chriſti Domini, & Deiparæ, vt ad inſtar eius vota ſua emitterent Monachi circumciſi, non cognoviſſe, & noviter inventam eſſe in noſtro ſæculo, vt difficultatem, & impoſſibilitatem veri ſtatus Religioſi circumciſi vincerent.

§. V.

Teſtimonijs quartæ claſſis prædicta explicatio non convenit.

234 TEſtimonia huius claſſis ſunt illa SS. Patrum, & antiquorum Doctorum dicentium, Dominam noſtram rem novam feciſſe in voto virginitatis, qui licèt pauci Apologiſtæ videantur, plurimi ſunt, qui ex novitate votum eius ſacrum celebrant, & mirantur, vt patet in laudatis ſupra Diſcurſ. 3. §. 6. & vt explicatio tradita ab Authore reijciatur, ad aliquos reflectendum eſt.

eſt. D. namque Gregorius Niſenus. Simeon Methafraſtes, Nizephorus Calixtus, S. P. N. Hieronymus, Diſcurſ. 1. §. 4. relati, & ex eis Dorlandus, & Landulphus de Saxonia ex novitate voti Deiparæ genti illi inſueti, concilium congregaſſe, ſtupefactum dicunt Pontificem Summum, vt quid ſuper rem illam inſolitam facerent, determinarent; cui antiquæ ſatiſque receptæ hiſtoriæ ex multis explicatio Authoris repugnat, qui ad teſtimonia huius claſsis dicit, non intelligenda eſſe, dum votum Deiparæ novum appellant, quod practicatum antea non fuit in veteri lege, ſed quia proprium erat legis novæ, & gratiæ, vndè votum Deiparæ novum novitate ſpiritus celebrant Patres, non temporis. Hæc Author.

235 Sed falſa certè, & à vero Sanctorum Patrum ſenſu aliena eſt prædicta explicatio, & in eo ſenſu non ſolum Deiparam rem novam feciſſe in voto virginitatis, ſed in omnibus ſuis virtutibus poteſt dici, rem novam feciſſe novitate ſpiritus legis novæ, & gratiæ; quia ad illam pertinebant, & propriæ erant ipſius legis novæ opera illius: & ſimiliter idem poteſt dici, & affirmari, de omnibus iuſtis, & ſanctis veteris teſtamenti, qui ſpiritu legis gratiæ virtutes adimplerunt in veteri, & ad legem gratiæ pertinebant, vt docet D. Auguſtinus, & D. Thomas; vndè mens Sanctorum Patrum manifeſta eſt, & ſuis proprijs verbis Authoris explicationem reijciunt, nam votum Deiparæ inſuetum, & contra mores illius populi prædicant, & laudant, qua novitate in anguſtijs conſtitutus Pontifex veteris legis, Concilium congregavit, vt quid faciendum de illo corpore Deo conſecrato, conſuleret; at ſi votum virginitatis fuiſſet antea practicatum in Monachis, & Monialibus Elianis per tot ſæcula, vt contendunt adverſarij, nullum eſſet dubium, nec Pontifex in anguſtijs conſtitueretur ex voto Deiparæ, vt ex ſe patet: ergo non ſolum ex novitate ſpiritus laudatur votum Deiparæ, ſed ex novitate temporis miratur, & prædicatur. Tùm etiam falſitas eiuſdem explicationis oſtenditur; quia ſi vera eſſet, Deiparæ votum, nec ſpiritus novitate fuiſſet novum; quia Elias, & cæteri Monachi circumciſsi in eadem novitate ſpiritus votum ſuum emiſiſſent in ſtatu vero Religioſo, ante evangelium evangelico, & ante Chriſtum Chriſtiano, vt aſſerit Author in Hiſtoria prophetica, lib. 1. cap. 38. num. 8. ergo in eodem ſpiritu legis gratiæ Elias, & Monachi circumciſsi præciſiſſent Deiparæ in voto virginitatis, ac per-

con-

conſequens votum Deiparæ Dominæ noſtræ, nec eſſet novum novitate temporis, nec novitate legis novæ, & gratiæ. Quis enim vota virginitatis hoc noſtro ſæculo emiſſa nova appellavit, quia in ſpiritu legis gratiæ, & novæ Deo conſecrantur: ergo nec votum Deiparæ Dominæ noſtræ appellarent Patres novum ex novitate ſpiritus legis gratiæ, ſi in eodem ſpiritu, alia præceſſerint in veteri teſtamento.

236 Inſtantia Authoris ex cap. 13. Ioannis in quo dicitur à Chriſto Domino, ibi: *Mandatum novum do vobis*, ad rem non pertinet, nec Authoris illatio procedit ex minori adiuncta, ſcilicèt, ſed mandatum de diligendo proximo datum fuit in veteri teſtamento, & obſervatum in lege: ergo non proponitur novum, novitate temporis, ſed novitate ſpiritus legis novæ; hæc conſequentia admiſſa, ſequentem negamus, ſcilicèt, ergo eodem ſenſu ſunt intelligendi Patres novitatem voti Deiparæ mirantes, & prædicantes, nam diſparitas manifeſta eſt, quia mandatum de diligendo proximo expreſſum reperitur in veteri teſtamento, votum vero virginitatis minimè reperitur, imò potius ex veteri lege probant Patres non extitiſſe tempore illo, & ex novitate in Deipara Domina noſtra mirantur: ergo conſequentia ex mandato de diligendo proximo ad votum virginitatis Deiparæ non valet.

237 Tùm etiam prædicta explicatio reijcitur, quia mandatum de diligendo proximo, vt à Chriſto Domino ponitur, non ſolum fuit novum novitate ſpiritus, ſed etiam novitate temporis, quia vt à Chriſto Domino ponitur ibi, numquam fuit datum in veteri teſtamento, nam in eo ſolum dicitur: *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*, Chriſtus Dominus, ait: *Mandatum novum do vobis, vt diligatis invicem, ſicut dilexi vos*, quod eſt diligere proximum pluſquam nolmetipſos, quia Chriſtus Dominus vitam ſuam dedit pro nobis, in quo mandatum Chriſti novum fuit, non ſolum novitate ſpiritus, ſed etiam temporis, ſic explicant Ioannis textum Patres Græci communiter, & Latini: ergo explicatio Authoris, & illatio ex hoc textu impertinens eſt ad noſtrum intentum. Eſt igitur certus, & indubitatus ſenſus SS. Patrum laudantium Deiparam ex novitate ſpiritus, & temporis, dum dicunt rem novam feciſſe in voto virginitatis, quia in ſenſu Authoris, nec novum eſſet ſpiritu, nec tempore.

§. VI.

§. VI.

Teſtimonia quintæ claſsis ab Authoris explicatione defenduntur.

238 MVlti antiqui Patres,& Doctores dixerunt, quod Beata Virgo fuit prima fœminarum, quæ votum virginitatis emiſit, & alij ex antiquis, vt S.P.N.Hieronymus, & Origines, quod ſicut Chriſtus primitias tenuit virginitatis inter homines, ſic Maria Domina noſtra inter fęminas. Hic loquendi modus antiquus eſt in Chriſti Eccleſia, & quamplurimi Doctores eo vtuntur, vt virginitatem propriam eſſe temporis legis gratiæ explicent in laudem Matris, & Filij, quibus Author ſua generali explicatione reſpondet intelligendos eſſe de Primatu dignitatis, & exemplaritatis,& vim in comparatione Primatus Matris cum Primatia filij faciens, ſic arguit: Certum eſt, quod Primatia Chriſti Domini in omni iuſtitia, & perfectione, & conſequenter in voto puritatis, non fuit temporis, ſed cauſalitatis cauſæ exemplaris influentis, non ſolum in tempore legis gratiæ, ſed etiam in tempore veteris legis; ſed Patres comparant Primatum Matris, & Filij in virginitate: ergo Primatus Matris in dignitate eſt intelligendus, ſicut & filij, quod certum ſupponit ex dictis in hac propoſitione ſecunda ſæpè citata, §. 5. num. 40. & ibi aſſerit, quod in divinis litteris, & communiter à Sanctis Patribus Chriſtus Dominus dicitur, & iure optimo appellatur Rex, Princeps, Pater, Magiſter, Dux, Caput, Primitiæ, exemplar, Gloria, Corona, & Honor totius iuſtitiæ,virtutis, & perfectionis, & quod nullus audebit Primatum temporis ſanctitatis, iuſtitiæ, & perfectionis ei tribuere, imò potius tenentur Primatum temporis Chriſto negare, & ei Primatiam tantum dignitatis concedere: ergo in eodem ſenſu ſunt intelligendi Dominam noſtram appellantes Reginam, Principem, Ducem, Magiſtram, Matrem, Caput, Primiceriam, Honorem,Coronam,& exemplar totius virginitatis.

239 His ab Apologiſta ſuppoſitis, ab eo inquiro, quis ante Chriſtum Dominum fuerit, & in tempore præceſsit Caput, Magiſter, Dux, & exemplar totius ſanctitatis, virtutis, & perfectionis, vt his titulis Primatus temporis Chriſto Domino dene-

ge-

getur? Certum enim eſt, quod in veteri teſtamento nullus hominum extitit, qui Caput, exemplar, cauſaque finalis fuerit totius virtutis, perfectionis, & ſanctitatis, quia licèt aliqui iuſti, & ſancti in illa lege ad exemplum virtutum aliquarum proponantur, Caput totius perfectionis, exemplar totius ſanctitatis, & finis totius virtutis nullus potuit, nec poteſt eſſe niſi Chriſtus Dominus, qui eſt finis, & exemplar vtriuſque teſtamenti: ergo nullus audebit negare Chriſto Domino Primatum Capitis, exemplaritatis, & cauſæ finalis, dignitatis, temporis, & æternitatis, totius virtutis, iuſtitiæ, perfectionis, & ſanctitatis: ſiquidem in veteri teſtamento nullus antea præextitit in hoc Primatu totius perfectionis, & ſanctitatis; at ſecundum doctrinam Authoris Sancti Patres comparant votum virginitatis Deiparæ Primatui totius ſanctitatis, & perfectionis Chriſti Domini, in quo nullus præceſsit in tempore: ergo neque in voto virginitatis Deiparæ ſecundum doctrinam Sanctorum Patrum.

240 Nec valet dicere, quod licèt nullus extiterit in veteri lege, qui Caput, & exemplar fuerit totius ſanctitatis, & perfectionis, præceſſerunt tamen multi in exercitio virtutum, quod non derogavit, nec minuit excellentiam exemplaritatis Chriſti Domini: ergo licèt aliqui præceſſerint in voto virginitatis non derogant, nec minuunt Primatum exemplaritatis Deiparæ, non, inquam, hoc valet; procederet vtique diſcurſus, ſi eſſet paritas in exemplaritate, cum vero Virgo Deipara non poſſet eſſe nec dici principium, exemplar, & finis totius ſanctitatis, & virtutum, vtriuſque legis, ſicut Chriſtus, qui eſt Alpha, & Omega vtriuſque teſtamenti, Primatu temporis Beatæ Virginis negato, nulla ei Primatia abſoluta relinquitur in voto virginitatis, non temporis, vt ab adverſarijs ſupponitur, non cauſalitatis cauſæ finalis, & exemplaris, quia hoc ſolum poteſt Chriſto Domino abſolutè concedi, quia etiam fuit finis, & exemplar virtutum ſanctitatis, & perfectionis ipſius Matris: ergo negatur ab adverſarijs Primatus abſolutus, qui poteſt virgini concedi, & Patres, qui primam abſolutè dicunt, de abſoluto Primatu intelligi debent temporis, qui Deiparæ Dominæ noſtræ poteſt competere.

241 Ex eodem principio ab Authore ſuppoſito diſcurſus ſupra poſitus confirmatur. Patres omnes fatentur Primatum exemplaritatis Chriſti Domini, capitis, & finis omnium virtutum; nullus tamen dixit, quod primus virtutes exercuit, in quibus ali-

aliqui præceſſerunt in veteri teſtamento: quis vnquam dixit, quod primus oravit, primus ieiunavit, primus ſe humillavit, & cætera huiuſmodi; ſed de Beata Virgine concorditer dicunt plurimi, quod prima virginitatem mentis, & corporis ſervavit, prima vovit, & prima votum emiſsit: ergo de Primatu temporis laudant Deiparam in exercitio, actu, & cauſalitate temporis, ſervandi, vovendi, & emittendi votum virginitatis: Hanc ſibi obiectionem propoſuit Apologiſta loco ſupra citato, §. 8. & apparentem appellat, & eam ex multis infirmare conatur.

242 Primò, quod Sancti Patres, & Doctores ſummis laudibus celebrant fidem, ſpem, charitatem, contemplationem, humilitatemque Deiparæ, & eo modo virtutes in particulari laudant, vt cuilibet ſingularitatem ſe ferre videatur, ita vt celebritas ſingularis vnius virtutis, communis eſt omnium, itaque cum primam dicunt in virginitate Primatum exemplaritatis Deiparæ in omnibus virtutibus celebrant. Hæc Apologiſta. Sed quis non miratur voluntarium hominis diſcurſum in ſua ſola imaginatione fundatum. Patres enim laudes Virginis Mariæ explicant, & non confundunt; nam particulares excellentias cuiuslibet virtutis Deiparæ ſcientes, ex earum prærogativis, & privilegijs eas prædicant, celebrant, & laudant. Nota fuit Sanctis Patribus, & Doctoribus antiquis excellentia Deiparæ Dominæ noſtræ in omnibus virtutibus; charitatem, fidem, ſpem, orationem, humilitatem, fortitudinem, & alias ſuper Angelicas virtutes extollunt, & nullus ex Patribus primam dicit, nec primam exercuiſſe affirmat virtutes in quibus alij præceſſerunt in tempore: ergo cum eam laudant primam in voto puritatis mentis, & corporis, ſingularitas huius laudis non eſt communis alijs virtutibus, ſed particularis virginitati, in eo quod verificari poteſt; ſed nullus Primatus poteſt eſſe particularis niſi temporis, quia Primatus dignitatis communis eſt omnibus virtutibus: ergo de Primatu temporis loquuntur Sancti Patres. Tùm etiam, quia vt ſupra vidimus, qui primam dicunt in voto ex ſingularitate huius Primatus mirantur; at ſi eſſet Primatia communis alijs virtutibus, non mirarentur Patres, quia communis, & quæ in multis reperiuntur, admirationem non cauſant: ergo Sancti Patres ſingularitatem Primatus celebrant in hoc voto, quæ non reperitur in alijs virtutibus, nullus alius poteſt excogitari Primatus, niſi temporis: ergo hunc laudant.

243 Secundò reſpondet ibidem, Patres, & Doctores Prima-

matum voti Deiparæ ſingulariter celebrare propter ingentem difficultatem, quæ reperitur in ſervanda virginitate, quam dicunt, legem naturalem tranſcendere, vitam Angelicam attingere, & in carne vivere ſine carne. Sed dictum Authoris verum ſenſum Sanctorum Patrum confirmat de Primatu temporis; nam populus ille Iudaicus carnalis erat, & terrenus, debilis, & infirmus, quod ſæpè repetit Div. Paulus, præſertim ad Corinthios cap. 3. & 15. ergo in illo populo non fuit ſtatus virginitatis leges naturales tranſcendens, & Angelicam vitam attingens in carne ſine carne: Ex quo Div. Athanaſius ſæpè laudatus dixit, quod Christus Dominus poſt mortem ſuam, & liberato è ſervitute, & corruptione humano genere, largitus eſt nobis exemplar Angelicæ virginitatis, & cæteri Sancti Patres ex imperfectione illius legis, ex infirmitate, & debilitate populi Iudaici ſtatum virginitatis negant in illo tempore, & in diebus ſalutis, & tempore gratiæ noſtræque reparationis incepiſſe docent: Sic Div. Ambroſius laudatus, diſcurſ. 3. §. 2. S. P. N. Hieronymus, §. 3. & alij quamplurimi, §. 6. ergo ex ingenti difficultate ſervandi virginitatem ſentiunt Patres, ſtatum eius cum voto reſervatum fuiſſe tempori ſalutis, & gratiæ, & Deo incepiſſe dicari in Deipara Domina noſtra in tempore acceptabili: ergo ex eodem principio, quo Patres primam dicunt Deiparam in tempore, contra Sanctorum Patrum mentem, & verum ſenſum negat Author eius Primatum.

244 Tertiò, rationem aſsignat, qua Sancti Patres potius laudant in Deipara Primatum virginitatis, quam aliarum virtutum, & ait, quod virginitas reperitur ſimul cum maternitate, & fœcunditate, quæ mirabiliorem puritatem eius faciunt, & ideò Patres ex Primatu virginitatis cum maternitate primam dicunt. Sed hæc explicatio menti SS. PP. non convenit, neque Eccleſiæ laudibus, vt virgini, & vt Matri Deiparæ datis, nam in litania in qua Domina noſtra ex præcipuis attributis laudatur ab Eccleſia, *Virgo ſingularis* dicitur, & *Mater admirabilis*, ſingularis ex Primatia voti, in quo ſingularis fuit Primatu temporis, & imitari poteſt, admirabilis in maternitate, in qua vnica eſt, & inimitabilis, & in hoc ſenſu cum diſtinctione laudant eam Patres ex virginitate, & maternitate, præſertim Div. Cyprianus ab Authore laudatus vbi ſupra, num. 62. ibi: *Erat ei privilegium ſpeciale, quod nulla mulierum, nec ante, nec deinceps meruit obtinere, quod erat ſimul*

mul Mater, & Virgo ſingulis titulis inſignita. Div. Ildephonſus: *Illud eſt ineſtimabile, illud incomprehenſibile, illud admirabile, illud inenarrabile, illud inauditum, illud inuſitatum, vt virginitas conceptu clareſcat, matrem quoque, vt virginitas glorificet.* Et Div. Bernardus: *Vnum eſt in quo nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, gaudia Matris habens cum virginitatis honore, Mariæ privilegium eſt, non dabitur alteri.* Et paulo ante dixerat; *Ecce enim ſi in ea laudavero virginitatem, mihi multæ virgines poſt eam videntur offerri*: ergo Sancti Patres Deiparæ laudes diſtinguunt ex virginitate tantum, & ex virginitate cum Maternitate ſimul, privilegium Maternitatis cum virginitate eſt, quod nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem; virginitatis vero, quod prima ſimilis non fuerit viſa, & poſt eam multæ ſequantur iuxta illud Pſalm. 44. *Afferentur Regi virgines poſt eam*: ideòque Mater admirabilis dicitur ex Maternitate cum virginitate, in qua non eſt imitabilis, & virgo ſingularis ex Primatu temporis, cuius votum nobis proponitur imitandum.

245 Id ipſum confirmatur, nam Sancti Patres, vt ex teſtimonijs eorum conſtat, Primatum Deiparæ laudant in eo, quod proponunt imitandum, ſed virginitas, & Maternitas ſimul imitari non poteſt: ergo non eam laudant ex Primatu virginitatis, & Maternitatis, ſed ex ſingularitate Primatus temporis in voto virginitatis, quod proponitur imitandum. Apologiſta huic argumento reſpondens ait vbi ſupra num. 65. quod licèt verum ſit, quod vnio virginitatis, & Maternitatis non ſit imitabilis, Maternitas tamen Dei tantum elevat virginitatem intra ſuam lineam, & ſpheram; tantam, & talem excellentiam, & eminentiam ei communicans, & tribuens, vt titulo Maternitatis mereatur virginitas modo poſsibili ab omnibus imitari, vndè Maternitas cum virginitate licèt inimitabilis ſit, motivum tamen eſt in Deipara, vt eius imitetur virginitas, ſed contra eſt; nam Maternitas Dei eamdem excellentiam, & eminentiam tribuit alijs virtutibus Beatæ Mariæ, vt ex ſe patet, & nullus Sanctus Pater dixit, quod prima amavit, oravit, ieiunavit, credidit, & ſperavit, licèt Maternitas Dei intra eamdem earum ſpheram, virtutes omnes, vſque ad ſummum elevavit: ergo cum primam dicunt voviſſe, & obtuliſſe Deo virginitatem ſuam, non debent intelligi, nec poſſunt de Primatu, & excellentia virginitatis ex maternitate; ſed de Primatu temporis, in quo eam prædicant

ſingularem, alias nihil laudarent ſpeciale in voto virginitatis, quod in alijs virtutibus non haberet Deipara virgo, & Mater.

§. VII.

Verus ſenſus teſtimoniorum ſextæ claſsis defenditur, & Authoris explicatio impugnatur.

246 NOn minus repugnat explicatio Authoris teſtimonijs huius claſsis, & ſunt illa quæ vniverſaliter non negant in veteri lege votum virginitatis, ſed talibus explicant verbis Primatum Deiparæ, quod temporis Primatum videantur ſignificare, quibus reſpondet ſolum concludere, quod Deipara fuit prima in tempore legis gratiæ: ſed hac interpretatione admiſſa primam debemus eam appellare in omnibus virtutibus, quia nullus ante eam credidit, amavit, oravit, ſe humiliavit, &c. in lege gratiæ, quia Deipara fuit aurora legis gratiæ, & ante ſplendorem eius nullus in hac die ambulavit, & hac ratione dixit Div. Thomas, quod in ea aliquomodo inchoavit perfectio legis gratiæ, quam poſtea perfecit Chriſtus Dominus: erant omnes in veteri teſtamento in tenebris, nunc autem lux in Domino, vt ait Apoſtolus in hac luce dici legis gratiæ, prima omnium B. Virgo virtutes vidit, & prima ambulavit, vndè in hoc ſenſu intellecti, & explicati Patres, nullam ſpecialem prærogativam, & excellentiam laudarent in voto virginitatis, nam in alijs virtutibus etiam fuit prima, quæ in lege gratiæ adimplevit eas: ergo Sancti Patres Primatiam Deiparæ laudant in voto reſpectu temporis vtriuſque legis, quarum confinium fuit, vt docent PP. & Doctores Eccleſiæ.

§. VIII.

Refertur reſponſio ad teſtimonia ſeptimæ, & vltimæ claſsis.

247 HÆc teſtimonia ſunt, quæ vniverſalem negativam concludunt, ſcilicèt, quod ante Deiparam Dominam noſtram

ſtram nullus fuit in tempore, qui virginitatem Deo voto conſecraret; ſed nullum ſe vidiſſe reſpondet huius generis teſtimonium, ſaltem contra votum virorum veteris teſtamenti, quod ſuum principale intentum eſt, vt Monachatum verum Elianum in Synagoga extitiſſe probet, & defendat; ſed quia in hac prima parte, præſertim Diſc. 3. per totum aliquos ex innumeris Doctoribus laudavimus, quorum dedimus verba, iudicio ſapientium relinquimus, an negativam vniverſalem voti virginitatis in veteri teſtamento concludant, ſaltem in aliquo vero ſtatu, & publico illius populi, quod ad noſtrum ſufficit intentum, vt verus ſtatus Religioſus in veteri lege abſolutè negetur, vt antiquæ Sanctorum Patrum doctrinæ contrarius, & oppoſitus, quod in 2. part. etiam demonſtrabitur, & videbitur.

248 Doctores modernos ſuæ novitati plurimos contrarium docere fatetur, ſed ijs ſatisfacere non curat, quia multi etiam pro ſuo placitu militant, vt aſſerit, & in controverſijs ſolum ad maiorem Authoritatem allegantur, & proponuntur; iterumque repetit, ſe ex antiquis nullum vidiſſe, qui directè contra votum virorum veteris legis expreſsè loquatur. Vazquez autem in Sanctis Patribus Eruditus, qui virginitatem in veteri teſtamento laudabilem fuiſſe docet, Diſc. 3. §. 3. num. laudatus, votum eius negat, & nullum ſe vidiſſe Patrem teſtatur, qui virginitatis votum in veteri teſtamento extitiſſe dicat, & doceat: Apologiſtæ vero Carmelitano pro antiquitate ſui ordinis pugnanti, fides non eſt adhibenda tamquam intereſſe habenti in voto Eliano, niſi perlectis, & perſpectis teſtimonijs pro vtraque parte productis, & prolatis. Certum eſt, quod in ſæculo Alberti Magni, D. Thomæ, Durandi, & Scoti, & aliorum Theologicarum Scholarum Principum, communis fuit aſſertio pro Primatu temporis voti Deiparæ, & quod nullus Doctor meminit huius Primatus dignitatis, & exemplaritatis noviter adinventi, cum extenſione ad votum virginitatis veteris teſtamenti. Certum eſt etiam, quod poſt prædictos Magiſtros, & alios Theologos eiuſdem ſæculi, ab omnibus Scriptoribus defenditur Primatum temporis Deiparæ ex communi antiquorum Patrum conſenſu: ergo omnes Doctores, & Theologi à ſæculo D. Thomæ vſque ad noſtrum, intellexerunt, & intelligunt Sanctos Patres de Primatu voti virginitatis Deiparæ in tempore: ergo hæc nova Authoris explicatio communi conſenſui Theologorum opponitur, & eorum intelligentiæ eſt oppoſita.

249 Neque Carmelitani Authores moderni cum antiquis concordant, quia antiqni docuerunt ex Ioanne Ieroſolymitano, virginem Deiparam ad imitationem Eliæ votum ſuum emiſiſſe: moderniores aliter philoſophantur ex ſua novitate, dicẽtes, Eliam, & omnes Monachos, & Moniales veteris teſtamenti votum emiſiſſe ad imitationem voti Deiparæ omnibus revelati, & adhuc eſt diſſenſus inter Scribentes Carmelitanos, nam Pater Ludovicus à Sanct. Iacobo Galus vir Doctus, & Eruditus in vita Beat. Aloyſi de Rabàta ad quærellas Carmelitarum, numer. 14. & 15. ait ibi: *Vt intelligas quam longe alterius mentis ſim, cn Bibliotheca Carmelitana, opus iam ferè paratum prælo, quod ab Alberto Legislatore noſtro exordior; quæcumque illo, & Bertholdo primo Priore antiquiora eſſe prætenduntur, non ſunt niſi ſomnia noſtrorum.* Hæc Carmelitanus ille, & plures alij eiuſdem Familiæ idem dicerent, niſi ſua prima conſtitutione ad reſpondendum, & ſcribendum pro antiquitate ſui ordinis compellerentur; ex quibus colligitur Primatum temporis Deiparæ Dñæ noſtræ in voto virginitatis à primis Eccleſiæ ſæculis receptum fuiſſe inter Doctores, vſque ad ſæcula D. Anſelmi, Bernardi, Bonaventuræ, D. Thomæ, & aliorum illius temporis, & poſt eos eamdem ſententiam docuiſſe, & prædicaſſe omnes, qui doctrina, & ſanctitate floruerunt. D. Antoninus, & D. Thomas à Villanova, & alij doctrina, & ſanctitate inſignes, quibus non fuit audita, nec cognita hæc nova revelatio exemplaritatis voti Deiparæ, Carmelitis Monachis, & Monialibus facta in veteri lege, quæ nunc non admittitur, niſi ab aliquibus Carmelitanis, nec admitti debet, vt oppoſita Eccleſiaſticæ vetuſtati, & antiquitati, quæ ex D. Atanaſio ſupra citato Diſc. 1. §. 4. docet exemplar virginitatis datum nobis à Chriſto fuiſſe poſt mortem eius, & liberato à corruptione genere humano, & quod propoſitum virginitatis numquam alibi, niſi dumtaxat apud nos Chriſtianos fuit obſervatum: ergo novum dogma eſt Apologiſtæ aſſertum, & explicatio tradita ad teſtimonia Sanctorum Patrum, vero eorum ſenſui contraria, & communi intelligentiæ Thologorum oppoſita, vt ex dictis conſtat, & ex dicendis in ſecunda parte clarius apparebit.

)(§)(

SECUNDA PARS.

ADVERSARIORUM ARGUMENTA SOLVUNTUR.

DISCURSUS PRIMUS.

Proponuntur motiva quibus probare intendunt votum Virginitatis in veteri lege.

§. I.

Nazaræorum votum virginitatis perpetuum fuiſſe ex ſua inſtitutione falſo adducitur ab adverſarijs.

1 VOTVM Virginitatis perpetuæ ex Nazaræis perſuadere conatur in 1. propoſit. Apolog. §. 1. quod deducere intendit ex cap. 6. Numer. verſ. 2. ibi: *Vir ſeu mulier cum fuerit votum, vt ſanctificentur, & ſe voluerint Deo conſecrare, &c.* ex quo textu, votum caſtitatis in omnibus Nazaræis non probari, nec ſtatui illi neceſſario connexum fuiſſe ingenue Apologiſta fatetur, ſed quod in plurimis repericbatur propter perfectionem illius ſtatus: Cum vero in prædicto textu votum abſolutè ponatur, ſine caſtitate; ad verſionem ſeptuaginta interpretum recurrit iuxta Xyſtinam correctionem in qua ſic legitur: *Vir, aut mulier quicumque*

magae voverit votum purificandi puritatem Domino, & pro voto caſtitatis laudat D. Ioannem Damaſcenum libro 4. de fide, cap. 25. dicentem; *An non denique lex, ingens votum caſtitatem nuncupavit?* Div. Ioannem Chryſoſtomum Homil. 4. in Vigil. Epiphaniæ, ibi: *Nazaræi ſecundum legem nuncupabantur.* Hæc ex Sacra Scriptura, & Patribus contra noſtram concluſionem obijcit Apologiſta.

2 Sed quam levi fundamento in re graviſsima procedat Author ex ipſa litteræ ſacri textus inſpectione conſtat, nam capite numerorum citato ſolum diſponitur, à quibus abſtineri debeant Nazaræi voto ſanctificati, & continentiam caſtitatis ſacer textus nec innuit, Xyſtina verſio vulgatæ ſenſum non mutat, ſed puritatem vitæ iuxta ritus illius legis explicat, quæ etiam in coniugatis Nazaræis reperiri potuit, vt in Sanſone, & Samuele, qui puritatem Nazaræatus obſervarunt; ſed quidquid ſit de puritate in purificatis, & ſanctificatis requiſita, certum eſt votum illud Nazaræorum ex legis inſtitutione perpetuum non fuiſſe, ſed temporale iuſta eiuſdem legis præſcriptum, verſ. 13. ibidem: *Iſta eſt lex purificationis, cum dies quos ex voto decreverat complebuntur, &c.* Et verſ. 21. ibi: *Ita eſt lex Nazaræi cum voverit oblationem ſuam Domino tempore conſecrationis ſuæ.* Ex quibus manifeſtè conſtat, quod votum Nazaræorum ex inſtitutione Nazaræatus perpetuum non fuit, ſed ad certum tempus tantum, vt ex toto illo cap. 6. numer. legenti conſtabit.

3 Nec ex Damaſceno voti perpetuitas probatur, ſed tantum votum caſtitatis iuxta illam legem, vt patet in verbis relatis: *An non denique lex ingens votum caſtitatem nuncupavit?* At lex Nazaræorum, ad quam refertur ſenſus verborum, votum temporale inſtituit, non perpetuum: ergo D. Ioannes Damaſcenus temporale votum caſtitatis intellexit iuxta inſtitutionem legis. Verus ſenſus Damaſceni confirmatur, quia ſatis innuit virginitatem in illa lege ad certum tantum tempus ſervari poſſe, nam oratione prima de *dormitione virginis* expreſsè docet ſacras illas virgines, quæ in templo Domino præſentabantur, & Deo conſecrabantur, vſque ad ætatis florem, in qua iuxta legem ſponſis debebant tradi, in virginitate, & templo perſeverare; ſic enim de Domina noſtra, ait ibi: *Cum ad ætatis florem iam perveniret, atque intra ſepta templi manere lege prohiberetur, ſponſo, hoc eſt, virginitatis cuſtodi Ioſepho traditur.* Sentit igitur Damaſcenus, quod virgi-

gines in templo præſentatæ, vſque ad ætatis florem tantum virginitatem Deo conſecrabant: ergo nullum votum caſtitatis perpetuum agnovit in veteri teſtamento, ſed temporale tantum, de quo intelligi debet dum votum Nazaræorum, caſtitatem legem dici nuncupaſſe aſſerit.

4 S. Ioannes Chryſoſtomus ex multis virginitatis perpetuæ cultum in veteri teſtamento negat, vt oſtendimus 1. part. diſcurſ. 3. §. 2. & 5. itaque de eius vero ſenſu dubitari non poteſt; ſed quiſquis Author fuerit præcitatæ Homiliæ, votum perpetuum ex eius verbis non probatur, & quod de temporali voto loquatur ſatis colligitur ex eadem Homilia in qua paulo poſt verba citata, Sanſonem Nazaræum proponit, ibi: *Dictus quoque Nazaræus eſt Sanſon vir potens in ſpiritu, & roboris in virtute, ſed in typo.* Sed Sanſon vxorem duxit, & Matrimonium contraxit, vt ex Sacra Scriptura conſtat: ergo votum illud Nazaræorum, de quo in Homilia, temporale fuit vſque ad nuptias, & in typo, vt figura eſſet voti virginitatis perpetuæ legis gratiæ.

5 In eodem ſenſu intelligi debent moderniores Doctores ab Apologiſta laudati, nam Eugubinus votum explicat caſtitatis Nazaroærum, non vero perpetuitatem. Hugo Cardinalis, qui primam in voto virginitatis Deiparam Dominam noſtram dixit, & novam profeſsionem emiſsionem illius, certum eſt, quod Nazaræorum votum, & caſtitatem perpetuam in Nazaræatu non agnovit. Eadem ratione Cornelius A lapide, qui pluribus in locis conſtanter dixit Deiparam Dominam noſtram primam Deo virginitatem perpetuo conſecraſſe: ergo neque ex Sacra Scriptura, neque ex Patribus, & Doctoribus ibi citatis probat Apologiſta votum Nazaræorum perpetuum fuiſſe, quod neceſſario requiritur ad verum ſtatum Religioſum, & Monachatum, & licèt hoc votum probaret perpetuum, ſtatum tamen Religioſum non concluderet in Nazaræis ex defectu votorum obedientiæ, & paupertatis. Tandem Nazaræi, vel Nazareni inter hæreticos numerantur in lege gratiæ, quorum errores referunt SS. PP. Auguſtinus tom. 6. ad quod vult Deum, num. 9. In veteri lege vota eorum ex ſua inſtitutione non erant perpetua in lege gratiæ à fide receſſerunt: ergo neque in veteri, neque in novo teſtamento poteſt in eis fundari votum caſtitatis perpetuæ in vero ſtatu Religioſo.

***

§. II.

§. II.

Argumentum ex Eunuchis ſpiritualibus veteris teſtamenti nihil probat.

6 CAſtitatem, ſpiritualium Eunuchorum in veteri lege probare intendit eadem propoſitione, §. 2. ex Iſaia cap. 56. verſ. 4. ibi: *Non dicat Eunuchus, ecce ego lignum aridum*: & ex libro Sapientialium, cap. 3. verſ. 14. ibi: *Felix Spado, &c.* ex quibus ſuum format argumentum: In veteri lege extiterunt Eunuchi, qui vt ſpirituales laudantur, igitur virgines extiterunt in veteri teſtamento Deo voto conſecrati. Huic argumento ſatisfecimus 1. p. diſc. 3. §. 1. ex doctrina S. P. N. Hieronymi verum ſenſum Iſaiæ explicantis, de Eunuchiſmo ſpirituali legis gratiæ, quorum præmia, honores, & dignitatem Iſaias prophetavit, & nunc explicationem, & interpretationem Sancti Patris noſtri Hieronymi confirmamus, & contra argumentum Authoris inſurgimus. Iſaias, & Salomon loquuntur de Eunuchis, quibus promiſſum eſt nomen ſempiternum in domo Dei, in quo Regnum Cœlorum, & præmia æterna intelligunt Patres, præſertim D. Baſilius, & D. Auguſt. in ſuis libris de *vera virginitate*, ſed nulli ſtatui illius populi ex ſua inſtitutione promiſſum, & revelatum fuit præmium æternum: ergo præcitati textus non poſſunt intelligi de Eunuchiſmo ſpirituali veteris teſtamenti. Tùm etiam in præcitatis textibus promittitur Eunuchis nomen melius à filijs, & filiabus, hoc eſt, quod virginitas præferretur Matrimonio, ſed in illa lege Matrimonium præferebatur virginitati, vt ſæpè diximus, & probavimus ex D. Auguſtino, & D. Thoma 1. part. diſc. 2. §. 4. per totum: ergo ex præcitatis textibus non poteſt probari votum virginitatis in veteri teſtamento, ſed prænuntiatum fuiſſe votum Eunuchiſmi ſpiritualis à Chriſto Domino inſtituendi in lege gratiæ: quod confirmatur ex D. Thoma in Matth. ad illa verba, cap. 19. *Qui poteſt capere, capiat*, quibus Eunuchiſmum ſpiritualem explicuit Chriſtus Dominus, ad quæ Angelicus Doctor, ibi: *Vel qui poteſt ſecundum opportunitatem temporis, & conditionem temporis, vt Abraham, vndè Cælibatus Ioannis non præfertur coniugio Abrahæ*: ſed præcitati textus loquuntur de Eunuchis ſecundum tempus in quo virginitas præfertur

tur Matrimonio, vt docet D. Auguſtinus libro de *vera virginitate*, cap. 24. ad illa verba Iſaiæ: *Dabo eis locum meliorem*, ibi: *Oſtendit, & coniugatis dari, ſed multo inferiorem*: ergo præcitati textus Eunuchos ſpirituales temporis gratiæ laudant, non verò veteris teſtamenti in quo virginitas non erat laudabilis, vel Matrimonio poſt ponebatur.

7 Secundum hanc intelligentiam explicuit Div. Auguſtinus verba Iſaiæ loco ſupra citato, nam de eiſdem Eunuchis loqui Prophetam docet, de quibus Chriſtus Dominus Matth. cap. 19. Qui ſe caſtraverunt propter Regnum Coelorum, ibi: *de quibus autem Spadonibus loquitur Deus per Iſaiam Prophetam, quibus ſe dicit daturum in domo ſua, & in muro ſuo locum nominatum meliorem multò quam filiorum, atque filiarum, niſi de his qui ſe ipſos caſtrant propter Regnum Cælorum.* Hæc Auguſtinus ad illa verba Matth. *Sunt Eunuchi, &c.* Sed Chriſtus Dominus in ſuo Sacroſancto Evangelio loquitur de Eunuchis ſpiritualis legis gratiæ: ergo & Propheta de illis prophetavit. Nec aliter poſſunt intelligi præcitati textus ſecundum doctrinam Auguſtini, & aliorum Sanctorum Patrum dicentium, quod Regnum Coelorum non fuit promiſſum, & revelatum in veteri teſtamento, nam ſecundum eoſdem Patres, Eunuchis, de quibus Propheta, promittitur Regnum Cœlorum, ergo loquitur, & laudat Eunuchos temporis gratiæ, in quo Regnum Coelorum revelatum, apertum, & promiſſum fuit, vt præmium.

8 Confirmatur prædicta Sanctorum Patrum intelligentia ex verbis Chriſti Domini Eunuchiſmum ſpiritualem inſtituentis, nam cap. 19. Matth. citato: Vnicam repudij cauſam Domino explicanti reſponderunt diſcipuli, verſ. 10. ibi: *Si ita eſt cauſa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Quibus Dominus, ibi: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt, &c. qui poteſt capere, capiat.* Atſi Eunuchi ſpirituales antea extiterint in veteri lege, & laudati fuiſſent in aliquo ſtatu publico in voto virginitatis Deo emiſſo, & Iudæis noto, omnes caperent verbum Chriſti: ergo ſecundum verba Chriſti Domini in veteri teſtamento non extiterunt Eunuchi ſpirituales in aliquo ſtatu, & ſolum laudantur, & commendantur in præcitatis textibus Eunuchi ſpiritualis evangelici à Chriſto Domino iſtituendi: concluditur ergo quod ex præcitatis textibus non probantur virgines perpetuo voto in veteri teſtamento, & ſi aliqui virgines extitere ex aliquo interno impulſu, vel motu, Eunuchi, ſeu Cælibes fuerunt ſine voto; vt advertit P. Suarez

tom.

tom. 1. de Religione, lib. 3. cap. 1. num. 6. & dato, & non conceſſo, quod virginitatem ſuam Deo offerrent in illa lege aliqua interna inſpiratione moti, hoc non ſufficeret ad verum ſtatum Religioſum conſtituendum, & inſtituendum, vt patet ex dictis: D. Bernardus, & D. Thomas à Villanova ſupra laudati, 1. part. diſc. 3. § 6. expreſsè dicunt, quod Deipara in nulla pagina veteris teſtamenti votum virginitatis legerat, nec in lege invenerat: ergo in verbis citatis ex Iſaia, & Sapientialibus, Eunuchiſmus ſpiritualis non intelligebatur pro illa lege, quia alias Deipara Domina noſtra prophetiam, quam legerat intellexiſſet, & in eo votum virginitatis inveniſſet, & legiſſet, & in Sacris Scripturis edocta virginitatem ſuam Deo dicaret, quod prædicti Patres, & alij Doctores negant, falſum igitur eſt adverſariorum aſſertum ex Iſaia, & Sapientialibus.

§. III.

Argumentum ex Eſſenis inſufficiens eſſe demonſtratur.

9 PRo Eſſenorum virginitate, & votis in Monachatu Eliano toto corde, & animo pugnant adverſarij, præcipuè Hiſtoricus Propheticus in ſua Hiſtoria Prophetica, lib. 3. à capite 7. & deinceps, & in ſua Apologia hac propoſitione, §. 3. ſummis laudibus virginitatem eorum extollit, ita vt ex Solino aſſerit, quod nullus in Eſſenatu admittebatur, niſi quem caſtitatis fides, & innocentiæ meritum proſequebatur, & ſubiungit; ſed fides caſtitatis idem eſt, quod votum ſecundum D. Paulum 1. ad Thimotheum 5. ibi: *Quoniam primam fidem irritam fecerunt*; ex quo textu, antiquitatem voti caſtitatis probant concilia, & Patres contra hæreticos: ergo Eſſeni votum emittebant caſtitatis: Vim huius argumenti quilibet mediocriter in Theologicis inſtructus ſatis percalet, & ridet; quia ſi ex Gentilium dictis, & Sacræ Scripturæ verbis licèt argumenta componere, monſtrua, inferrentur in concluſione. D. enim Paulus alio ſpiritu locutus eſt de virginitate, ac Solinus Gentilis, cuius decorem, vt ait D. Ioannes Chryſoſtomus: *Gentes ignoraverunt*; ſed qua fide caſtitatem ſervabant Eſſeni refert antiquior Ioſephus lib. 2. cap. 7. ibi: *Nuptias faſtidium, non quia coniugia, vel humani generis ſucceſsionem cenſeant eſſe perimendam, ſed quia cavendum putent intemperantiam fœminarum, nullam earum vni*

viro

viro fidem ſervare credentes. Hac fide caſtitatem ſervabant Eſſeni ex infidelitate fęminarum, non propter virtutem ipſius caſtitatis, quod ad eſſentiam voti neceſſarium eſt, neque in hac fide perpetuo perſeverabant, nam triennio toto fęminarum fide experta, ſolemni modo eas Matrimonio ſuſcipiebant, vt refert Serarius ex Ioſepho in lib. 1. Machabæorum in Bachidem cap. 7. & 14. cui videtur favere D. P. N. Hieronymus in 1. Paralypom. cap. 28. num. 1. in quæſtionibus Hebraicis, ibi: *Quæri poteſt cur hic Eunuchi ad tam grande concilium vocati eſſe dicantur? tradunt Hebræi in hoc loco illos vocari Eunuchos, qui ab omnibus actibus ſæculi alieni, orationi tantum, & lectioni vacabant, & vxores non cauſa libidinis, ſed ſuſcipiendæ prolis gratia habebant, quos Ioſephus ſecundum eorum hæreſim Eſſenos vocat.* Hanc D. Hieronymi P. N. authoritatem refert Author in ſua Hiſtoria prophetica, lib. 3. cap. 8. num. 6. & verba: *Illa ſecundum eorum hæreſim,* ſub ſilentio prætermiſsit, vt antiquitatem probaret, & eorum hæreſim occultaret, quod notari oportet, vt Author cautè legatur in authoritatibus Sanctorum Patrum, quas ſæpè extorquet, in aliumque ſenſum vertit, & fideliter non refert, nec integras, vt verus ſenſus non percipiatur, vel proprium mutent in alium.

10 Conſtat igitur Eſſenos, Matrimonia contraxiſſe, fœminis in fide expertis, & ſi qui nuptias faſtidiebant, non eas tædio habebant propter virtutem caſtitatis, ſed propter intemperantiam fœminarum, quia nullam earum, fidem vno viro ſervare credebant, vndè continentia Eſſenorum votum Deo firmare non potuit, ex hoc errore procedēs, vt ex ſe conſtat, quia materia voti virtus eſt, & non error. Cæterum hæreticos in vtroque teſtamento fuiſſe Eſſenos refert D. Epiphanius hæreſi 19. ibi: *Manſerunt vſque ad adventum Chriſti, & poſt Chriſti in carne adventum, vſque ad eam devaſtationem, quæ facta eſt Tito Rege fratre Domitiani filio vero Veſpaſiani Regis: poſt expugnationem vero Hieroſolymorum pertranſijt, tùm hæc, vt alia medico tempore, quæ videlicèt hæreſes appellantur, Saduzæorum, inquam, Scribarum, Phariſæorum, Hemerobatiſtarum, Nazaræorum, Eſſenorum, Herodianorum, donec ſingula pro occaſione, & tempore ſolutæ ſunt.* In quibus verbis inter hæreticos veteris, & novi teſtamenti enumerat Epiphanius Eſſenos, de quorum erroribus hæreſi 10. egit. Philiſtratus, qui anno Domini 380. claruit, tom. 4. Bibliot. VV. PP. de Eſſenis ſcripſit, ibi: *Eſſeni autem ſunt, qui Monachorum vitam exercent, eſcas delicioſſas non ſummentes, nec ſtudium in veſtimen-*

men-

mentis gerentes, nec poſsidentes aliquid, lectioni autem, & bonis operibus inſiſtentes, in locis autem ſeparatis habitantes, Chriſtum autem Dei filium non ſpectantes, neque in lege, neque in Prophetis cum Deum agnoſcentes annuntiatum, ſed vt Prophetam, & Dominum ſolum credentes ſpectant. Guido Carmelitarum Generalis, & Maioricenſis Epiſcopus in ſumma de hæreſibus, Eſſenos inter hæreticos novi teſtamenti refert errore 12. ibi: *Duodecimus error quorundam Iudæorum, qui dicuntur Eſſeni; dicunt enim, quod Ioannes Baptiſta fuit Chriſtus, qui eos docuit omnem abſtinentiam, cui erat cibus locuſta, & mel ſylveſtre, & erat veſtitus de pillis Camelorum, & Zona pellicea circa lumbos eius, & prædicauit dicens: facitè fructum dignum pœnitentiæ, propter tàm admirabilem pænitentiam dixerunt iſti perfidi Eſſeni, quod Ioannes Baptiſta fuit Chriſtus.* Floruit Guido Generalis Carmelitarum anno 1330. & Eſſenos, vt perfidos hæreticos damnat, & ſequenti ſæculo eiuſdem ordinis fratres, vt Sanctos, & Apoſtolorum Coadiutores ſummis laudibus celebrant, & exaltant.

11 Emminentiſsimus D. Cardinalis Capiſuccus controverſia 14. de Matrimonio Beatiſsimæ Virginis cum Sancto Ioſepho cum ſibi obiecitſet Eſſenorum virginitatem contra ſuam conclusionem, in qua cum D. Thoma defendit, quod Matrimonium in veteri lege præferebatur virginitati, §. 8. poſt alia ad infirmandum hoc argumentum, §. quoad Eſſenos, reſpondet ibi: *Illud vero vti omninò certum concludit Baronius Eſſenos Iudæos ſi extiterint, non niſi tempore Herodis maioris extitiſſe. Falſum proindè à Plinio antiquos dictos, eorum antiquitatem cum Iudæorum antiquitate confundente; habebantur in honore propter ſimulatam ſanctitatem, & aliqua bona externa, in quibus exercebantur, nec cogimur dicere eos habitos fuiſſe in honore propter caſtitatis cultum, qualiſcumque ille fuerit, ſicut etiam de Phariſæis mox dicemus.* Hæc Emminentiſsimus Dominus ex Cardinali Baronio de Eſſenis quoad cultum, & laudem caſtitatis, & benè quidem; nam Plinius qui Gentilis fuit, & iuxta Gentilium leges vixit cultum caſtitatis perpetuæ laudare non potuit, nam ſecundum Gentilitatis leges, qui Cęlibem vitam ducebant apud antiquos puniebantur, vt refert Valerius Maximus; & Plato gentiliter ſacrificavit, vt perpetua eius continentia, tamquam peccatum aboleretur, perverſæ opinioni Civium cedens, vt dixit D. Auguſtinus libro de *vera Religione*, cap. 3. & ex eo D. Thomas 2. 2. quæſt. 152. art. 2. ad 3. ergo ex dictis, exiſtentia Eſſenorum Iudæorum dubia eſt quoad antiquitatem, eorum fides erroribus macula-

culata, caſtitas, ſi aliqui eam ſervarunt propter incontinentiam fœminarum, & laus apud Gentiles propter perpetuam caſtitatem improbabilis.

12 De Eſſenis Alexandrinis egit Emminentiſsimus Dominus Capiſuccus, controv. 16. §. 5. & cum Euſebio, & S.P.N. Hieronymo, & tota antiquitate SS. PP. & Doctorum concludit: primos Chriſtianos fuiſſe illos de quibus Philo, converſos ad veram fidem à D. Marco, vt receptum eſt ab Eccleſia in officio eiuſdem Sancti Evangeliſtæ: at ſi aliqui ex Alexandrinis Eſſenis diverſi fuerunt à primis illis Chriſtianis, de illis aſſerit Dominus Cardinalis, ibi: *Verum admiſſo aliquos Eſſenos à Chriſtianis diverſos fuiſſe, aut tamen multum antiqui fuerunt, ſed tempore Herodis maioris, vt ſupra etiam diximus, & hi Chriſmate ab alijs Iudæis diviſi, vt ait Baronius in apparatu, vndè & ſi aliqui am ſpeciem probitatis haberent, alios tamen errores contra legem habebant; & Epiphanius, eoſdem inter Samaritas enumerat, ac proindè non eſt de illis habenda ratio, & qualeſcumque fuerint caſtitatem non vovebant, nec huiuſmodi voti aliquis Scriptor meminit*: ergo ex Eſſenis, votum caſtitatis ante Chriſti Domini adventum in ſtatu Religioſo probari non poteſt, nam vel Eſſeni Alexandrini, de quibus Philo, primi Chriſtiani erant à D. Marco converſi, vt docent Patres antiqui, & Doctores moderni contra hæreticos Magdeburgenſes, vt advertimus ex Bellarmino, 1. part. diſc. 2. §. 1. illos vitam Apoſtolicam admiſiſſe, & ſicut primi Chriſtiani, ita primi Religioſi iure optimo nominari certum eſt, ſin autem ab illis Chriſtianis diverſi fuerunt, & Iudæi in tempore Herodis maioris inceperunt ſchiſmatici, & alios errores habebant contra illam legem, vt refert D. Epiphanius, & alij quos nos ſupra laudavimus: ergo ex nullis Eſſenis poteſt probari votum virginitatis in veteri lege, quoad ſtatum verum Religioſum inſtituendum.

13 Conſtat igitur Eſſenos, ſive Iudæos, ſive Alexandrinos, ſi hi à Chriſtianis diſtinguantur, nec virginitatem ſervaſſe, nec fidem; hæreticos quoque fuiſſe in vtroque teſtamento, itaque miror, Catholicum Authorem eos talibus efficere laudibus, vt ſuper eos, Chriſtum Deum intum Eccleſiam Catholicam fundaſſe, primos lapides ex eis elegiſſe; ad Eccleſiæ fundamentum poſitos, electosque, affirmat Hiſtoricus Propheticus lib. 3. cap. 6. num. 1. & 7. & lib. 3. c. 21. num. 8. videantur editiones 1630. & 1641. & eodem lib. cap. 10. num. 1. quod quælibet culpa in ſæculo com-

commiſſa ianuam claudebat, ne in Angelicam habitationem eorum ingrederetur quiſquam, & ibidem , . quod quamvis poſt evangelium æquales habuerint in paupertate, & obedientia, non vero in integritate caſtitatis, hoc eſt, in cura, & ſolicitudine quam adhibebant, vt eam conſervarent puriſsimam, & libro 3. cap. 27. num. 8. quod quamvis concedatur neceſſariam fuiſſe, aliquam communem revelationem, vt votum emitterent in illo tempore; qua ratione negabitur generaliter conceſſa ſanctitatis ſingularis viris? Hæc & alia aſſerit Author de Eſſenis, tàm in ſua Hiſtoria Prophetica, quàm in ſua Apologia, quod iudicio piorum, & doctorum virorum relinquitur iudicandum, ſed reflexione dignum eſt, quod aſſerit libro 3. cap. 10. num. 1. vt Sanctitatem Eſſenorum probet ex difficultate, primativa ſtatuta in ſuo rigore obſervandi, ſcilicèr, quod à raptu Eliæ, vſque ad Chriſtum Dominum per novem ſæcula ſua ſervaverunt Eſſeni ad apicem, & mirum eſt; quod poſt Chriſti Domini adventum, & ſacramenta per ſuum ſanguinem recepta, eadem Religio Eliana, vt contendunt adverſarij, in lege gratiæ à Chriſto confirmata, & approbata, privilegium à Deo conceſſum in veteri teſtamento amiſſerit, nam licèt ſanctiſsima Religio ſit quæ hodie nobilitatem, & antiquitatem ſuam ab Elia quærit, lapſu temporis, Eccleſiaſtica, & Canonica ſtatuta veneranda ſe ipſam reformavit, quia à primævis ſtatutis, & primitiva regula declinaverat, neq ie habent ſuperiores illam revelationem Eſſenis conceſſam per novem ſæcula, vt non admittantur impuri, & vt in ſæculo culpa commiſſa oſtium claudat ad Religionis ingreſſum, ex quibus infertur, quod ſtatus ille Religioſus excellentioribus privilegijs, & gratijs frueretur in veteri teſtamento, quam gaudet in novo poſt Chriſti mortem, & ſanguinem, & ab eodem Domino confirmatus, & approbatus in novo teſtamento.

14 Nec authoritates ab Authore productæ novitati ſuæ favent, nam vt optimè notavit Emminentiſsimus Dominus Capiſuccus, nullus Author ſcripſit Eſſenos votum caſtitatis emiſiſſe, licèt aliqui continentiam, & Cœlibatum eorum laudent, nec Author, ex antiquis aliquem refert pro voto, & moderni contrarij ſunt, nam Bellarminus, Suarez, Vazquez, Sotus, Ioannes à Cartagena ab Apologiſta laudati pro Primatu voti virginitatis, & caſtitatis Deiparæ Dominæ noſtræ militant, vt oſtendimus 1. part. diſc. 3. §. 6. Robertus Arboricenſis Eſſenorum continentiam com-

commendat, qualis eſt, quæ ordini Monaſtico congruit, ſed votum non explicat, vndè qualitas convenientiæ non eſt in voto, ſed in virtute. Epiſcopus Luzenſis ex filijs Prophetarum Eſſenis dictis, vitam Monaſticam Eliæ celebrat, ſed votorum non meminit, vndè ſi vitam Monaſticam tenuerunt in veteri teſtamento, vmbratica, & figuratiua fuiſſet, non vera, & euangelica legis gratiæ de qua procedit quæſtio.

§. IV.

Alijs teſtimonijs ab adverſarijs allatis fit ſatis.

15 Plurima congregant adverſarij teſtimonia ex Sanctis Patribus, & Doctoribus antiquis, vt votum virginitatis in veteri teſtamento probent Deo fuiſſe oblatum, ſed quia nullum expreſſum inveniunt, ad illationes recurrunt, & ex perpetua virginitate quam aliqui innuunt, vel ex propoſito illam ſervandi, votum concludere conantur, pro quo eſt advertendum; quod D. Thomas in 4. diſtinct. 33. docuit, quod virginitas ſervari poteſt cum voto, vel ſine voto, & diſtinct. 49. art. 3. quæſt. 1. expreſsè votum à propoſito diſtinguit, & virginitatem perpetuam propoſito, ſine voto ſervari docet, ibi: *Et ideò aliter poteſt dici, quod meritum omni actui virtutis debetur à charitate imperato, virginitas autem ſecundum hoc ad genus virtutis pertinet, ſecundum quod perpetua incorruptio mentis, & corporis ſub electione cadit, vt patet ex his quæ dicta ſunt 33. diſtinct. & ideò illis tantum virginibus aureola propriè debetur, quæ propoſitum habuerunt virginitatem perpetuo conſervandi, ſiue hoc propoſitum voto ſervaverunt, ſiue non.* Igitur ex mente D. Thomæ virginitas poteſt ſeruari perpetuò propoſito, ſine voto, ac perconſequens ex propoſito ſeruandi virginitatem perpetuam non infertur votum, & ſecundum hanc doctrinam intelligendi ſunt Patres, qui Eliam, & alios veteris teſtamenti virginitatem, vel propoſitum illius perpetuò conſervaſſe dicunt, vt docet idem Angelicus Magiſter ibidem ad 3. qualiter in veteri teſtamento virginitati ſpeciale præmium redderetur, ibi: *Sed mutata humanæ naturæ conditione, virginitas ſpecialem decorem habet, & ideò ſpeciale præmium ei redditur: etiam tempore legis Moyſi, quando cultus Dei etiam per carnalem actum propagandus erat, non erat omninò laudabile à commixtione carnis abſtinere, nec tali propoſito ſpeciale præmium*

redderetur, niſi ex diuino proceſſiſſet inſtinctu, vt creditur de Jeremia, & Elia, quorum coniugia non leguntur. Ergo ex mente Angelici Doctoris Jeremias,& Elias virginitatem perpetuam ſeruarunt ex propoſito,non ex voto, & hoc argumento negatiuo creditur, quia eorum coniugia non leguntur.

16 Ex dictis diſcuerſus aduerſariorum ex propoſito perpetuæ virginitatis ad votum ruit; & facilis eſt ſolutio ad SS. PP. & Doctorum teſtimonia, quæ propoſitum perpetuæ virginitatis in Elia, Jeremia, Daniele, & in alijs veteris teſtamenti concedunt, vt noſter D. Iſidorus Hiſpaniarum Doctor ab Apologiſta laudatus hic, nec D. Aldelmus aliter intelligendus eſt, eo quod Eliam virginem ſacrum appellauerit, & Danielem ſemper virginem cecinerit,nam ſacra poteſt dici virginitas ex propoſito interno, ſicut ipſum propoſitum ſanctum dicitur, quia omne ſanctum ſacrum eſt, & omnes virtutes Dei gratiæ ſacræ, & ſanctæ fiunt, & Deo conſecrantur, & licèt virginitas ſpeciali cultu, vt virtus ſpecialis eſt, Deo voto firmetur, vt docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 152. art. 3. hic cultus ſpecialis in Deipara Domina noſtra incepit, vt oſtendimus 1. part. diſc. 3. § 6. per totum, & ita SanctiPatres, & Doctores de virginibus noui teſtamenti, & virginitate legis gratiæ loquentes, ſacroque nomine vtentes, de virginitate, vt ſpecialis virtus eſt in lege gratiæ Deo voto conſecrata, ſunt intelligendi contra hæreticos: at vero cum virginitatem in veteri teſtamento laudant perpetuam, in illis paucis ex propoſito ſacram dicunt, ſecundum, quod particulari inſtinctu eam ſeruare in animo ſuo propoſuerunt, nam virginalis ſtatus, vt ſpecialis virtus eſt voto firmata, proprius eſt Chriſti Eccleſiæ, & inter omnes ſtatus pretioſior, vt docet idem S. Aldelmus in libro de laudibus virginitatis, cap. 9. vbi inter ſtatus Eccleſiæ virginitatem, vt aurum, Cęlibatum, vt argentum, coniugium, vt æramentum collocat. Argumentum igitur Apologiſtæ in hoc §. num. 24. ex D. Iſidoro, & D. Aldelmo ſolutum manet, quia veteris teſtamenti virgines Deo virginitatem ſuam dicarunt, & ſacram, ſanctamque fecerunt propoſito, & non voto, vt ſupra oſtendimus ex Div. Thoma.

17 Abulenſis ab Authore citatus contrarium tenet plurimis in locis, & primam in voto virginitatis expreſsè laudat Deiparam, vt ſupra vidimus 1. part. diſc. 3. §. 6. & alibi: Cæteri autem Authores, quos refert, moderniores ſunt, qui licèt magnæ authoritatis ſint, in his tamen controverſijs ad Sanctorum Patrum, & Docto-

ctorum Eccleſiæ eſt reflectendum, vt ſupra diximus ex eodem Apologiſta, & aliqui laudati hic, concionando in ſuis domibus, & pro ſuis ſanctis nouitati eiuſdem familiæ vrbanè adhæſerunt, quorum propria ſententia ab illis petenda eſt, non pro Carmelitis orantibus, ſed ſeriò ſcholaſticèque ſcribentibus.

§. V.

Congruentias, & rationes pro eodem voto nullius eſſe roboris demonſtratur.

15 PRima ratio, ſeu congruentia, qua §. 5. probare intendit virginitatem in lege ſcripta, ſub hac forma proponit. In veteri lege extiterunt quamplurimi in caſtitate perpetua non ſolũ priuatæ perſonæ, ſed etiam communitates integræ, ſicut Elias, Eliſeus, & filij prophetarum, qui in vita communi degebant, vt referunt Patres à Sanchez laudati, qui ex communi Patrum ſententia docet virginitatem Eliæ, & pro Eſſenis refert Philonem, Ioſephum, & Serarium, in quibus communitatibus fuit perpetua obſeruantia caſtitatis per nouem ſæcula, & amplius ab Elia vſque ad Chriſtum: ergo votum emiſſerunt eam cuſtodiendi: hanc conſequentiam euidentem non eſſe in rigore methaphiſicô, ſed magnam vim habere moraliter loquendo intra limites congruentiæ aſſerit; nam vt docet D.Thomas 2.2. quæſt. 8. art. 11. & quæſt. 186. art. 6. ad 1. vbi ab Authore laudatur, ad ſtatum Religionis non ſufficiunt obedientia, caſtitas, & paupertas, niſi voto firmentur: ex quibus Author; quomodo intellectus ingenuus ſibi perſuadebit; quod tot perſonæ, & communitates per tot ſæcula ſtabiles permanſerint in puritate, quæ difficilior eſt inter virtutes ſtatui Religioſo neceſſarias, ſine voto.

19 Sed hoc argumentum falſum ſupponit; nam nullum hucuſque vidimus Patrem, & Doctorem ab Authore fideliter relatum, nec inveniri poteſt, qui dicat extitiſſe in veteri teſtamento aliquam communitatem, quæ ex communi aliqua lege, vel conſuetudine virginitatem obſervauerit, imò contrarium docent communiter Patres negantes vſum virginitatis in illa lege, vel quia videbatur Iudæis prohibita, vel ſub maledicto habebatur, & opprobrio, vel quia contra mores illius populi eius obſeruantia erat, vt oſtendimus 1. part. diſc. 2. per totum, & D. Ambroſius,

qui figurativam virginitatem docet, ait ibidem citatus: *Figura in paucis*: ergo falſum ſupponit, & contra communem Sanctorum Patrum doctrinam, & veritatem, quod caſtitas perpetua obſeruata fuit non ſolum in privatis perſonis circumciſsis, ſed in communitatibus Iudaicis.

20 Eſſenos, de quibus Ioſephus, hæreticos fuiſſe in illa lege, & continentiam ſervaſſe ob intemperantiam fœminarum, quas per triennium expertas in vxores accipiebant, ex eodem Ioſepho, & Serario, ab Apologiſta citatis, ſuperiori §. 4. probauimus. Palæſtinos, de quibus Philo, primos Chriſtianos fuiſſe Alexandriæ à D. Marco converſos, conſtans eſt Sanctorum Patrum ſententia, & ſi aliqui ab eis diuerſi fuerunt, ſchiſmatis, & aliorum errorum cenſura ab Emminentiſ. Capiſucco damnantur, & nullum Scriptorem eos continentiam voto obſeruaſſe dixiſſe, affirmat: vbi ergo eſt multitudo Sanctorum Patrum laudantium tot virgines, & virginitatem in communi vita ſervatam in veteri teſtamento? Falſum igitur eſt fundamentum ab Authore toties vociferatum.

21 Vt inſufficientia huius argumenti magis, ac magis manifeſta fiat, falſo eius ſuppoſito admiſſo, adhuc conſequentia non infertur, nam vt ſuperiori §. oſtendimus ex D. Thoma, propoſitum virginitatis ſervari poteſt cum voto, vel ſine voto: ergo licèt in veteri teſtamento illæ perſonæ, ac communitates in propoſito vixerint virginitatis, votum legitimè non infertur: quomodo autem in caſtitate permanſiſſent perpetua, ſine voto firmata? Reſpondemus, quod ex gratia Chriſti futuri ſic diſponente vt votum huius virtutis, quod excellentius eſt, reſervaretur inſtituendum vt conſilium ex meritis Chriſti præſentis.

22 Nec authoritas D. Th. ex 2. 2. q. 189. art. 6. novitati ſuæ favet, nam ibi Angelicus Præceptor loquitur de neceſſarijs ad ſtatum Religioſum; quatenus ad exteriorem ordinem Eccleſiæ pertinent, & ad ſtatum perfectionis quoad iudicium Eccleſiæ, ad quem optimè docet, quod virtutes paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis non ſufficiunt niſi voto, vel aliqua ſolemnitate firmentur, perfectio vero interna, quæ ad Dei iudicium ordinatur, ſine voto acquiri poteſt, expreſsè docet ibid. q. 184. art. 4. in corp. vndè malè procedit Author ex his, quæ ad ſtatum exteriorem, & extrinſecum iudicium Eccleſiæ pertinent, ad illa quæ requiruntur ad ſtatum animæ internum, & Dei iudicium. Igitur doctrina Div. Thomæ novitati Authoris non favet; nam virgines, & caſti veteris teſtamenti continentiam perpetuam ſervare potuerunt ex propoſito

interno ſine voto, & de facto ſic contigiſſe clarè infertur ex doctrina D. Thomæ ſuperiori §. adducta ex 4. ſententiarum, quæſt. 5. art. 3. quæſt. 1. ad 3. vbi de virginitate Eliæ, & Jeremiæ agens, ait, quod in veteri teſtamento: *Non erat omninò laudabile à commixtione carnis abſtinere, vndè nec tali propoſito ſpeciale præmium redderetur, niſi ex divino proceſſiſſet inſtinctu, vt creditur de Ieremia, & Elia*: ergo Div. Thomas ſolum credidit, quod virginitas perpetua obſervata fuit ab Elia, & Jeremia, & alijs veteris teſtamenti in propoſito, & inſtinctu interno tantum, & non in voto, & quod continentes tantum fuere in ſtatu interno animæ, quoad Deum ex propoſito, non vero in aliquo ſtatu vero externo voto firmato, & conſtituto.

23 Secunda Authoris ratio, vel coniectura fundatur in eadem multitudine ſanctiſsimorum virorum, qui in illa lege caſtitatem perpetuam ſervantes in ieiunijs, orationibus ad perfectionem aſpirabant, & in ſacris litteris inſtructi virtutes votis qualificatas inveniebant: ergo ſi votum in Sacra Scriptura commendatum, & virtutes celebratas agnoverunt, & præcipuè caſtitatem, quare negandum eſt viris perfectis quod votum, & caſtitatem amplecterentur.

24 Sed ex eodem ſuppoſito falſo procedit hoc argumentum: in primis, quia licèt in Sacris Scripturis verſatiſsimi eſſent, nullum in eis invenirent ex caſtitate, vel virginitate laudatum, vt patet in Eccleſiaſtico à capite 44. vſque ad 50. in quibus viros glorioſos veteris teſtamenti laudat, & nullum ex caſtitate, vel virginitate commendat, & licèt aliqui, vt Elias, Jeremias, & alij, quorum coniugia non leguntur, virgines à Sanctis Patribus nuncupantur, D. P. N. Hieronymus in exponendis Sacris Scripturis Doctor Maximus, & antiquæ eruditionis celeberrimus Magiſter per vniverſis ſcripturam veteris teſtamenti virgines, & perpetuo caſtos quærens, vt contra Jovinianum, & Helvidium eos opponeret, omnibus numeratis in veteri teſtamento, vix aliqua communitas poteſt componi: ergo falſum eſt argumentum Authoris ex multitudine virginum veteris teſtamenti. Tùm etiam, quia Div. Auguſtinus paucos fuiſſe dicit iuſtos Regni Cœlectis intellectores, vt conſtat ex eius verbis relatis 1. part. diſc. 1. §. 3. & in virginitate, & caſtitate iuſti, & ſancti illius legis non vixerunt omnes, vt ex Sacra Scriptura conſtat: ergo virgines, & caſti pauciſſimi fuerunt, & ij per diverſa tempora, & ſæcula. Quomodo

igitur intelligi poteſt, quod in congregatione aliqua tot virgines, & caſti vixerunt in illa lege? Afferat Apologiſta aliquem Cathalogum virginum ex libris veteris teſtamenti, & ei credemus, quia gratis dictum iuſte negatur.

25 Nimis etiam argumentum probaret, ſi concluderet rectè; nam tota vis conſiſtit in hoc: iuſti illi in caſtitate perpetua cognoverunt bonitatem virtutis caſtitatis, & excellentiam voti videbant commendatam in ſacris litteris: ergo caſtitatem cum voto amplexati fuerunt, & ſtatum caſtitatis inſtituerunt. Reſpondetur, quod ex communi fide illius populi virginitas non fuit cognita, vt virtus, quia tunc Matrimonium præferebatur virginitati, & cultus Dei per carnalem generationem multiplicabatur, vt ex D. Thoma, & Auguſtino ſæpè oſtendimus, & præcipuè conſtat in 4. diſtinct. 30. quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 2. in corpore, ibi aſſerit; quod Beata Virgo votum emiſsit conditionatum, quia dubitavit an in virginitate permanere deberet: & contra Gentes lib. 3. cap. 136. ibi: *Sicut non expedit cuilibet omni tempore actui generationis vacare, ita nec expedit ab eo omni tempore abſtinere, maximè quando neceſſaria erat multiplicatio generis, vel propter hominum paucitatem, ſicut in principio, quando humanum genus cæpit multiplicari: ſiue propter paucitatem fidelis populi, quando oportebat ipſum per carnalem generationem multiplicari, vt fuit in veteri teſtamento: & ideò conſilium de continentia perpetua obſervanda, reſervatum eſt temporibus noui teſtamenti, quando ſpiritualis populus per ſpiritualem generationem multiplicatur.* Paupertas, vt virtus non fuit revelata populo Iudaico, quia bona terræ promittebantur, vt præmium in lege, nec Religioſa obedientia ex voto cognita fuit vt virtus; nam hoc voto renuntiatur patria, & in veteri lege pàtria deſiderabatur, vt ſumma illorum fęlicitas.

26 Tùm ſic, Thobias virtutem, & opus miſericordiæ ſepeliendi mortuos, & curandi infirmos cognouit, & excellentiam voti non ignorabat in veteri ſua lege: ergo Thobias opus miſericordiæ ſepeliendi mortuos, & curandi infirmos voto adimpleuit in illa lege, & veram Religionem inſtituit, à qua inſtitutum ſuum ſumpſit S. Ioannes Dei in lege gratiæ: quis hoc infert ex cognitione virtutis, & voti excellentiæ?

27 Eodem modo philoſophari poteſt: Ieſus Nauè meritum, & virtutem obedientiæ erga Pontificem cognouit in illa lege, & vota grata eſſe Deo in illa legebat: ergo votum obedientiæ

tiæ erga Summum Pontificem emiſsit, familiamque inſtituit ſub hoc votò, ex qua Jeſuitarum Religio legis gratiæ originem ſumpſit, & exordium? Illegitima eſt hæc conſequentia, & falſum antecedens. Abraham etiam hoſpitalitatem exercuit, & votum cognovit; alij Redemptionem Captivorum laudabilem legebant in ſacris litteris, & vota; ergo illa emiſſerunt in his virtutibus, & Familiam Religioſam ſtatuerunt ſub illis ſicut in lege gratiæ? Fallax certè eſt hoc argumentum, quia alias poteſt dici de Synagoga, quod de Eccleſia Chriſti cecinit Regius Propheta Pſalm. 44. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate*: quod de inſtitutis, & ſtatibus leges gratiæ intelligunt Patres, & Doctores. Quare autem virtutes dederit Deus obſeruandas ſimpliciter, & non vota, & conſilia, diximus ex D. Thoma 1. part. diſc. 1. §. 2. quia illa lex ſervitutis erat, cui non conveniebant conſilia, & vota, quæ poſita ſunt in voluntate, & ad legem libertatis pertinent, & ex D. Auguſtino eodem diſc. §. 4. quod ſecundum ordinatiſsimam diſtributionem temporum per Sanctos Prophetas, & famulos ſuos dedit minora præcepta populo, quem adhuc timore ligari oportebat, & per filium ſuum maiora populo, quem charitate iam liberare conuenerat, & quod ab eo dantur, qui ſolus nouit congruentem ſuis temporibus generi humano exhibere medicinam.

28 Aliud ab aduerſarijs proponitur argumentum ex virtutibus Theologalibus fidei, ſpei, & charitatis, quæ maioris perfectionis ſunt, quam caſtitas, virginitas, & votum; ſed in veteri teſtamento iuſti illi prædictas virtutes obſeruarunt, vſque ad Martyrium, in quo actus maioris charitatis conſiſtit ex Chriſti Domini verbis: *Maiorem charitatem nemo habet, &c.* ergo & virginitatem ſeruarunt, & vota Religioſa emiſſerunt: conſequentiam probant à maiori ad minus: antecedens ſupponunt certum ex Sacra Scriptura.

29 Facilis eſt ſolutio huius argumenti ex D. Thoma opuſc. 18. cap. 5. & 6. diſtinguendo illa, quæ pertinent ad perfectionem de neceſsitate ſalutis, ab illis quæ pertinent ſub conſilio: virtutes Theologales pertinent ad perfectionem divinæ legis ex neceſsitate ſalutis, vota vero Religioſa, & conſilia evangelica cadunt ſub conſilio, itaque in veteri lege data fuerunt præcepta fidei, ſpei, & charitatis, ſine quibus perfectio divinæ legis acquiri non potuit ſub ſervitute illius legis; cum autem fideles illius populi ad acqui-

rendam perfectionem divinæ legis tenebantur, non defecit Deus in neceſſarijs præceptis, & cum lex illa ligaret, & non iuvaret, & conſilia ad perfectionem acquirendam iuvant, vt media, & inſtrumenta, non fuerunt data ſub illa lege, quæ iuvare non poterat. Tùm etiam, quia in ipſis præceptis fidei, ſpei, & charitatis aliqua ſervauit Deus præcipienda ad perfectionem legis in novo teſtamento acquirendam, quæ non revelauit, nec præcepit in veteri teſtamento, nam Myſterium Sanctiſsimæ Trinitatis in lege illa non revelauit credendum, nec Chriſtum Dominum moriturum ſperabant, ſed redempturum Regnum temporale Iſrael, nec præcepit Deus inimicorum dilectionem, quæ quidem in lege gratiæ de neceſsitate ſalutis credenda, & obſervanda ſunt, vndè optimè dixit D. Auguſtinus, quod maiora præcepta dedit Deus populo, quem iam liberare convenerat; eodemque modo philoſophandum eſt in alijs virtutibus, quæ licèt revelatæ fuiſſent in populo illo, media autem ad illarum finem conſequendum, quæ ſub conſilio cadunt, & ad facilius dantur, vt vota, & conſilia Religioſa, nec revelata fuere, nec data fidelibus illis ſub lege ſervitutis viuentibus: vndè patet, quod argumentum procedens ab eis, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem ad illa, quæ ad melius dantur, nihil probat, nec probare poteſt, à lege ſervitutis ad legem libertatis, in qua Chriſtus Dominus, & præcepta adimpleuit, & conſilia dedit vt adimplerentur.

30 Hiſtoricus Propheticus lib. 1. cap. 4. num. 5. aliud proponit argumentum, & ait: In veteri teſtamento poſsibile fuit votum, & caſtitas, quare igitur non fuit poſsibile caſtitatis votum? Quod vt probet in caſtitate (vt eodem modo in paupertate, & obedientia) duas ſupponit difficultates, vnam quæ naſcitur ex ipſo opere, ipſum concomitans, licèt ſine voto ſit; alteram ex ipſo voto: & ita maior difficultas in votis Monaſticis procedit ex operibus virtutum, quam ex ipſimet votis: ergo ſi Elias, & eius familia caſtitatem, paupertatem, & obedientiam perpetuo ſervarunt, quare illis negandum eſt votum, quod minorem habet difficultatem?

31 Hoc argumentum, ſi probaret, poſsibilitatem tantum concluderet, ſed non factum, attamen nil probat ex propoſitione disiunctiva ad coniunctivam; nam ex cognitione voti, & virtutis non rectè infertur emiſsio voti in illa virtute; nam in aliquo caſu poteſt laudabilis eſſe obſervantia alicuius virtutis ſine voto, vt pa-

tet in vnico ſucceſſore alicuius Regni, qui caſtè viuere poſſet, & votum emittere non ei liceret ſi ex defectu ſucceſsionis bella inter Principes Chriſtianos orirentur, vndè cum in lege illa infecunditas ſub maledicto erat, & fecundi benedicebantur in generationibus ſuis, licèt aliqui propter ſpecialia motiva in caſtitate vixerint, voto ſe ligari, & libertatem procreandi adimere, nec congruum, nec conveniens videretur in illa lege, ſemperque in hoc propoſito conditionem, *ſi Deo placeret*, apponerent, vt de B. Virgine in voto docuit D. Thomas ſupra ſæpè citatus: Itaque votum caſtitatis perpetuæ abſolutè negamus revelatum, & cognitum fuiſſe in veteri lege, Eliæ, Jeremiæ, & alijs, quorum coniugia non leguntur conditionatum propoſitum concedimus, ſi Deus aliter non diſpoſuerit, quod doctrinæ D. Thomæ, & SS. PP. conformius eſt, & ex natura illius legis optimè infertur, vel afferant adverſarij textum Sacræ Scripturæ, vel aliquem Doctorem Eccleſiæ, qui votum caſtitatis perpetuæ revelatum dicat in veteri teſtamento.

32 Nec ratio Authoris intentum ſuadet, imò falſam doctrinam continet, nam votum difficultatem in opere virtutum non auget, imò vota ad facilius, & expeditius dantur, vt inſtrumenta virtutum, alias peioris conditionis eſſent in tentationibus carnis, qui ſe caſtrauerunt propter Regnum Cœlorum, quam Cœlibes, qui ex lege tantum eam ſervant cum libertate ad contrahendum. Meritum, & perfectio voti non conſiſtunt in eo, quod votum difficultatem aliquam addat in opere, vel actu virtuits, ſed quia libertatem ad contrarium perimet, & virtutem ad Religionis cultum elevet, voluntatemque in bono firmet, vt docet Div. Thomas, ex D. Auguſtino 2. 2. quæſt. 186. art. 6. ad 3. ibi: *Inter alia quæ licèt nobis non impendere, eſt etiam propria libertas, quam homo cæteris rebus chariorem facit, vndè cum aliquis propria ſponte ſibi adimet libertatem abſtinendi ab his, quæ ad Dei ſervitium pertinent, hoc fit Deo acceptiſsimum: Vndè Auguſtinus dicit in Epiſtola ad Armentarium, & Paulinam: non te voviſſe pœniteat, imò gaude iam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuiſſet, fœlix neceſsitas, quæ in meliora compellit.* Ex hoc principio meritum, & perfectio voti oriuntur, dicere autem, quod votum difficultatem adhibet in actu, & opere virtutis, nec vera, nec ſecura doctrina eſt in materia voti, itaque Authoris diſcurſus falſo nititur fundamento.

§. VI.

§. VI.

Concluſio Authoris proponitur.

33 EX dictis per recapitulationem concludit Author in hac propoſitione: In lege veteri fuit votum perpetuæ caſtitatis, & virginitatis, quod probat hoc brevi, ſed efficaci argumento (vt aſſerit) in lege ſcripta extiterunt Nazaræi perpetui, Eunuchi ſpirituales, Eſſeni, Prophetæ, filij Prophetarum, & alij, qui puritatem ſuam Deo voto conſecrarunt: ergo fuit in illa lege votum perpetuæ caſtitatis, & virginitatis: conſequentiam evidentem eſſe dicit, non vero antecedens, ſed quod pro ſe, tot habet teſtimonia Sacræ Scripturæ, Patrum, & Doctorum Eccleſiæ, aliorumque graviſsimorum, & doctiſsimorum virorum, congruentias, & coniecturas, quod in materia hiſtoriali, quæ facti eſt, negari non poteſt, quod ſit evidenter probabiliſsimum. Hæc Apologiſta.

34 Falſitas antecedentis oſtenditur, 1. part. diſc. 2. per totum, præſertim §. 6. in quo ex communi Sanctorum Patrum conſenſu probavimus Deiparam Dominam noſtram primam fuiſſe in virginitatis perpetuæ voto emittendo. Argumenta adverſariorum in hoc diſcurſu propoſita falſis ſuppoſitionibus fundari, manifeſtum fecimus, & rationum fallaciam, & inſufficientiam demonſtravimus, quod vt magis appareat, ſequentes propoſitiones contra vltimum Authoris argumentum proponuntur.

35 Prima, quod in Sacra Scriptura non invenitur, ex Sacra Scriptura non eſt probabile; ſed votum virginitatis perpetuæ Iudæorum, non invenitur in Sacra Scriptura: ergo ex Sacra Scriptura non eſt probabile: contra minorem propoſitionem debent adverſarij adducere textum aliquem exprimentem, vel continentem votum perpetuæ virginitatis veteris teſtamenti.

36 Secunda, ea quæ ſupremus, & ſapiens Legislator in ſua lege non expreſsit, vel noluit, vel ei grata non fuerunt; ſed Deus infinitè ſapiens Legislator in ſua lege ſcripta, minima circa ſuam obſervantiam notauit, & aduertit, & voti virginitatis perpetuæ non meminit, igitur in illa lege hoc votum noluit, vel ei non placuit, quia ſi voluiſſet, expreſſiſſet.

37 Tertia, contra id, quod Deus inſtituit in lege pro populo, laudavitque infligendo pœnam maledicti contrarium facientibus, nullus niſi ipſemet Deus declarare poteſt, quod oppoſitum inſtitutioni divinæ, & eius diſpoſitioni ſit melius, & perfectius; ſed Matrimonium in lege naturæ inſtituit Deus, & præcepit; in lege ſcripta laudauit, & perſuaſit, propoſuitque etiam ſtatui Sacerdotali illius legis, maledictum infligendo infæcundis: ergo nullus niſi Deus potuit declarare, quod virginitas fuit in illo populo materia voti, Matrimonio perfectior, & magis grata ipſemet Deo. Afferant ergo adverſarij textum aliquem veteris teſtamenti, in quo Deus virginitatem proponat, vt Matrimonio præferendam, vel in quo laudet aliquem ex voto virginitatis, vel emiſſum, vel factum approbet, ſicut declaravit, approbauit, laudavit, & perſuaſit in novo teſtamento.

38 Quarta propoſitio, quod ad Sacram Scripturam, & dogmata fidei pertinet, nullum habens fundamentum in aliquo ſacro textu, cuius contrarium approbauit Eccleſia ex communi Sanctorum Patrum conſenſu, non debet admitti in Dei Eccleſia; ſed virginitatem non fuiſſe cultam in veteri lege approbauit Eccleſia in officio S. Cæciliæ ex communi doctrina Patrum dicentium, quod in veteri teſtamento videbatur prohibita, & ſub maledicto, & quod opprobrioſa erat, & quod Deipara Domina noſtra prima fuit in tempore, quæ illam obtulit Deo, vt oſtendimus 1. part. diſc. 2. per totum: ergo propoſitio aſſerens, quod virginitas in veteri lege floruit in voto perpetuo per novem ſæcula, & amplius, non ſolum inter privatas perſonas circumciſſas, ſed in congregationibus circumciſſorum non poteſt admitti in Dei Eccleſia, & hoc dicimus contrariam opinionem non cenſurando, ſed in vim argumenti contra illam diſputando.

DIS-

DISCURSUS SECUNDUS.

Propoſitio ſecunda Apologiæ examinatur, in qua votum fœminarum veteris teſtamenti intendit probare.

§. I.

Primum argumentum proponitur.

39 EIſdem medijs, quibus ſuperiori propoſitione vſus fuit ad probandum votum virginitatis perpetuæ in viris, vtitur in hoc §. vt votum in fœminis veteris legis concludat, itaque eiſdem rationibus, quibus votum in viris diſcurſu ſuperiori impugnatur, in fœminis etiam reijcitur. In primis Nazaræorum votum proponit ex cap. 6. num. citato: *Vir, ſeu mulier cum fecerit votum, &c.* & vtrumque ſexum includere manifeſtum eſt; ſed votum virginitatis perpetuæ, neque in viris, neque in fœminis continetur in lege illa, vt ex dictis ſuperiori diſcurſu, §. 2. patet in Samuele, & Sanſone: ergo licèt aliquæ fœminæ Nazareæ fuiſſent, nec virginitas, nec votum ex Nazaræatu probatur, & cum ex iure, & inſtitutione Nazaræatus, virginitas perpetua, nec votum probetur, ad quæſtionem facti reducitur controverſia, an aliquæ fęminæ in veteri lege votum emiſſerint virginitatis perpetuæ in Nazaræatu, quod de facto contigiſſe probare debet aliquo authentico teſtimonio, vel ex Sacra Scriptura, vel ex Sanctis Patribus, quia factum in dubijs non præſumitur, niſi probetur, & præcipuè cum in contrarium ſit communis ſententia Sanctorum Patrum dicentium B. Virginem primam in voto Deo virginitatem emiſiſſe; qua convicti primi Iudaici voti virginitatis defenſores in vero ſtatu Monaſtico, in viris tantum virginitatem perpetuam propugnabant, vt Primatum Deiparæ Dñæ noſtræ inter fœminas inofenſum relinquerent ob Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ vniuerſali conſenſum; Author vero, & alij eiuſdem familiæ moderniores, qui noviſsimè votum fęminarum in veteri lege ad-

adſtruunt contra Patres Eccleſiæ, & ſuos antiquos Carmelitanos, & conſequenter Primatum eiuſdem voti Dei Genitrici negant: votum fęminarum veteris teſtamenti probare debent de facto in aliqua fęmina illius legis; nam rationes pro viris adductæ falſæ ſunt, & licèt admittantur, pro fęminis non probant, quod quidem ex Sacra Scriptura colligitur; nam maledictum infæcunditatis, & eius opprobrium magis exprimitur contra fęminas, quàm contra viros: ergo licèt aliqui viri virginitatem ſervaſſent perpetuam, non indè ſequitur, quod fęminæ eam cuſtodierint in illa lege.

40 Contra primam propoſitionem oſtendimus, vota Nazaræorum, de quibus cap. 6. Numeror. temporalia tantum fuiſſe ex inſtitutione legis, & nunc reflectimus, quod explicans lex omnes ſtatus mulierum, quæ facere vota, & iuramenta in illa lege poterant, virginum ſtatus non meminit, quia puellaris ætas, de qua ibi virgini, & corruptæ communis eſt, & puella ſine virginitate, & virginitas extra hanc ætatem inveniri poſſunt, vt ex ſe patet; vndè, & puella ſine virginitate ſubijceretur huic legi, & virgo extra puellarem ætatem liberaretur ab ea: ergo neque in cap. 6. Numeror. neque ex 30. virginitatis ſtatus comprenditur ſub votis, & iuramentis. Quoad ſtatum Religioſum probatur, quia in omnibus qui iuris ſui non erant, declarauit Deus, quis vota eorum poterat irrita facere, ſed de votis, & iuramentis factis in ſtatu Religioſo, nec de voto virginitatis perpetuæ non declarauit Deus in illa lege, quis ea irrita facere poterat, diſpenſare, vel commutare: ergo vota hæc, & ſtatus in quo emitterentur non extiterunt in veteri lege, ſiquidem nec inſtituta inveniuntur, nec de illis diſponit lex, ſicut de alijs votis, & iuramentis.

41 Ex Eunuchis ſpiritualibus arguit: In veteri lege extiterunt Eunuchi ſpirituales: ergo & virgines fęminæ Deo voto conſecratæ perpetuo. Antecedens ſupponit ex textibus Iſaiæ, & Sapientialium ſupra relatis 1. part. diſc. 3. §. 1. conſequentiam probat, quia ſub nomine Eunuchi ſpiritualis debent intelligi viri, & fœminæ, eo quod ex regula ſcripturæ, & Sacrorum Canonum ſub maſculino fęmeninum comprehendatur, quando materia communis eſt, præſertim quando lex eſt favorabilis Religioni.

42 Sed falſo principio nititur hoc argumentum; nam vt ſupra loco citato probavimus ex D.P.N. Hieronymo in veteri lege non extiterunt Eunuchi ſpirituales, ſed evangelicos legis gratiæ laudaverunt Iſaias, & Salomon in illis textibus, & eodem modo, & ſenſu explicant verba Iſaię D. Baſilius Magnus, & D. Auguſti-

nus in ſuis libris de *vera virginitate*, & eſt communis intelligentia Doctorum Eccleſiæ, vt conſtat ex dictis in hac 2.part. diſc. 1. §.3. ergo totus diſcurſus ruit. Falſum eſt etiam ſecundum SS.PP. doctrinam, quod virginitas perpetua favorabilis fuit Religioni Iudaicæ; nam ſecundum illam legem videbatur prohibita, & in opprobrium, & contemptum habebatur, & ſub maledicto illius legis, vt patet in teſtimonijs SS.PP. ſupra relatis 1.part. diſc. 2. per totum: ergo dato, & non conceſſo, quod in veteri lege Eunuchi extiterint ſpirituales, non valet conſequentia ad fœminas, quia materia in illo populo erat odioſa, & ſub pęna, & in odioſis, & pęnalibus ſub maſculino non comprehenduntur fœminæ. Nec argumentum ex Eunuchis ſpiritualibus, de quibus D. Matth. cap. 19. aliquid probat: Certum eſt enim, quod ſub illis verbis: *Sunt Eunuchi, qui ſe caſtrauerunt propter Regnum Cælorum*, comprehenduntur etiam fœminæ; nam habemus teſtimonia expreſſa noui teſtamenti, votum, & Eunuchiſmum ſpirituale fęminarum explicantia: conſtat etiam in nouo teſtamento virginitatem favorabilem eſſe Religioni Chriſtianæ, in eaque laudatur pro viris, & fęminis: ergo ex nouo ad vetus teſtamentum non valet conſequentia. Ex quibus patet, quod Doctores, qui Eunuchiſmum ſpiritualem pro vtroque ſexu à Chriſto inſtitutum docent, nullo modo adverſarijs favent, vt conſtat ex eorum verbis, quibus virginitatem legis gratiæ probant, & laudant in vtroque ſexu.

43 Ad argumentum ex Eſſenis reſpondetur ex dictis ſuperiori diſc. §.4. in quo eorum errores ex SS.PP. & Doctoribus oſtendimus, turpemque ſuam continentiam, ex infidelitate fęminarum, aliquos obſervaſſe, & alios fęcunditatem fęminarum toto triennio expertos fuiſſe, antequam ſolemni modo eas ducerent, vt refert Serarius in lib. 1. Machab. in Bachid. cap. 7. & 14. ex quibus conſtabit quod ex Eſſenis virginitas fęminarum probari non poteſt, eo magis, quia licèt inter Eſſenos mulieres aliquæ converſarentur, & eorum inſtitutum ſectabantur, in quo virgines tantum recipiebant, tamen infæcūdæ, & ad ſenectutem pervenientes, quia ad generationem ineptæ erant, ab eorum congregationibus expellebantur.

§. II.

Alijs congruentijs, & teſtimonijs fit ſatis.

44 EX cap. 30. Numeror. ſæpè citato arguit in hoc §. 1. in hoc textu (inquit) diſponitur circa vota, & iuramenta

à filiabus ſub patria poteſtate facta, vel emiſſa; ſed votum, quod emittere poterant, erat caſtitatis,& virginitatis perpetuæ: ergo in illa lege quamplurimi virgines illud emiſſerunt. Minorem probat ex D. Auguſtino quæſt. 57. in Numer. ibi: *Merito quæritur in hoc loco de voto virginitatis*, laudatque Rupertum in Gloſſa,& Lorinum ad præcitatum textum, vbi aſſerit ex D. Auguſtino, quod mulieres ſui iuris poterant continentiam vovere, licèt rarus eſſet in veteri teſtamento hic ſtatus.

Ad hoc argumentum facilis eſt ſolutio ex doctrina Emmi- nentiſsimi D. Cardinalis Capiſucci controv. 16. §. 6. in quo ad argumentum contra Primatum Deiparæ ex ritu vouendi, ſeu aliquid conſecrandi per votum Deo, iure naturæ,& legis ſcriptæ factum reſpondet, ibi: *Quamvis vota de ſingularibus actionibus eſſent in vſu, tàm in lege naturæ, quàm in lege ſcripta; tamen vota de rebus perpetuis, & quæ varios, & difficiles poterat habere eventus, eo tempore non fiebant, quia ſuperabant perfectionem illius ſtatus, & ideò fieri potuit, vt etiam viri ſancti talia vota non emitterent, & quia lex illa erat imperfecta, vt dictum eſt, debuit perfectio hæc reſervari pro lege evangelica, quæ eſt lex perfecta.* Et paulo poſt, ibi: *Nec ex eo ſolum, quod voti ſanctitatem, & perfectionem agnoſcerent, ſufficiens coniectura ſumitur, vt dicamus, illos virginitatem, ſeu caſtitatem vouiſſe, quia virginitas non erat in communi obſervantia illius temporis, nec in lege conſulebatur, ſed potius videbatur commendari fœcunditas, & ideò licèt illam fortaſſe ſervarent, quamdiu aliud Deo placere eis non conſtabat, non tamen in perpetuum Deo promittere audebant, ſine ſpeciali Dei revelatione.* Hæc Dominus Cardinalis. Sed non conſtat, nec adverſarij probabunt factam fuiſſe revelationem alicui fęminæ, vt votum virginitatis perpetuæ emitteret contra obſervantiam illius temporis, & fœcunditatem laudatam,& commendatam in illa lege: ergo votum perpetuum in re difficili,& quæ humanas vires tranſcendit, vt dicunt Patres, non debet concedi in illa lege imperfecta.

45 Ad authoritatem D. Auguſtini, ex dictis facilis eſt ſolutio, & vera illius intelligentia, quod intelligi non poteſt de voto virginitatis perpetuæ, ſed temporalis vſque ad nuptiarum tempus; nam iuxta ſuam doctrinam illa lege Matrimonium præferebatur virginitati, & eam ſervare non oportebat, vt proprijs ſuis verbis ſupra oſtendimus 1. part. diſc. 3. §. 4. in principio,& ex eodem Auguſtino docet Div. Thomas ſæpè citatus ibidem: ergo ſecundum doctrinam Div. Auguſtini virginitas in illa lege non erat materia voti perpetui, ſed temporalis tantum, ſecundum obſervantiam illius

illius temporis, quod patet; quia vt eſſet virginitas materia voti perpetui debebat Matrimonio præferri, & eſſe maioris meriti; ſed ex D. Auguſtino Cœlibatus, & virginitas Ioannis non fuit maioris meriti, quam Matrimonium Abrahami: ergo ex mente D. Auguſt. virginitas non fuit materia voti perpetui in illa lege.

46 Abulenſem falſo laudat pro ſua novitate; nam quæſt. 22. ſuper caput 30. Numer. diſp. *An iſta puella in veteri teſtamento poſſet vouere obſeruare virginitatem, cum eſſet in Patris poteſtate*, & affirmativè reſpondet, rationemque ſubiungit, ibi: *Non enim erat aliquid illicitum virginitas in veteri teſtamento, cum aliqui viri, & fœminæ eam obſervauant.* In quibus verbis ſolum docet, quod virginitas non fuit illicita in illa lege ſcripta, quod etiam docet D. Thomas, & alij quamplurimi Doctores, ex quo benè infert Abulenſis quod potuit virginitas licitè Deo offerri, ſed an de facto oblata fuerit Deo voto perpetuo alia eſt quæſtio, & an de facto fuerit obſervata perpetuò ſine voto, etiam diſputatur ab ipſo Abulenſi ſuper eumdem textum, cap. 30. Numer. & quæſt. 12. aſſerit, quod in veteri teſtamento non invenitur obſervatio virginitatis cum voto, vel ſine voto, ſed omnes accipiebant viros: Domina noſtra fuit prima, quæ virginitatem obſervauit, & vouit, & in 4. Reg. quod in veteri teſtamento non erat Religionis votum, nec ſtatus continentiæ, qui poſtea in nouo teſtamento inſtitutus eſt: & ibidem, quod non fuit aliqua, quæ emiſiſſet votum virginitatis propter Deum ante Dominam noſtram: falſo igitur adducitur ab Apologiſta pro ſua ſententia Abulenſis, qui contrariam tenaciter tenet, & defendit, itaque nulla fides dari ei poteſt in teſtimonijs citatis; quia ſæpiſsimè in veritate deficit, vel verba omittendo, vel ſententiam Doctorum expreſſam confundendo, vt in Abulenſi, & alijs manifeſtum eſt.

47 Secundò arguit ex libro 2. Machab. cap. 3. ibi: *Sed & virgines, quæ clauſæ erant præcurrebant ad Oniam*: ergo in veteri teſtamento extiterunt aliquæ virgines: quod confirmat authoritate SS. PP. Ambroſij, Niſeni, Damaſceni, Nizephori, Evodij, Hieronymi, Origenis, Cyrili Alexandrini, Theophilacti, & ex modernis Serarij, Caniſij, Baronij, Claudi Spincei, & Petri Creſpeſij.

48 Hoc argumentum tetigit Emminentiſsimus D. Capiſuccus vbi ſupra, cuius verba apponam hic: *Ad illud de virginibus clauſis ex lib. 2. Machabæorum, cap. 3. facilis eſt reſponſio, ibi non ſignificari virgines fuiſſe clauſas in Monaſterijs, & ſpeciale vitæ genus coluiſſe, ſicut in lege evangelica; ſed ſermo eſt de virginibus illis, quæ in parentum*

domi-

domibus cuſtodiebantur, vndè Hugo Cardinalis in locum illum ait concluſæ, ideſt, in parentum domibus cuſtoditæ. Idem ait Lyranus, ſed & virgines, inquit, quæ clauſæ erant, ideſt, de domibus parentum non exibant ratione verecundiæ, & pudicitiæ virginalis, tamen in illa turbatione exibant præter morem ſolitum currentes ad Oniam. Idem affirmat Gorienides apud Tyrinum in librum ſecundum Machabæorum cap. 3. Aliam expoſitionem aliquorum refert Lyranus, quod aliquæ virgines nubiles propè templum cuſtodiebantur incluſæ, vſquequo nuitui traderentur. Vel etiam ibi eſt ſermo de virginibus, quæ intra templi certa clauſtra cuſtodiebantur. Et poſt pauca ait ibidem, quod inter tales dicitur enutritam fuiſſe Beatam Virginem vſque dum Matrimonio iungeretur Ioſepho, ſicque ſenſiſſe Niſſænum, Evodium, Damaſcenum, Baronium, Eſpenceum, Suarez, & Serarium in proprijs locis laudatos, ſed nullus ex ijs dixit, quod votum perpetuæ caſtitatis emitterent virgines illæ clauſæ, imò quod virgines illæ, quæ ibi conſervabantur, nupturæ poſtmodum, & in Matrimonium tradendæ cuſtodiebantur, tempore nuptiarum adimpleto, quia intra templi clauſtra permanere, nec lex permittebat, nec honeſtum videbatur, referunt D. Gregorius Niſſenus, P. N. Hieronymus, Metaphraſtres, Nizæphorus Callixtus ſupra citati 1. part. diſcurſ. 1. §. 4. & D. Damaſcenus in hac 2. part. diſcurſ. 2. §. 2.

49 Sed vt inſubſiſtentia diſcurſus Apologiſtæ manifeſtior fiat, ſupponendum eſt, quod de virginitate veteris teſtamenti plures excitantur quæſtiones inter Doctores, ſcilicèt, an fuerit prohibita toto tempore legis ſcriptæ, & ſuppoſito quod non fuerit prohibita ex lege, an fuerit laudabilis, & meritoria, & an fuerit voto perpetuo Deo conſecrata in illa lege, & materia voti ſacri. Vltima hæc quæſtio à ſuperioribus non dependet, quia quamplurimi Doctores, qui prohibitionem virginitatis impugnant, & laudabilem fuiſſe affirmant, votum perpetuum negant: ſic Vazquez, Medina, & Soto, & alij quamplurimi: ergo licèt aliqui Patres, & Doctores virginitatem laudabilem dicant in veteri teſtamento: licitamque, & honorabilem, votum ex illis probari nequaquam poteſt, nec tùnc materiam voti fuiſſe ex his principijs defendi poteſt, quod manifeſtè probatur, in lege gratiæ; nam nuptiæ honorabiles ſunt, & laudabiles, & virgo non peccat ſi nubat, & qui Matrimonio iungit virginem ſuam, benè facit, ex D. Paulo ad Corinthios 1. cap. 7. ergo licèt in veteri teſtamento virginitas eſſet honorabilis, & qui eam ſervaret non

peccaret, ſed benè faceret, non indè ſequitur, quod eſſet materia voti perpetui, vt patet in paritate nuptiarum, quia qui virginitatem voueret in illa lege, non melius faceret, ſiquidem Matrimonium præferebatur virginitati, & nullum ei præmium redderetur, vt ſæpè diximus ex D. Thoma. Tùm etiam, quia admiſſa opinione D. Thomæ contraria, quod virginitas præferebatur Matrimonio, nec dum votum probatur ex Patribus, & Doctoribus hanc ſententiam docentibus, nam Vazquez, qui eam acriter defendit, votum abſolutè negat ex eo, quod nullus Sanctus Pater, qui virginitatem laudabilem in veteri teſtamento prædicauit, votum affirmauit, in quo primam laudant Deiparam, nec aliqua ratione conuincitur ex virginitate perpetua votum, ſed propoſitum, & deſiderium eam ſeruandi, vt ex ſe patet, & ſupra ex D. Thoma probauimus: ergo Patres, & Doctores, qui virginitatem in veteri teſtamento laudabilem dicunt, nouitati voti non fauent, nec ex illis probari poteſt votum virginitatis in viris, neque in fœminis illius legis.

50 Refert etiam Apologiſta Emerentianam Chriſti Domini proauam ex colloquijs cum Carmelitanis veteris legis votum virginitatis emiſiſſe conditionatum, *ſi Deo placeret*, quæ poſtea ex reuelatione Carmelitis eius ſpiritualibus Magiſtris facta, quod ex Emerentiana per filiam ſuam Annam, & nepotem Mariam Chriſtus naſciturus erat, cui reuelationi, & Carmelitarum conſilijs obediens Matrimonium contraxit Emerentiana, ex quo concepit Annam: hanc fabellam ex libro cuiuſdam Cyrilli refert Apologiſta; ſed hic liber ſuppoſititius exiſtimatur à Baronio ad annum 444. num. 18. & fabella illa de voto conditionato Sanctæ Emerentianæ contemnitur à viris cordatis, & ex ipſa ſua narratione falſitate conuincitur; nam tùnc virgines, vel in templo claudebantur, vel in domo parentum concluſæ erant, vt ex 2. Machabæorum cap. 3. conſtat, & communiter docent Patres, vt ſupra oſtendimus in hoc §. Falſa igitur familiaris conuerſatio S. Emerentianæ virginis Deo voto conditionato conſecratæ cum Carmelitis in Carmelo habitantibus. Reuelatio Emerentianæ, & Elianis, quod ex illa Chriſtus naſciturus erat ex nepote ſua Maria, fabella quædam anillis eſt, quam in ſacris concionibus ſæpè audiui, & Sanctis Patribus opponitur, qui huius Myſterij arcanum celebrant, quod nec ipſi Deiparæ reuelatum fuit vſque ad Angelicam ſalutationem, qua audita, ſacra virgo turbata fuit, quia ſi Carmelitis fuiſſet reuelatum, quod Maria Emerentianæ

ne-

nepos Chriſti Mater erat futura, non ignoraret Deipara, quod iam Carmelitis fuerat revelatum.

51 Argumentum ex D. Hieronymo P. N. qui libro 1. contra Jovinianum cap. 26. ex Græcis, Latinis, Barbariſque hiſtorijs virginitatem ſemper tenuiſſe pudicitiæ Principatum docet, nullius roboris eſt, nam virginitatem illam gentium ſuperſtitionibus Gentilitatis maculatam fuiſſe, ex multis docet, & filiam Jeptæ, & alias veteris teſtamenti, ad diſtinctionem virginum legis gratiæ propter Regnum Cœlorum, virgines ſæculi appellat, virginitatemque propter Regnum Cœlorum, de qua procedit quæſtio, à Chriſto Domino, & Beata Maria incepiſſe dicari docet pluribus in locis ſupra relatis 1. part. diſc. 2. §. 3. vndè Doctor Maximus cultum ſacræ virginitatis cum voto in veteri teſtamento negat, & contrarius ſemper eſt Apologiſtæ novitati. Manifeſtum eſt igitur, quod Patres, & Doctores in hoc §. ab Apologiſta laudati opinioni ſuæ non favent, imò quamplurimi contrarij ſunt, vel oppoſitum voto perpetuæ virginitatis ex illis evidenter concluditur.

§. III.

Proponuntur rationes quibus Apologiſta in hoc §. & ſequentibus ſatisfacere intendit argumentis factis contra votum virginitatis veteris teſtamenti.

52 PRimum probare conatur, quod virginitas non fuit prohibita in veteri teſtamento poſt multiplicationem generis humani, quod etiam concedimus cum D. Thoma in 4. diſtinct. 33. quæſt. 3. titulo 2. ad 3. quæ quidem ſententia receptiſsima eſt inter Thomiſtas, nec Patres, & Doctores qui contrarium videntur ſentire, referuntur contra virginitatem illius legis poſt propagationem generis humani, & divini cultus dilatationem; ſed vt ex eis manifeſtum fiat, quod votum virginitatis perpetuæ quidquid ſit de eius prohibitione in veteri lege non admittunt, nec ſecundum eorum doctrinam admitti poteſt: itaque admiſſa ſententia dicente, quod virginitas non fuit prohibita in illa lege, ex ea, & Doctoribus illam defendentibus nihil probat contra nega-

 tivam

tivam voti, quia ex multis alijs capitibus excluditur à veteri teſtamento, vt ſæpè diximus, vel quia videbatur prohibita virginitas, vel quia erat contra mores illius populi, vel quia Matrimonium præferebatur continentiæ caſtitatis, vel quia votum virginitatis propter Regnum Cęlorum non fuit revelatum in illa lege, ſed reſervatum legi gratiæ, vt ex D. Thoma contra Gentes lib. 3. cap. 136. ſupra diximus in hac 2. part. diſc. 1. §. 5. Ex his principijs in quibus conveniunt Patres, & Doctores, licitam fuiſſe virginitatem in illa lege concedimus, & in aliquibus paucis obſervatam interno Dei inſtinctu, vt eſſet figura futurorum, vt ait D. Ambroſius, & votum perpetuum negamus, quod debent probare adverſarij teſtimonijs Sanctorum Patrum illud exprimentibus, vel ex illis per neceſſariam conſequentiam illatum: itaque conceſſa doctrina ab adverſarijs tradita, & eorum ſententia admiſſa, reſpondemus; oleum, & operam perdere. Sit ergo licita virginitas in veteri teſtamento: ergo & votum factum? hanc conſequentiam negamus, quia Patres, & Doctores qui antecedenti conſentiunt, votum negant, & præſens quæſtio non procedit de virginitate, ſed de voto quod numquam probarunt adverſarij. Explicationem ad authoritatem D. Th. hiç ab Apologiſta traditam, falſam eſſe, & contra mentem D. Thomæ oſtendimus 1. part. diſc. vlt. §. 2. & de mente D. Thomæ 1. part. diſc. 3. §. 4.

53 In 4. §. à num. 26. perſuadere conatur exemplaritatem Chriſti Domini, & voti Deiparæ Dominæ noſtræ revelatam fuiſſe Monachis, Monialibus, & virginibus veteris teſtamenti, vt ad exemplar illius votum ſuum virginitatis emitterent; ſed quia impoſsibilitas huius novitatis ex Sacra Scriptura, & Sanctis Patribus demonſtratur 1. part. diſc. 1. §. 4. per totum, ab eius impugnatione nunc nos abſtinemus. A §. 5. vſque ad 8. huius ſecundæ propoſitionis inſudat Apologiſta, vt teſtimonijs SS. PP. laudantium Deiparam Dominam noſtram in Primatu virginitatis ſatisfaciat, ſuis certè cavillationibus, & ſophiſmatibus, quorum falſitatem, & inſubſiſtentiam demonſtrauimus 1. part. diſc. vlt. per totum, in quo oſtendimus adverſariorum explicationes, & intelligentias vero Sanctorum Patrum ſenſui repugnare, qui verbis ita expreſsis, & claris dicunt Deiparam primam fuiſſe in voto virginitatis, vt ſine iniuria laudis Dei genitricis, & falſitate in eorum dictis, negari non poſsit Deiparæ Dominæ noſtræ Primatus in tempore, & dignitate.

54 Ex dictis ab Apologiſta ſuam concluſionem ſtatuit §. 9. tamquam in Epilogo, in quo ſequentes propoſitiones continentur. Prima, quod Deipara Domina noſtra exceptis modernis Authoribus, nullum habet pro Primatu voti virginitatis in tempore. Secunda, quod viri, & fęminæ veteris legis pro Primatu ſui voti virginitatis in Synagoga Iudæorum plurima habent teſtimonia Sanctorum Patrum, ita clara, & expreſſa, vt explicationem, & interpretationem in favorem Primatus Dei Genitricis non admittant. Tertia, quod omnia teſtimonia in fauorem Primatus temporis Deiparæ ex Patribus producta, nullius ponderis ſunt, & admittunt genuinam, & propriam intelligentiam in fauorem voti virginitatis Iudæorum, imò quod voto in Synagoga antea emiſſo fauent. Quarta, quod Primatus voti Iudæorum efficatioribus probatur, quam Primatus Deiparæ. Quinta, quod Primatus temporis virginitatis Synagogæ, eſt maior excellentia Deiparæ Dominæ noſtræ. Sexta, quod in lege veteri fuit perfectio ad quam aſpirabant, & conſecuti fuerunt quamplurimi viri inſignes in puritate.

55 Septima, quod in illa lege fuit cognita excellentia, quam virginitas, & aliæ virtutes ex voto accipiebant, & vſus earum cum voto fuit in Sacris Scripturis veteris teſtamenti approbatus, & in populo Iudaico practicatus. Octaua, quod in veteri lege extiterunt communitates cum voto perpetuo virginitatis. Nona, quod lex vetus in ſua imperfectione potuit ſe extendere ad perfectionem voti virginitatis euangelicæ. Has propoſitiones in concluſione ſupponit, vt quidquid Deiparæ Dominæ noſtræ negat in Primatu temporis virginitatis, Sancto Prophetæ Eliæ tribuatur, ſtatuatque verum Religioſum in Synagoga conſtituat antiquiorem Chriſto, Deipara, & Apoſtolis, Elianum, ante euangelium evangelicum, & ante Chriſtum Chriſtianum. Relicta cenſura prædictarum propoſitionum fidei iudicibus, falſitas earum in tota hac controuerſia demonſtratur ex ſacris litteris, & ex Patribus, quorum doctrina manifeſtis, & efficacibus rationibus comprobatur, nunc autem ſolum advertimus, quod prædictis proproſitionibus admiſsis, tota felicitas legis gratiæ in veteri lege fuit, & Chriſtus Dominus excellentia primi Authoris perfectionis euangelicæ priuatur, & Eliæ in veteri Synagoga concluditur, velamen veteris legis tollitur, Regnumque Cœlorum Iudæis demonſtratur, & circumciſsis præmium æternum reuelatur promiſſum, haberetque Synagoga ex meritis Chriſti futuri eadem

media, & eoſdem effectus Sacramentorum, quibus nunc gaudet ex meritis Chriſti paſsi poſſentque Iudæi gloriari de perfectionibus, excellentijs, & prærogatiuis in ſua Synagoga conceſsis, ſicut nos in Chriſti Eccleſia in Cruce Chriſti gloriamur, quod mihi credibile non eſt; an credi poſsit, iudicent alij.

DISCURSUS TERTIUS.

Propoſitio tertia de voto perpetuo obedientiæ veteris legis.

§. I.

Votum obedientiæ Nazaræorum proponit probandum.

56 CERTVM, & indubitatum eſt, quod ad verum ſtatum Religioſum conſtituendum non ſufficit quælibet obedientia etiam ſi voto ſit firmata; ſed requiritur, quod votum, ſiue ſimplex, ſiue ſolemne emittatur in manibus alicuius legitimi Prælati, vel vices illius gerentis, qui poſsit votum admittere, & acceptare, vndè licèt aliqui obedientiam promiſerint, imò, & paupertatem, & caſtitatem alicui particulari, tamquam Patri ſpirituali, veri Religioſi non eſſent, neque in lege ſcripta, neque in lege gratiæ. Ex hac infallibili veritate evidenter colligitur, quod licèt Nazaræi, Rechabitæ, & alij in veteri teſtamento obedientiam aliquam promiſſerint, non indè verum ſtatum Religioſum probarent adverſarij, niſi votum in manibus alicuius legitimi Prælati emiſſum oſtenderent, è authoritate ſuperioris ſtatum illum approbantis, vel confirmantis cum votis. Cætera autem, quæ adverſarij ex veteri teſtamento adducunt, vmbra, & figura ſunt obedientiæ Religioſæ legis gratiæ, vt patet per ſingula diſcurrendo.

57 Votum obedientiæ Nazaræorum perſuadere vult in hoc §. 1. ex vulgari textu Numer. cap. 30. verſ. 3. ibi: *Si quis virorum votum Domino voverit, aut ſe conſtrinxerit iuramento, non facit irritum verbum ſuum, ſed omne quod promiſſerit, adimplebit.* Sed ex hoc textu votum obedientiæ non poteſt inferri, ſed tantum obligatio ad-

im-

implendi vota, & iuramenta facta Deo, vt communiter docent Patres, & Theologi probant votorum, & iuramentorum adimpletionem eſſe de iure diuino; ſed ſpeciale votum obedientiæ huc uſque imaginauit, ex hoc textu probari quoad eius inſtitutionem, & exiſtentiam in veteri lege, ex ipſo textu conſtat nil de paupertate, & obedientia diſponi, nec in ſtatu, nec extra ſtatum Religioſum, ſed de filiabus, & vxoribus, ſiue ſub patria poteſtate, ſiue ſub poteſtate viri fuerint, vt viduis, & repudiatis: de viris autem nullum determinat ſtatum, ſed quidquid vouerint, ad adimplendum conſtringit: ergo ex hac generali diſpoſitione quoad viros, votum paupertatis, & obedientiæ non probatur in particulari, & circa hoc votum expreſsior debuit eſſe diſpoſitio voluntariæ paupertatis, & abdicationis rerum temporalium in populo, cui præmia terrena repromiſſerat Deus ſub illa lege, vt conſtat ex dictis 1. part. diſc. 1. §. 3. per totum: ergo paupertatis votum contra promiſsiones diuinas in illa lege, non poteſt admitti, niſi aliquo textu expreſſo, reuelatio paupertatis, & eius meritum, & præmium explicentur in iure aliquo diuino.

58 Abulenſis ab Apologiſta in §. laudatus vota explicat, & diuidit quoad ſuam emiſsionem, & materiam; ſed ad intentum Authoris nil dicit, nec dicere poteſt, nam hic Doctor ſemper, conſtanterque docuit, quod ſtatus Religionis non fuit in veteri teſtamento, vt ſuis proprijs teſtimonijs, & verbis oſtendimus ſupra 1. part. diſc. 2. §. 2. Vbaldenſis licèt inſignis Doctor, Carmelitanus eſt, & in hac quæſtione non eſt audiendus, qui etiam in hac controverſia dubius eſt, & pro vtraque parte à Doctoribus laudatur.

59 Nec D. Thomas fauere poteſt adverſariorum nouitati, qui pluribus in locis conſilia paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ in veteri teſtamento negat, & à Chriſto Domino ſtatum Religioſum inſtitutum fuiſſe, docet, vt patet ex dictis in 1. part. diſc. 1. §. 2. citato, & loco ab Apologiſta citato ex 1. 2. quæſt. 186. art. 7. expreſsè loquitur de voto obedientiæ emiſſo in ſtatu Religioſo, quem expreſsè negat in veteri teſtamento, ad cuius pleniorem intelligentiam notari oportet doctrina eiuſdem Angelici Præceptoris ex opuſc. 18. cap. 15. in quo vota diſtinguit, quæ ſimplicitèr ſtatum non mutant, ſed ſecundum quid tantum, vt cum aliquis Deo vouet aliquod particulare opus, puta peregrinationem, ieiunium, aut aliquod huiuſmodi, vel aliquod aliud pro aliquo tempore faciendum: alia vero ſunt vota, quæ ſimplicitèr conditionem mutant, & ſtatum, cum totam ſuam vitam Deo voto aliquis obli-

gauit, vt in operibus perfectionis ei deſeruiat: vota hæc,& conſilia quæ ſtatum hominis mutant, & propria legis libertatis ſunt, cum D. Thoma in veteri teſtamento negamus. Cætera autem, quæ in rebus particularibus, ſiue ſpiritualibus, ſiue corporalibus, vel pro aliquo tempore emittuntur; quia conditionem, & ſtatum hominis non mutant ſimpliciter,in lege illa concedimus ab aliquibus emiſſa, vt eſſent inditia futurorum; ſed ex his nec verus ſtatus Religioſus probatur in illa lege, nec vota Religioſa, & Monaſtica inveniuntur in ea,licèt cognitæ fuiſſent eorum virtutes.

§. II.

Argumentum ex voto obedientiæ Rechabitarum diluitur.

60 Rechabitarum obedientiam commendat Deus per Iſaiam contra inobedientiam populi Iudaici; nam exhibito, & propoſito eis vino vt biberent, Jeremiæ cap.35. reſponderunt verſo 6. & 7. ibi: *Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab Pater noſter præcepit nobis dicens, non bibetis vinum vos, & filij veſtri vſque in ſempiternum.* Et verſ. 8. ibi: *Obediuimus ergo voci Ionadab filij Rechab Patris noſtri in omnibus, quæ præcepit nobis, ita vt non biberemus vinum cunctis diebus noſtris,nos,& mulieres noſtræ,filij,& filiæ noſtræ, & non ædificaremus domos ad habitandum, & vineam,& agrum, & ſementem non habuimus.* Ex his arguit: hæc obligatio obediendi in Rechabitis non fuit ex aliquo præcepto naturali poſitiuo humano,vel diuino: ergo ex voto: Conſequentia legitima eſt (vt aſſerit) quia nullum aliud principium inducere poteſt libertati obligationem in rebus perfectionis, & Religionis, niſi votum, aut præceptum,quod autem hæc obligatio ex præcepto non oriretur probat; quia nullum eſt præceptum naturale, & diuinum quod ad illa ſtatuta Rechabitarum conſtringat,neque poſitivum humanum, quia ſi eſſet,vel imponeretur à poteſtatibus illius Reipublicæ, vel à parente ſuo Jonadab,ſed neque illæ poteſtates,nec pater ſub præcepto potuerunt eos ligare in rebus arduis, & difficilimis, vt ait Cornelius Alapide ſuper hunc locum Jeremiæ:ergo obligatio Rechabitarum obediendi Patri ſuo ex voto oriebatur.

61 Ad hoc argumentum reſpondemus ex D. Auguſt. ſup. Pſalm.70.concione 1.vbi ait ibi: *Jonadeb homo fuit quidam, commendatur nobis ex prophetia Ieremiæ,qui filijs ſuis præceperat vt vinum non biberent,neque in domibus reſiderent,ſed in tabernaculis habitarent:præceptum autem Patris filij tenuerunt, & ſeruauerunt, & ex hoc benedici*

à Domino meruerunt: Dominus autem hoc non præceperat, ſed Pater ipſorum. Sic autem hoc acceperunt tanquam præceptum à Dño Deo ſuo, quia etſi Dominus non præceperat, vt non haberent vinum, & in Tabernaculis habitarent, præceperat tamen Dñs, vt filij Patri obedirent: In ea ergo re ſola filius non debet obedire Patri ſuo, ſi aliquid Pater ipſius iuſſerit contra Dominum Deum ipſius, neque enim debet iraſci Pater, quando ſic ei proponitur Deus, vbi enim hoc iubet Pater, quod contra Dominum non ſit, ſic audiendus eſt, quomodo Deus, quia obedire Patri iuſſit Deus. Verbis D. Auguſt. ſolvitur argumentum, nam ex præcepto divino obediendi Patribus obedientiam Rechabitarum provenire docet ex lege diuina, & non ex voto. Docet etiam Auguſt. quod filij obedire tenentur Patribus ſuis in his, quæ præceptis diuinis non opponuntur, quia præceperat Dñs vt filij Patri obedirent, & ſic audiendus eſt Pater quomodo Deus, qui obedire Patri iuſſit. An autem filij teneantur obedire Patribus in rebus arduis, & difficilimis alia eſt quæſtio, ſed nulli dubium poteſt eſſe, quod meritorium ſit, & laudabilius in eis Patribus obedire; hanc igitur obedientiam obiecit Deus in Rechabitis inobedienti populo illi, & propter illam benedixit Deus filios Jonadab, vt advertit D. Auguſt. ibid. & ex ſacro textu conſtat eodem cap. Jerem. ibi: *Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael, vade, & dic viris Iuda, & habitatoribus Ieruſalem, numquid non recipietis diſciplinam, vt obediatis verbis meis dicit Dñs? Præualuerunt ſermones Ionadab filij Rechab, quos præcepit filijs ſuis, vt non biberent vinum, & non biberunt vſque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto Patris ſui.* In quibus præceptum paternum divino comparans, ex minori obligatione Rechabitarum exprobauit Dñs filiorum Iſrael diuinis præceptis inobedientiam, at ſi obedientia Rechabitarum ex voto Deo facto provenitet, de iure diuino eſſet, maiorque obligatio in eis naſceretur ex voto, maiusque peccatum commiteſent non obediendo, ſacrilegium ſcilicèt, quam filij Iſrael, qui ex lege tantum obedire divinis præceptis tenebantur, in quorum tranſgreſsione peccatum mortale tantum committerent: ergo ex ipſo textu infallibiliter refertur, quod Rechabitarum obligatio ex minori præcepto oriebatur, quam Iudæorum obediendi neceſsitas, & conſtat ex eadem doctrina D. Auguſtini, quia Rechabitarum præceptum mediate divinum erat, vel in divino præcepto fundatum, & populi Iudaici immediatum, & à Deo immediatè præceptum in ſua lege, & ſcriptum.

62 Certum igitur, & indubitatum eſt, quod Rechabitarum obedientia ex præcepto fuit, & non ex voto, quod ex ipſo ſacro textu conſtat ibi: *Quia obedierunt præcepto Patris ſui*, ſed adhuc falſa

do-

doctrina adverſariorum admiſſa, quod fuiſſet ex voto, intentum non probant, quia licèt hoc votum emitterent veri Religioſi, ſicut evangelici, Rechabitæ non poſſunt dici, quia in Matrimonio vixerunt, vxores habebant filios, & filias procreantes, vt conſtat ex ipſomet Jerem. loc. citat. ibi: *Ita vt non biberemus vinum cunctis diebus noſtris, nos, & mulieres noſtræ, filij, & filiæ noſtræ*, & propter obedientiam promiſsit eis Dñs generationem eorum permanſuram cunctis diebus, verſ. 19. ibi: *Non deficiet vir de ſtirpe Ionadab filij Rechab ſtans in conſpectu meo cunctis diebus*: ergo Rechabitatus non fuit ſtatus Religioſus in Tribus eſſentialibus votis conſtitutus.

63 Vt hanc difficultatem vincant adverſarij, quamplurima imaginarunt nullo fundamento enixa. Hiſtoricus Propheticus lib. 2. cap. 7. num. 9. quod Jonadab ab Eliſæo inſtructus in diſciplina prophetica, & vita Monaſtica Eremitica omnibus Rechabitis præcepit, vt regulas Eliſæi obſervarent, caſtitate excepta; quapropter à Religione prophetica non ſunt ſeparati, quia in noſtris temporibus videmus, quod Tertiarij S. Franciſci vnum corpus, vnamque Religionem faciunt cum fratribus, & etiam Clerici Ordinum Militarium, qui caſtitatem abſolutam vouent, eamdem Religionem conſtituunt cum equitibus vxoratis ex diſpenſatione Summi Pontificis, quam concederet Jonadab Eliſæus, qui ſupremam habuit poteſtatem in rebus Eccleſiaſticis: Sic in eadem Hiſtoria Prophetica lib. 2. cap. 20. num. 4. edit. 1630. quam ſententiam etiam tenet in Apologia part. 2. §. 10. num. 74. diſtinguens duo genera Rechabitarum, caſtos ſcilicet, & coniugatos; ſed ſicut hæc faciliter effinguntur, facilimè etiam impugnantur. Certum enim eſt, quod Matrimonium Rechabitarum conſtat ex Sacra Scriptura, & votum caſtitatis non reperitur in eis, promiſsio filiorum pro benedictione expreſſa eſt in præcitato loco Jeremiæ. Adverſarij nullo modo, ſtabili fundamento hanc ſuam nouitatem probant, nec iuxta ſua principia defendi poteſt, nam primi Carmelitani dixerunt, quod Elias ſuam Religionem inſtituit virginalem ex Dei expreſſo mandato, vt conſtat ex Ioanne Ieroſolymitano, & Hiſtorico Prophetico, lib. 1. cap. 17. n. 1. edit. 1630. Moderniores Religionem illam caſtam fuiſſe ex Dei inſpiratione dicunt; ſed cum hac inſtitutione ex Dei inſpiratione incompatibile eſt Matrimonium, & filiorum procreatio: ergo tota diſtinctio Rechabitarum in caſtis, & vxoratis ruit.

64 Dicere autem, quod ſicut Pontifex Chriſti Vicarius diſpenſavit in Militaribus Ordinibus, vt equites Matrimonium contraherent, ſic Eliſæus diſpenſauit in Rechabitis vt vxores ducerent in Religio-

ligione Eliana, quia ſupremam poteſtatem habebat in rebus Eccleſiaſticis, gratis dicitur, quia hæc ſuprema poteſtas Eccleſiaſtica non reperitur in ſacris litteris Eliſæo conceſſa, & graui inconuenienti non caret, quia eſſet in illo populo duplex poteſtas ſuprema in rebus Eccleſiaſticis, vna in Eliſæo, vt ſupponitur ab adverſarijs, alia in Summo Pontifice Ieroſolymitano cui conceſſam fuiſſe à Deo conſtat ex Sacra Scriptura, ac perconſequens eſſent in illo populo duo ſuprema capita in rebus Eccleſiaſticis diſpenſandis, quod non eſt dicendum, nec admitti poteſt inter Catholicos: ergo tota Authoris doctrina falſo nititur fundamento.

65 Confirmatur, nam Rechabitis propter ſuam obedientiam promiſit Deus, quod non deficeret vir de ſtirpe ſua cũctis diebus, quæ quidem repromiſsio in benedictionem eorum fuit facta, ſicut in alijs Sacræ Scripturæ locis reperitur alijs expreſſa; ſed votum caſtitatis, & virginitatis opponeretur huic promiſsioni, & benedictioni: ergo à nullo Rechabita fuit factum, nec indigebant diſpenſatione, vt divinę promiſsioni inſiſtentes filios in Matrimonio procrearent.

66 Vt huic argumento occurrant adverſarij, ex Bolduc Carmelitano dicunt, quod ſupra dicta repromiſsio non fuit facta à Deo Rechabitis in generatione carnali, ſed ſpirituali, in filijs, & filiabus ſpiritualibus, quod quidem probant ex eodem Bolduc, quia Jonadab dicitur filius Rechab, cuius nominis non reperitur vir in ſacris litteris, itaque Jonadab filius Rechab dicitur, quia diſcipulus fuit Eliæ, & Eliſæi, qui primi hoc nomine vſi fuerunt. Sic Author vbi ſupra num. 12. & cap. 19. num. 2. & 13. eodem modo explicat Cinęorum generationem, de quibus 1. Paralypomenon cap. 2. verſ. 55. ibi: *Hi ſunt Cinæi, qui venerunt de calore Patris domus Rechab.*

67 Hæc autem ſolutio potius confuſio dicenda eſt, quia multa confundit, quæ Sacræ Scripturæ contraria videntur. In primis falſum eſt, quod huiuſmodi homo Rechab non inveniatur in ſacris litteris, nam præter citatum locum Jeremiæ, Jonadab filius Rechab dicitur 4. Reg. cap. 10. verſ. 15. Et 2. Eſdræ cap. 3. verſ. 14. dicitur ibi: *Et portam ſterquilinij ædificauit Melchias filius Rechab*: ergo ex Sacra Scriptura certum eſt, quod huius nominis homo Rechab extitit in rerum natura. Falſum eſt etiam, quod Cinęorum generatio ex Rechab ſpiritualiter ſit intelligenda; nam enumerans ſacer textus præcipuas generationes, ab Adamo incipiens, inter alias per carnalem propagationem deſcendens à cap. 1. lib. 1. Paralyp. incipiens cap. 2. verſ. 55. Cinęorum ex Rechab enumerat, & ſequentibus

tibus capitibus quamplurimas alias per carnalem generationem refert: omnes illæ generationes ante, & poſt carnales fuerunt, & in hoc ſenſu debent intelligi ſecundum litteram Sacræ Scripturæ: ergo & Cinç orum generatio ex Rechab; nam alias liberum eſſet cuilibet expoſitori quam valet ex alijs ſpiritualem facere, & totus ordo, & ſeries illarum inverteretur: ergo hæc interpretatio ab Apologiſta admiſſa, violenta, abuſiva, & Sacræ Scripturæ contraria videtur: ex qua etiam generatio Chriſti Domini ſecundum carnem, ſpiritualis poteſt dici in eodem ſenſu; nam nullis alijs terminis explicatur, niſi quod ſit filius David, filius Abraham, ſicut dicitur Jonadab filius Rechab: ergo hæc interpretatio hæreticis favet negantibus temporalem generationem ſecundum carnem.

68 Quoad Rechabitas expreſsè in littera conſtat filios, & filias, vxoresque habuiſſe, ibi: *Nos, & mulieres noſtræ, filij, & filiæ noſtræ.* Nullibi enim reperitur mulieres noſtræ in ſenſu ſpirituali appellari, & in ſenſu litterali ſcripturæ veteris teſtamenti filij, & filiæ ſecundum litteram carnaliter intelliguntur; nam regeneratio ſpiritualis non fuit illis revelata, nec cognita, nec tùnc erant media huius regenerationis, vt infra diſc. 5. §. 7. & diſc. 6. §. 1. 2. nec ſtatus filiorum ſpiritualium, quæ quidem generatio lucis eſt, & filij lucis nominamur, & ſumus in lege gratiæ, vt conſtat ex D. Paulo ad Epheſios cap. 5. verſ. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate.* Et 1. ad Theſalonicenſes, cap. 5. verſ. 5. ibi: *Omnes enim vos filij lucis eſtis, & filij diei: non ſumus noctis, nec tenebrarum*; ſed in veteri teſtamento non fuit revelata hæc ſpiritualis filiatio in Domino quoad ſtatum, vt conſtat ex dictis 1. part. diſc. 1. §. 3. ex D. Chryſoſtomo, qui regenerationem ſpiritualem inauditam fuiſſe vſque ad Nicodæmum docet, & D. Auguſtinus lib. 1. de peccato, merito, & remiſsione, cap. 27. ibi: *Nomina eorum erant prius filij carnis, filij ſæculi, filij iræ, filij diaboli, immundi, peccatores, impij; poſtea vero filij Dei, homini nouo, nomen novum, canticum novum, cantanti novum, per teſtamentum novum*: ergo in veteri lege non fuit ſtatus generationis ſpiritualis ex aliqua lege, nec cognita generatio ſpiritualis in illo populo, licèt iuſti filij Dei eſſent quoad animam per gratiam interius infuſſam.

69 Tùm etiam, quia hæc filiatio ſpiritualis fit in Chriſto Domino, vel gratiam eius communicando in aliquo Sacramento, vel per evangelicam doctrinam filios gignendo iuxta doctrinam Apoſtoli dicentis: *Per euangelium ego vos genui*, & alibi: *Filioli mei, quos iterum parturio*; ſed huiuſmodi generatio ſpiritualis non fuit re-

revelata in veteri teſtamento alicui ſtatui: ergo ſub illa lege nullus fuit ſtatus filiorum ſpiritualium: minor probatur, nam nulla regeneratio, & filiatio ſpiritualis fuiſſet revelata, antequam Chriſtus Dñs adoptionem filiorum præſignaret, ſed adoptio filiorum Dei in Transfiguratione Chriſti Dñi fuit præſignata, & revelata: ergo in veteri teſtamento nulli ſtatui fuit revelata regeneratio ſpiritualis: minor probatur ex Oratione Eccleſiæ in feſto Transfigurationis, ibi: *Deus, qui fidei Sacramenta, in Vnigeniti tui glorioſa Tranſfiguratione, Patrum teſtimonio roboraſti; & adoptionem filiorum perfectam, voce delapſa in nube lucida, mirabiliter præſignaſti, &c.* ergo ſenſus ſpiritualis regenerationis, & filiationis non fuit revelatus populo illi carnali, ſed filij, & filiæ ſecundum carnem exiſtimabantur. Denique Emminentiſsimus Capiſuccus loco ſupra citato ait de Rechabitis, quod licèt in eà ſanctitate vitæ degerent, & per totum vitæ ſuæ tempus tabernaculo inſervirent, non tamen votum aliquod paupertatis, continentiæ, & obedientiæ emittebant, ſed in reliquis extra illa, quæ ſibi à Jonadab præſcripta fuerant, laicorum more vivebant, & filios procreabant.

70 Nec valet dicere, quod in Concilio Senonenſe Dec. 9. de voto Monaſtico dicitur ibi: *Si quis igitur votum aliquod huiuſmodi, ſcilicèt obedientiæ, & paupertatis vouerit Domino, etiam ſi perpetuum fuerit, non faciet irritum verbum ſuum, ſed Deiparæ Virginis, Annæ Matris Samuelis, & Rechabitarum exemplo, omne quod promiſsit implenit.* Quæ verba ita clarà, & manifeſta videntur Apologiſtæ, vt nulla alia ponderatione, nec explicatione indigeant, vt votum Rechabitarum concludant.

71 Sed ac hoc argumentum reſpondet Emminentiſsimus Capiſuccus vbi ſupra, & ſuis verbis reſpondeo, ibi: *Ad id quod addebatur de Concilio Senonenſi Provinciali celebratò anno* 1528. *tempore Clementis Septimi Decreto 9. reſpondetur, falſo omninò eſſe, quod Concilium ibi admittat in Rechabitis, & in Anna Matre Samuelis votum quoad ſtatum Religionis, & conſiliorum perfectionem: tantum enim ibi Concilium hortatur fideles ad votorum impletionem exemplo Deiparæ, Annæ Matris Samuelis, & Rechabitarum, qui quod promiſſerant impleverunt, non tamen hi vouerant virginitatem, niſi Beata Virgo.* Verba Concilij ſunt hæc: *Si quis igitur, &c.* vt ſupra, *vbi Concilium admittit in Rechabitis promiſsionem, & votum aliquod, at non admittit in eis votum caſtitatis, ſicut nec in Anna Matre Samuelis, nec in ipſo Samuele, quem conſtat vxorem, & filios habuiſſe, qui numerantur* 1. *Reg.* 8. *Hi ergo ſolum promiſerant Deo ſervitium præſtare in Cultu tabernaculi, & abſti-*

abſtinere à vino cum alijs, qui ſibi præſcripta fuerant, & vota huiuſmodi impleuerunt. Concludit igitur Emminentiſsimus Dominus Cardinalis, quod Rechabitæ votum caſtitatis non emiſſerunt, quod ex Concilio Senonenſi caſtitatis, nec paupertatis, & obedientiæ inferri vota poſſunt, nam alias etiam Anna Mater Samuelis vota huiuſmodi emiſiſſet, ſiquidem ad exemplum ponitur Monachis, & Religioſis, vt ſua adimpleant; ſed Anna nullum ex prædictis votis emiſit, vt conſtat ex Sacra Scriptura: ergo Anna, & Rechabitæ non proponuntur, quia vota emiſſerunt; ſed quia impleverunt, quod promiſſerunt: ergo ex hoc decreto nihil poſſunt probare adverſarij quoad verum ſtatum Religioſum Rechabitarum.

§. III.

Argumentum ex voto obedientiæ Eliſæi, filiorumque Prophetarum, & Eſſenorum proponitur, & impugnatur.

72 UT votum obedientiæ Eliſæi probet, ſupponit Apologiſta in hoc §. quod quando Elias ex divino præcepto Eliſæum in Prophetam vnxit, palioque ſuper humeros impoſito eum operuit, non ſolum vocauit Eliſæum ad miniſterium prophetiæ, ſed etiam ad profeſsionem vitæ Religioſæ. Hoc ſuppoſito votum obedientiæ Eliſæi intendit probare ſub hac forma: Divinæ vocationi ab Elia intimatæ humili executione, & ſumiſsione reſpondit Eliſæus; igitur votum obedientiæ emiſit. Conſequentiam planam vocat ex ſuppoſitione, quod vocatus fuit ad obediendum Eliæ in vita Religioſa: Antecedens conſtare dicit ex Sacra Hiſtoria dicente, quod Eliſæus reliquit Patres, cognatos, bona temporalia, bobes mactauit, & inſtrumenta acquirendi igne conſumpſit in aratro, & ſtatim Eliam ſecutus fuit, vt Magiſtrum, & Prælatum, vt ſignificatur in text u ſacro ex 3. Reg. cap. 19. ibi: *Qui ſtatim relictis bobus cucurrit poſt Eliam.* Et ibid. *Tulit per boum, & mactauit illum, & in aratro boum coxit carnes ſurgenſque abijt, & ſecutus eſt Eliam, & miniſtrabat ei.* Ex quibus Apologiſta ait; omnes ſupra dictas actiones Eliæ, & Eliſæi ſignificare quandam perfectiſsimam obedientiam ex voto ſimillimam obedientiæ, qua Apoſtoli à Chriſto Domino vocati ſequuti ſunt eum: laudat D. Hieronymum, Abulenſem, Hugonem Cardinalem, quorum verba ponderare promittit propoſit. 5. 2.part. §. 7. & propoſit. 4. num. 5. ſed in his

his locis citatis nihil ex his Doctoribus hic laudatis invenitur.

73 Hoc argumentum in ſua prima ſuperficie falſitatem eius oſtendit, & manifeſtat; nam ex ſacro textu ſupra citato vmbra tantum voti obedientiæ colligi poteſt; ſed veritatem in vero ſtatu Religioſo nequaquam inferri certum eſt, & legenti litteram apparet. Multi enim fuerunt, qui Apoſtolos, & Diſcipulos Domini ſequentes, eis miniſtrabant, & obediebant, & votum obedientiæ in vero ſtatu Religionis non emiſſerunt: & alios legimus, & quotidie experimur viros qui Apoſtolicos prædicatores, vel Magiſtros ſequentes, voto obedientiæ non mancipantur, quæ quidem ſequela licèt culmen perfectionis non attingat, laudabilis eſt: ergo ex ſequela Eliſæi, vt in littera ponitur, votum obedientiæ non probatur.

74 Diſcurſus Apologiſtæ ex falſo principio procedit, ſcilicèt, quod Elias non ſolum vocavit Eliſæum in Prophetam, ſed etiam ad profeſsionem vitæ Religioſæ, vt ſupponit probatum; ex quo patet vocationem Eliſæi fuiſſe Religioſam, ex vita Religioſa ab Elia præinſtituta probat, & vitam Religioſam ab Elia fuiſſe inſtitutam, ex hac vocatione Eliſæi, in quo manifeſtus eſt circulus, & omnia probare debet, quod neque in hac Apologia, neque in ſua Hiſtoria Prophetica quamvis hinc indè ſeſe referat, nullibi probabili fundamento novitatem hanc probat, nec probare poteſt.

75 Vt inſubſiſtentia illius diſcurſus appareat, aliqua motiva, ex quibus vitam Religioſam ab Elia fundatam ſupponit, referam. De vocatione Eliſæi ad ſtatum Religioſum agit in Hiſtoria Prophetica lib. 1. cap. 21. & plurima incredibilia ſupponit; nam num. 4. aſſerit quod Elias in deſertum fugit, ieiunavit quadraginta diebus, ab Angelis miniſtratur, viſitatur à Deo in altiſsimis viſionibus, tentatur à Jezzabele, & poſtea ab ipſo Deo, & concludit; quod videtur ſpiritum ſanctum voluiſſe, quod iſtæ Eliæ actiones fuiſſent, figura illorum; quæ Chriſtus Dominus operaturus erat, antequam diſcipulos ſuos convocaret, vt intelligeremus quam ſimiles erant in mente ſua, hæ duæ vocationes; vbi notari oportet, quod in edit. 1630. ideam dixerat opera Eliæ fuiſſe vocationis Chriſti, & in vltima editione 1641. figuram appoſuit; ſed in eadem editione vltima, lib. 2. cap. 1. num. 12. in eamdem incidit ſententiam, vbi ait: tantum reſplendet vocatio prophetica, quod fuerit Religioſa, ſignis manifeſtis, vt cum prima eſſet ianua, & exemplar vitæ caſtæ, conveniens fuit ſic fervoroſam, generoſamque

que fuiſſe, vt in illa quod imitarentur haberent futuri: ergo non ſolum prima ianua, ſed etiam exemplar vitæ caſtæ fuit vocatio Eliæ futuris Monachis legis gratiæ, ac perconſequens Elias eſſet exemplar Monachis futuris, & Chriſtus futurus eſſet exemplar Monachis illis præteritis veteris legis.

76 Hoc ſuum aſſertum confirmare conatur ex textu Reg. ſupra citato, vbi poſt relata verba dicitur ibi: *Quod cum veniſſet Elias ad eum miſsit palium ſuum ſuper illum*, & cap. ſupra citato, num. 8. inquirit Apologiſta: quid ſignificare poteſt hæc ceremonia, niſi vocationem ad ſtatum Religionis? & quo alio efficatius, & expreſſius nunc admiſsionem ad noſtrum ſtatum ſignificamus, niſi noſtri habitus induitione? & ibidem num. 6. ex hoc textu, aliam rationem excogitatis pro habitu Eliano, vocationem Eliæ Chriſti vocationi comparans, multa reflexione digna inculcat. Primum enim, quod Chriſtus Dominus in deſertum exijt ſicut alter Elias, alios quærere ſuæ prædicationis adjutores, & divinæ doctrinæ miniſtros, ſciensque, quod ad ripam Jordanis vbi ſecundus Elias prędicabat, Eſſeni Eliſæi diſcipuli perſeverabant, illuc pergit, & biduum poſt exitum à deſerto, duo ex diſcipulis Ioannis Chriſtum Dominum ſecuti fuerunt, ex quibus vnus vocabatur Andræas, qui primus lapis fundamentalis ædificij Apoſtolici fuit, non dignitate, in qua primus fuit Petrus, ſed tempore, volens Deus, quod in hoc, ſimiles fuiſſent vocationes Elianæ, & evangelicæ; & ſicut in prophetica Jonas fuit primus in tempore, & Eliſæus dignitate, ſic in Apoſtolica D. Andræas tempore præceſſiſſet, & D. Petrus in dignitate.

77 De hac Chriſti Domini prima vocatione aſſerit ibidem: quod eius effectus tantum fuit pro tunc, quod D. Andræas recognoſceret domum Chriſti, & ſuum fratrem Simonem; & alios amicos ſecum ferret, vt Chriſtum Dominum recognoſcerent, & ſe aliquantulum inclinaret ad credendum, quod erat Meſias, quia D. Ioannes Agnum, qui peccata tollebat prædicabat; & ex hac vocatione, ait ibidem, quod neque D. Andræas, neque aliquis alius in domo Chriſti permanſerunt in vita Religioſa: D. Andræas ad Magiſtrum ſuum reddijt, & cæteri alij ad ſua officia, licèt aliquando Chriſtum Dominum commitaverint cum nomine diſcipulorum ſine abdicatione retium, & domorum; annoque ferè elapſo, cum iam ad credendum diſpoſiti eſſent propter miracula, quæ viderant, & Chriſtum audierunt dicentem: *Venite poſt me, & faciam vos piſcatores hominum*; relictis omnibus ſecuti ſunt eum, & lib. 2. cap. 1. num.

num. 11. ad illa verba ex loco citato Regum: *Qui ſtatim relictis bobus, cucurrit poſt Eliam*, ait ibi: Quod duo in his verbis proponit Spiritus Sanctus intelligenda; Primum: virtus illius ſacræ melotæ, quæ ſanctificata in humeris Eliæ, Eliſæum tangens eius intellectum aperuit, vt cognoſceret quanto maiora bona contenta erant ſub pellibus illis, quam in duodecim iugis boum arantibus, corque ſuum à temporalibus rebus eradicavit, quæ ſine mora reliquit: & poſtea num. 12. ait; notum eſſe in evangelio Ioannis, quod licèt primus in Sequela Chriſti fuerit Beatus Andræas, & ſecum in agnitione Domini duxerit fratrem Petrum, cum Chriſto non permanſerunt in domo ſua, nec adhuc firmes in fide Meſsiam credebant, quia ex eodem Evangeliſta conſtat; diſcipulos non credidiſſe Chriſto, niſi viſo in Canà Galileæ nuptiarum ſigno, itaque Andræas, & Petrus non ſe totaliter determinarunt in Chriſti Sequela, quoaduſque plena erat terra ſignis eius, & miraculis, & teſtimonium Ioannis præceſſerat circa ſecuritatem doctrinæ Chriſti, & eius divinitatis, ſed Eliſæus quid fecit? Necdum viſis miraculis in Elia, abſque aliorum conſultatione, ſine alieno teſtimonio cucurrit poſt Eliam; Dei mandatum intelligit in tactu; bobes relinquit, non retia; regimen, non ſervitutem: Sic reſplendet vocatio prophetica in manifeſtis ſignis, quod fuit Religioſiſsima, quia cum prima erat, oſtium, exemplar vitæ caſtæ, oportebat, quod eſſet tàm fervoroſa, tàmque generoſa, quod in ea futuri quid imitarentur haberent, & ſic fecit Deus in vnico inſtanti in anima Eliſæi, quod per multum tempus facit in animabus aliorum. Hæc Apologiſta in ſua Hiſtoria Prophetica loco ſupra citato.

78 Antequam ad ſingula Authoris aſſerta reflectamus, primum generaliter reſpondemus, ex principio falſo procedere, & contra Sanctorum Patrum doctrinam ab Eccleſia receptam, qui omnes conſtanter docent abdicationem rerum temporalium in vita evangelica, & Religioſa ſuum originem, & principium ſummere in illis verbis Chriſti Domini: *Si quis venit ad me, &c. & niſi quis renuntiaverit omnibus quæ poſsidet*, & alibi: *Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia quæ habes, &c.* cui vocationi reſpondentes Apoſtoli ore Petri dixerunt: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Hoc primum principium, exordium, initium, & exemplar vitæ Religioſæ, & abdicationis rerum temporalium, tenent Patres, & conſtanter docent, & hac fide vitam evangelicam profeſsi fuerunt, qui ab origine Eccleſiæ floruerunt in Monachatu degentes, quod quidem ante Chriſti Domini adventum non fuit au-

ditum, vt oſtendimus ex Parenti noſtro Hieronymo in 1.part.diſc. 2. §. 4. & ibidem ex Div. Auguſtino ; & ex D. Bernardo §. 5. & hic demonſtratur ex D. Baſilio Magno in Homilia ad evangelium Lucæ cap. 14. ad illa verba : *Si quis venit ad me*, deſumpta ex lib. 1. Regul. fuſius explicatarum ad interrogationem 8. quæ ab vniverſali Eccleſia recitantur in feſto eiuſdem Sancti Doctoris ad Matut. in 3. Noct. ibi : *Perfecta quidem renunciatio in eo conſiſtit, vt id aſſequamur, ne ad ipſius etiam vita affectionem propenſi ſimus, & reſponſum mortis habeamus, vt non ſimus fidentes in nobis ipſis. Huiuſmodi autem renunciatio initium ſumit ab alienatione rerum externarum, veluti à poſſeſſionibus, ab inani gloria, à viuendi conſuetudine, à rerum inutilium amore : quemadmodum etiam ſuo exemplo nobis oſtenderunt ſancti Domini noſtri diſcipuli, Iacobus quidem, & Ioannes, relicto Patre Zebedæo, & ipſa quoque navicula, de qua omnis illorum victus ratio perdebat: Matthæus vero, cum ab ipſo telonio ſurrexit, ac Dominum ſecutus eſt.* Ex verbis relatis ſatis evidenter conſtat, quod exemplum alienationis rerum temporalium in Apoſtolis primum recognovit D. Baſilius.

79 Quis autem documenta dedit prima, dixerat in initio eiuſdem reſponſionis, ibi : *Cum Dominus noſter Ieſus Chriſtus poſt multa, eaque multis, & rebus geſtis firmiſsimè à ſe tradita documenta ad omnes loquatur, ac dicat, ſi quis venit ad me abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me, & item, ſic igitur quicumque ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus* : ergo exemplum alienationis rerum temporalium ab Apoſtolis, & documenta à Chriſto Domino data fuiſſe docet Baſilius, & expreſſius initium, & inſtitutum ex evangelio prodiſſe, ait ibidem circa finē de hac ipſa alienatione, ibi: *Noſtra converſatio in Cœlis eſt, & (quod omnium maximum eſt) ſimilitudinis, quam cum Chriſto habere debemus initium, qui ipſe cum dives eſſet, egenus factus eſt propter nos, quam ſine controverſia, niſi prius conſequemur, numquam viuendi ex evangelio Chriſti inſtitutum poterimus attingere.* In quibus verbis manifeſtè docet D. Baſilius, quod alienatio rerum temporalium, initium in Chriſto paupere habuit, & inſtitutum ex Sacroſancto ſuo Evangelio: ergo ſecundum hanc doctrinam, quæ Sanctorum Patrum communis eſt, falſa eſt nova imaginatio Authoris de vocatione Eliſæi ad alienationem, & abdicationem rerum temporalium in vita Religioſa ante evangelium evangelica, & ante Chriſti Domini adventum quoad ſubſtantiam, & eſſentiam Chriſtiana, vt ſæpè aſſerit Apologiſta.

80 Hac doctrina Sanctorum Patrum ſuppoſita ex qua conſtat

ſtat Eliſæum non fuiſſe vocatum ad vitam Religioſam, & rerum temporalium abdicationem omnimodam, qualis requiritur ad ſtatum perfectum Religioſum, ad ſingula Authoris dicta reflectendum eſt, vt falſitas eius ſuppoſitionis magis appareát. In primis comparat vocationem Eliæ ad ſtatum Religioſum vocationi Chriſti Domini ad ſuum diſcipulatum, & Apoſtolatum; non ſolum in ſimilitudine, ſed in eſſentia, ſubſtantia, & identitate, vt conſtat ex loco ſupra citato Hiſtoriæ Propheticæ lib. 1. cap. 21. num. 6. vbi aſſerit vocationem propheticam, & Apoſtolicam vnum, & eumdem ſtatum eſſe continuatum, ſicut Nilus hodie tranſiens, & qui præterijt præteritis ſæculis; licèt poſteà à Chriſto Domino ad perfectionem evangelicam fuit ſublimatus, quæ quidem falſa ſunt, quia quocumque modo conſideretur vocationes, vel ratione temporis, vel ex parte vocantium, vel ex parte finis, vel effectus, quoad ſtatum, & hominum vocatorum, vnum, & idem ſtatum quoad ſubſtantiam, eſſentiam, & identitatem conſtituere non poſſunt: ratione temporis, quia Elias vocavit ſub lege ſervitutis, in qua nullus fuit ſtatus quoad eſſentiam, ſubſtantiam, & identitatem legis libertaris, vt oſtendimus 1. part. diſc. 1. per totum, præſertim §. 4. ex parte vocantium nomine eædem poſſunt eſſe vocationes Eliæ, & Chriſti Domini; nam Elias fuit purus homo, Chriſtus Deus, & homo, Elias vocare potuit extrinſicè tantum per verba: Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos vocavit extrinſicè per verba, & intrinſicè gratiam conferens, & auxilia præſtans ad conſentiendum vocationi; neque quoad efectus in vocatis identitas vocationum verificari poteſt, quia alias eoſdem effectus feciſſet Deus in vocatis ab Elia in veteri lege, quos fecit per filium ſuum vnigenitum ob nimiam dilectionem diſcipulorum ſuorum, & Eccleſiæ in lege gratiæ quoad finem divinæ legis conſequendum in vno, & eodem ſtatu ex lege Monaſtica vtriuſque teſtamenti.

81 Nec obſtat, quod Author dicit; quod Chriſtus Dñs poſtea, vel vocationem, vel ſtatum ſublimavit; nam ſibi ipſi contrarius eſt, quia in Hiſt. Proph. lib. 2. cap. 1. num. 12. aſſerit; quod vocatio prophetica manifeſtis ſignis fuit Religioſiſsima in illa lege; quid ſublimius Religioſiſsima vocatione? Tùm etiam ex dictis Authoris ſublimior, & perfectior fuit vocatio prophetica Eliæ Chriſti vocatione: nam illa eſt perfectior, & efficatior vocatio, qua poſita prius correſpondet vocatus; ſed ex traditis ab Authore, Eliſæus ſtatim cucurrit ad Eliam, & ad eius Sequelam in vita Religioſa, & Apoſtoli audita Chriſti Dñi vocatione poſt multum tempus, ferè

anno elapſo,ſecuti ſunt Dominum: ergo ex dictis Authoris, legitimè concluditur vocationem Eliæ perfectiorem, & efficaciorem eſſe Chriſti vocatione, ac perconſequens Author ſibi ipſi eſt contrarius. Tùm etiam: illa eſt perfectior,& efficatior interna vocatio, qua poſita, nullis viſis ſignis, & miraculis conſentit,& credit vocatus;ſed ex dictis Authoris,Eliſæus conſenſit vocationi Eliæ,& ſecutus eſt eum,nullis viſis ſignis,& miraculis,& Apoſtoli conſenſerunt vocationi,& Chriſto Dño crediderunt cum iam orbis terræ plenus erat eorum ſignis,& miraculis: ergo perfectior,& efficatior fuit interna vocatio Eliæ ad ſtatum Religioſum Eliſæi, quam Chriſti Dñi vocatio ad Apoſtolatum. Tùm etiam: illa eſt perfectior,& efficatior vocatio cui correſpondet,& conſentit vocatus, nullo alio ſuadente,prædicante,vel docente;ſed Eliſæus cõſenſit immediatè Eliç, nullo alio ſuadente;& diſcipuli,& Apoſtoli Andræas,&Simon cõſenſerunt vocationi Chriſti ex dicto Ioannis: ergo Eliana vocatio fuit perfectior, & efficatior. Tùm etiam: perfectior, & efficatior vocatio eſt, quæ fit ex mandato Dei vocantis, quam illa quæ fit ex Dei conſilio; ſed Eliſæus ſecutus fuit Eliam, & ei obedivit in vocatione ad vitam Apoſtolicam ex Dei mandato, vt aſſerit Author, & Apoſtoli licèt ad vitam Chriſtianam tenerentur de neceſsitate ſalutis,ad vitam Religioſam, quæ in votis paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis conſiſtit,vocati fuerunt ex conſilio: ergo perfectior,& efficatior fuit vocatio Eliana ex Dei mandato.

82 Certum igitur, & indubitatum eſt, quod ex principijs Authoris, per neceſſariam conſequentiam infertur vocationem internam, & externam Eliæ perfectiorem fuiſſe, & efficatiorem; ſed quia ex principijs falſis procedit, totus diſcurſus Apologiſtæ ruit. Doctrinam, & eius aſſerta non ſolum falſa, ſed etiam legi gratiæ, Apoſtolis, & vocationi Chriſti iniurioſa mihi videntur, quod ſic oſtendo; nam ſupponit Author, quod Eliſæus poſt vocationem Eliæ ſtatim ſecutus eſt eum in alienatione rerum temporalium, & quod Apoſtoli in hac vocatione ſecuti ſunt Chriſtum Dominum poſt multum temporis;ſed ex ſacro textuMatthæi cap.4. expreſsè conſtat Apoſtolos, Andræam ſcilicèt, & Petrum ſtatim vt vocati fuerunt, ſecutos fuiſſe Chriſtum Dominum,vt dicitur Matth.cap.4.ibi:*Et ait illis,venite poſt me,& faciam vos fieri piſcatores hominum, at illi continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Et de Iacob. & Ioan. fratre ibid.*Vidit alios duos fratres Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum reficientes retia ſua, & vocauit eos, illi autem relictis retibus, & patre ſecuti ſunt eum:*

ergo

ergo dictum Authoris de mora Apoſtolorum in vocatione Chri- ſti Domini ad abdicationem rerum temporalium opponitur litteræ evangelij D. Matthæi. Falſum eſt etiam, quod Apoſtoli Chriſto crediderunt, & ſecuti ſunt, iam miraculis, & ſignis orbe terrarum pleno; nam in feſto D. Andreæ legitur ad Matit. ab vniverſali Ec- cleſia Homilia Sancti Gregorij Papæ ad illud Matthæi: *Vidit duos fratres, &c.* Et ait ibi: *Audiſtis, fratres chariſsimi, quia ad vnius iuſsio- nis vocem Petrus, & Andræas relictis retibus ſecuti ſunt Redemptorem. Nulla vero hunc facere adhuc miracula viderant, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant; & tamen ad vnum Domini præceptum, hoc quod poſsidere videbantur, obliti ſunt. Quanta nos eius miracula vi- demus, quot flagellis affligimur, quantis minarum aſperitatibus deterre- mur, & tamen vocantem ſequi contemnimus?* Manifeſta ſunt verba D. Gregorij, & apertus eorum ſenſus: ergo doctrina Authoris de diſ- cipulorum mora in ſua vocatione ad rerum temporalium aliena- tionem opponitur ſententiæ D. Gregorij approbatæ à Sede Apo- ſtolica, & ab vniverſali Eccleſia recepta, indecensque aſſertum hoc Sanctis Apoſtolis, & Chriſti Domini vocationi videtur.

83 Confundit etiam Author in ſuis aſſertis Chriſti Domini vocationes; nam ſecundum Div. Thomam in Matthæum cap. 4. trina fuit vocatio Apoſtolorum. Primò vocati ſunt ad Chriſti fa- miliaritatem in primò anno eius prædicationis ſecundum Ioannem cap. 1. Secundò vocati fuerunt ad diſcipulatum, Lucæ cap. 5. Tertiò vocati fuerunt vt totaliter Chriſto adhærerent, & de iſta vocatione hic cap. 4. Matth. in prima, & ſecunda vocatione non fuerunt vocati Apoſtoli ad rerum temporalium omnimodam alie- nationem, quia ad propria redierunt, vt advertit D. Thomas in Ioannem lect. 15. ibi: *Tertia fuit ad Apoſtolatum, de qua dicitur Mat- thæi 4. quæ fuit perfecta, quia poſtea non redirent ad propria, &c.* ergo ſi Eliſæus vocatus fuit ab Elia ad alienationem rerum temporalium, vt non rediret ad propria; ſed vt totaliter Deo adhæreret, vocatio Eliæ fuit perfecta, ſicut Apoſtolica, & Anthoris aſſertum perver- tit ordinem vocationis Chriſti ſecundum doctrinam D. Thomæ.

84 Quod quidem confirmatur ex doctrina Angelici Ma- giſtri ſuper Ioannem vbi ſupra, qui vocationes Chriſti diſtinguens, & Ioannem Dominum diſcipulis demonſtrantem conſiderans ait ibi: *Quod enim Ioannes inchoauit, conſummatur per Chriſtum, quia ne- minem ad perfectum adduxit lex, vt habetur ad Hebræos 7.* ſed ex eo- dem D. Thoma, Baptiſta incepit vocare diſcipulos ad familiarita- tem Chriſti, & Chriſtus Dominus conſummavit vocationem, eos

vocando ad omnimodam alienationem rerum temporalium, quia neminem ad perfectum adduxit lex: ergo falſum eſt, quod ex dicto Ioannis Apoſtoli ſecuti fuerunt Chriſtum Dominum in abdicatione rerum temporalium, & falſiſsimum, quod in eadem vocatione Eliſæus ſecutus fuit Eliam in omnimoda rerum abdicatione, quia alias ex doctrina D. Thomæ aliquid ad perfectum adduxerit lex.

85 Intentio Authoris in hoc aſſerto manifeſta eſt, quia in tota ſua Hiſtoria Prophetica, & hac Apologia contendit perſuadere, quod Elias fuit Author, & inſtitutor veri ſtatus Religioſi in veteri illa lege cum votis, & conſilijs legis gratiæ, qui quidem ſtatus permanſit vſque ad Chriſtum in filijs Prophetarum Rechabitis, cuius congregationis fuit Caput, Princeps, & Generalis D. Ioannes Baptiſta, vt aliqui ex adverſarijs dicunt, & ex his diſcipulis Ioannis primos Eccleſiæ lapides Chriſtum Dominum elegiſſe ad myſticum, & ſpirituale Eccleſiæ ædificium, & vt tota hæc ſpiritualis fabrica Eliano inſtituto tribuatur, nunc aſſerit, quod diſcipuli vocationi ad vitam Religioſam ex dictis, & prædicatione Baptiſtæ conſenſerunt, vt vocatio diſcipulorum inciperet in vocatione Eliana, quia Baptiſta, vt aſſerunt, tunc erat Elianorum Generalis, quod indè patet, quia libro 2. ſupra citato, cap. 1. num. 12. aſſerit vocationem Elianam fuiſſe oſtium vitæ caſtæ; ergo ex mente Authoris, diſcipuli conſentientes Chriſti vocationi, ad hunc ſtatum per oſtium ab Elia apertum, ingreſsi fuerunt in Chriſti Domini diſcipulatum, quod quidem falſum eſt, nam idem Chriſtus Dñs dixit Ioan. cap. 10. *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur*: ergo ante Chriſti Domini adventum nullum fuit oſtium, per quod in ſtatum evangelicum poſſent homines intrare, neque in eius Eccleſiam ingreſsi fuerunt diſcipuli per oſtium, quod Elias aperuit in ſuo ſtatu Religioſo Monaſtico, neque ex dictis Ioannis Baptiſtæ abdicationi totali rerum temporalium conſenſerunt; ſed ex vocatione Chriſti, eius gratia interna adiuvante, itaque Chriſti Domini vocatio independens fuit à vocatione Eliana.

86 Illud autem de melota Eliæ, de tactu Eliſæi, de ſanctificatione eius, chimæricum eſt, & ſine fundamento; nam inferre Monaſticum, & Religioſum habitum, ex eo quod Elias ſuper humeros Eliſæi palium ſuperpoſuerit, læta quædam imaginatio eſt, quæ nec allegoricum ſenſum facit, vt ex ſe conſtat, quia multi alij reperiuntur in ſacris litteris pallio cooperti, qui hoc diſcurſu Religioſi poterant appellari. Eadem imaginatione confingitur, quod D. Andræas

dræas in habitu Religioſo Eliano ſecutus eſt Chriſtum Dominum Religioſus iam factus in diſcipulatu Ioannis; nam ex Sacra Hiſtoria conſtat Ioannis cap. 1. citato, quod ad propria rediit, & piſcatoriam artem exercuit vſque ad tertiam Chriſti vocationem: ergo nec Religioſam vitam degebat in diſcipulatu Ioannis, nec in habitu Religioſo Eliano venit ad Chriſtum, ſed in habitu piſcatorum, ſicut Petrus ſuus frater. Sunt ergo Authoris aſſerta nec rationi conſentanea, nec litteræ textus convenientia, ſed Sacræ Hiſtoriæ contraria, vt oſtenditur 1. part. diſc. 2. §. 1.

87 Nec minus abuſiva, & violenta ſimilitudo eſt illa de Primatia temporis in vocationæ Jonæ, & dignitatis Eliſæi ad ædificationem, vel inſtitutionem Ordinis Eliani, vt ſimilis eſſet vocatio prophetica evangelicæ, in qua D. Andræas fuit primus vocatus in tempore, & D. Petrus in dignitate ad vitam Apoſtolicam, quia nullibi conſtat Jonam vocatum fuiſſe ab Elia ad vitam Religioſam Monaſticam. Tùm etiam, quia nulli dubium eſt, vocationem ad diſcipulatum, & vitam Chriſtianam præceſsiſſe electioni Apoſtolorum, quæ facta fuit ex omnibus diſcipulis, vt conſtat Lucæ cap. 6. ibi: *Et cum dies factus eſſet, vocauit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominauit, Simonem, quem cognominauit Petrum, & Andræam fratrem eius, &c.* In hac electione primus fuit electus Petrus tempore, & dignitate. At vero in vocatione ad vitam Chriſtianam, & familiaritatem cum Chriſto, & diſcipulatum eius, primus vocatus, & primus Chriſtianus fuit D. Andræas, vt docet D. Thomas in Ioannem cap. 1. de vocatione D. Andreæ, ibi: *Tùm, quia prior converſus eſt ad fidem Chriſti perfectè, tùm etiam, quia Chriſtum prædicauit; vndè ſicut Stephanus fuit primus Martyr poſt Chriſtum, ita & Andræas fuit primus Chriſtianus*: ergo ſimilitudo vocationis propheticæ, & evangelicæ ab Authore tradita confundit vocationem ad fidem, & electionem ad Apoſtolatum, ad quem D. Petrus fuit primus electus tempore, & dignitate, & primus lapis fundamentalis Eccleſiæ, & Apoſtolatus hoc nomine à Chriſto Domino inter alios vocatus.

88 Satis ex dictis conſtat, quibus fundamentis, & rationibus conantur adverſarij poſt tot ſæcula introducere in Dei Eccleſiam Monachatum verum circumciſſum Elianum, & votum obedientiæ Eliſæi ad vocationem Eliæ ad vitam verè Religioſam, & Monaſticam, vocationem Chriſti Domini confundentes cum vocatione Eliæ in veteri teſtamento, ſine diſtinctione veteris legis, & gratiæ. Patres Eccleſiæ, qui Eliſæi obedientiam, & paupertatem lau-

laudant, votum in vita Religioſa nequaquam dicunt emiſiſſe, ſed vmbram tantum veri ſtatus Monaſtici recognoſcunt in his, & alijs Sacræ Scripturæ veteris teſtamenti factis, vt ex ipſi verbis conſtat, & ex dicendis conſtabit diſcurſu ſequenti, §. 2.

DISCURSUS QUARTUS.

Propoſitio quarta Authoris proponitur, ſcilicèt, in veteri lege fuit votum voluntariæ paupertatis, & impugnatur.

§. I.

Argumentum ex Rechabitis reijcitur.

89 ANTEQVAM Ad votum paupertatis deſcendat in particulari, duo ſupponit vt certa. Primum quod in veteri lege extiterunt viri generoſi ſpiritus evangelij diſcipuli, qui voluntariè temporalia contemnentes in paupertate evangelica, bona quærebant æterna. Secundum quod hæc paupertas non ſolum ab aliquibus particularibus perſonis, ſed etiam in communitatibus integris fuit obſervata. In prima propoſitione concedimus aliquos in veteri teſtamento extitiſſe, quibus vita ſpiritualis evangelica revelata fuit, ſed hi pauci fuerunt, vt oſtendimus ex D. Auguſtino 1. part. diſc. 1. §. 3. ex his paucis intellectoribus Regni Cœleſtis, ferè omnes ſecundum promiſſa in illa lege potentes erant in ſuis divitijs, quia licèt ſpiritus paupertatem cognoverint, ex charitate populo adhærebant ſecundum doctrinam D. Bernardi ex ſermone de verbis Domini: *Ecce nos reliquimus omnia*, ſupra citato 1. part. diſc. 2. §. 5. ergo paucißimi fuerunt, qui in paupertate voluntaria degebant ſub illa lege, & hi iuſti, & ſpiritu pauperes interno inſtinctu divitias contempſerunt, non vero ex aliqua lege, vel conſilio legis veteris, neque ex voto, quia nec lex, nec votum, nec conſilium reperitur in veteri teſtamento circa divitiarum contemptum, vt advertimus ex

ex Patenti noſtro Hieronymo 1. part. diſc. 2. §. 4. imò in toto veteri teſtamento promiſsit Deus divitias pro præmio, vt conſtat ex dictis 1. part. diſcurſ. 1. §. 3. & 4. & alibi: infra 3. part. diſcurſ. 1. §. 4. & 5.

90 Ex hac doctrina, quæ inter Sanctos Patres communis eſt, & litteræ legis, ſtatuique illius populi conformior, concluditur falſitas ſecundæ propoſitionis, ſcilicèt, quod in veteri teſtamento extiterunt integræ communitates voluntariam paupertatem tenentes propter præmia æterna, nam hæc paupertas ſtatum ſupponit. Si ſtatus obſervandi paupertatem propter præmia æterna, & Regnum Cœlorum eſſet in veteri teſtamento ex inſtitutione ſtatus, & votorum emiſsione, revelaretur Regnum Cœlorum omnibus profiteri volentibus, & conſequenter omnis populus Iudaicus ſciret Regnum Cœlorum eſſe promiſſum æternum, vt Fauſtus, & Pelagius docuerunt, quod damnant Patres, & Doctores Eccleſiæ, præſertim Hieronymus, & Auguſtinus, vt oſtendimus ſupra loco citato §. 3. & 4. ergo ſuppoſito Authoris in hac propoſitione de paupertate voluntaria in communitatibus veteris teſtamenti impoſsibilem, & falſam continet doctrinam. Nos igitur cum Sanctis Patribus, & Doctoribus concedimus aliquos in veteri teſtamento, diverſiſque temporibus, & ſæculis in paupertate voluntaria ex Dei interno inſtinctu vixiſſe, vt eſſent figura, & inditia futurorum pauperum legis gratiæ, ſed in vero ſtatu lege externa, vel voto in veteri teſtamento voluntariam paupertatem fuiſſe obſervatum negamus ex dictis in tota 1. part. & nunc ad fundamenta adverſariorum reſpondemus.

91 Primum argumentum proponit in hoc §. 1. ex Hieremia cap. 35. ſupra citato, in quo præcepit Deus Rechabitis, ibi: *Domum non ædificabitis, ſementem non ſeretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis, ſed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus veſtris.* Abulenſem laudat in 1. Paralyp. 3. quæſt. 21. ibi: *Per hæc intendebat Jonadab ducere filios ſuos ad quatuor perfectiones, prima erat paupertas voluntaria ſecunda contemptus rerum, nam faciebat quod ſui ſui contemnerent omnes divitias ſæculi, & ceſſantes ab his ducebant vitam pauperem: iſta etiam fuit perfectio evangelica, quia venientes ad Chriſtum relinquebant omnia, & ſequebantur ipſum, ſicut dixit B. Apoſtolus Petrus: ecce nos reliquimus omnia*, citatque Rabanum Maurum dicentem: *Reſpuentes poſſeſsiones, ipſas Deo obtulerunt.* Et Theodoretum ibi: *Vitam curis vacuam, & prædijs carentem adamaucrunt, & quod maximè omnium ſuperat opinionem, habentes liberos, parvi pendebant*

poſſ-

poſſeſsiones, toti quoad ſe, ſuaque à fiducia in Deum pendentes. Reprodiicit etiam Concilium Senonenſe decreto nono cuius verba refert propoſit. 3. num. 10. ex quibus ſequens format argumentum. Vnum ex præcipuis capitulis Rechabitarum inſtituti erat voluntaria paupertas, vt conſtat ex dictis, ſed hoc inſtitutum, & obediendi Patri promittebant cum voto, vt in ipſa propoſit. 3. num. 8. & 9. remanet probatum: ergo votum paupertatis emittebant, quia Religioſus promittens obedientiam ſecundum regulam, licèt nil aliud exprimat, paupertatem, & caſtitatem promittit, quia iſtæ obſervantiæ ſunt ſubſtantiales ſtatus, & inſtituti, vt docet D. Thomas, & doctè explicat Suarez.

92 Sed ex falſis principijs procedit argumentum; ſemperque ſupponens inſtitutum Rechabitarum ex voto, quod falſum eſt, vt probavimus de voto obedientiæ ſupra diſcurſ. 2. §. 2. ex Auguſtino, & rationibus ibi adductis, ex quibus formatur ratio contra votum paupertatis: eodem principio obligabantur Rechabitæ ad paupertatem, quo tenebantur ad obedientiam, ſed ad obedientiam non tenebantur ex voto, ſed ex præcepto paterno: ergo neque ad paupertatem. Maior conſtat ex littera textus, Minor ex dictis loco citato, conſequentia legitimè infertur, & ex littera textus conſtat, quod Rechabitæ ex lege paterna illam paupertatem obſervabant. Nunc autem ex eodem textu contra votum paupertatis inſurgimus. Niſi quis renuntiaverit omnibus quæ poſsidet, non poteſt eſſe verus pauper voto Religioſo evangelico, vt conſtat ex ipſo evangelio, & ex verbis Chriſti Domini; ſed Rechabitæ ex ſuo inſtituto non renuntiabant omnibus, ſed domui, ſementibus, & vineis: ergo non erant pauperes ex voto paupertatis Religioſæ, quia alia poterant habere bona mobilia, vel immobilia, quæ in ſuo ſtatu non erant prohibita. Hoc argumentum efficaciter probat, quod ex littera textus inſtitutus Rechabitarum non præcipiebat omnimodam abdicationem rerum temporalium, ſicut expreſsè continetur in evangelio, erat enim tantum figura, & ad perfectionem legis gratiæ non adduxit paupertatem vetus lex: Probent igitur adverſarij omnimodam paupertatem, & votum in Rechabitarum inſtituto ex aliquo ſacro textu, vel Doctore antiquo, vt ſuum concludant intentum; nam ex laudatis contrarium infertur. Abulenſis votum paupertatis in veteri teſtamento abſolutè negat pluribus in locis, & præcipuè ſupra citato 1. part. diſc. 2. §. 6. & ex ipſis verbis ab Authore relatis conſtat, quod Rechabitæ paupertatem non obſervabant in vero ſtatu Religioſo, ibi: *Nam faciet-*

ciebat vt filij ſui contemnerent omnes divitias, at filios procreare non poterant in vero ſtatu Religioſo: ergo Abulenſis conſequenter ad ſuam doctrinam votum paupertatis, & verum ſtatum Religioſum in Rechabitis negat. Quibus renuntiaverint Rechabitæ explicuit Abulenſis loco citato, & ſimilitudinem tantum paupertatis evangelicæ docet ibi: *Quia delectabile eſt poſsidere domos & agros, & habitare in pulchris, & diſpoſitiſsimis domibus, & hæc omnia ſubtrahebat Ionadab poſteris ſuis; nam non poterant habitare in domibus, neque ædificare illas, neque etiam ædificare, vel plantare vineas, & ſerere ſementem, & iſta perfectio aſimilatur perfectioni Religionis, quæ eſt in continentia.* Et ibi: *Quod iſti erant viri Religioſi in veteri teſtamento, ſicut nunc ſunt Monachi.* Eſt ergo Abulenſis ſententia manifeſta, quod illa paupertas Rechabitarum aſsimilativa tantum erat perfectionis Religionis, & quod Rechabitæ viri Religioſi fuerunt ſymbolici, & figurativi in veteri teſtamento, nam in 4. Reg. cap. 4. aſſerit, quod tunc non erat Religionis votum, nec ſtatus continentiæ, qui poſtea in novo teſtamento inſtitutus eſt.

93 Theodoretus nullo modo novitati adverſariorum favet, quia licèt parvipendiſſe poſſeſsiones Rechabitas dicat, votum non explicat, pauperes tantum fuiſſe concluditur, quod nos etiam concedimus, & filios procreaſſe expreſsè afirmat, quod vero ſtatui Religioſo evangelico repugnat. Rabànus Maurus poſſeſsiones ſuas Deo obtuliſſe dicit, quod ſine voto fieri poteſt, & multi poſſeſsiones ſuas Deo, & Eccleſiæ obtulerunt ſine paupertatis voto, vt conſtat: ergo ex traditis ab Authore votum paupertatis Rechabitarum non probatur, ſed contrarium infertur quoad ſtatum Religioſum.

§. II

Votum paupertatis Eliſæi excluditur.

94 Pauperem Sanctorum Prophetam Eliſæum fuiſſe ex Sacra Scriptura conſtat 3. Reg. cap. 19. vbi dicitur, reliquiſſe boves, mactaſſe illos, & pauperem etiam Eliam ſecutum fuiſſe. Quæ omnia ex Dei ſpeciali inſtinctu feciſſe in illa lege, vt eſſet figura futurorum legis gratiæ, vt certum ſupponimus, votum vero, & profeſsionem huius ſtatus cum abdicatione omnium rerum temporalium, & affectuum, ſicut fit ex Chriſti inſtitutione poſt

præ-

prædicationem evangelij negamus, quia ex loco citato Regum non infertur; & doctrinæ Sanctorum Patrum pugnat. Vt adverſarij votum Eliſæi probent D. P. N. Hieronymi authoritatem afferunt, ex epiſt. 28. ibi: *Boves, & iuga prioris operis vetit in vota.*

95 Ad hoc argumentum reſpondet Emminentiſsimus Dominus Capiſuccus controv. 16. ſæpè citata, ibi: *Hieronymi ſenſum apertum eſſe, nam cum dicit Eliſæus boves, & iuga prioris operis vertit in vota, nomine voti intelligit deſiderium, quod Eliſæus oſtendit cum dicenti ſibi Elia: Poſtula quod vis, vt faciam tibi, antequam tollar à te, ipſe reſpondit: Obſecro, & fiat in me duplex ſpiritus tuus; nam his verbis Eliſæus, quod ab Elia deſideraret, oſtendit, ſcilicèt, quod fieret in ipſo duplex ſpiritus Eliæ, deſiderium autem elegantius dicitur votum, vt certum eſt apud omnes.* Et poſt pauca ad rem ibidem: *Vndè cum Hieronymus de Eliſæo tantum dicat, quod bobes, & iuga prioris operis vertit in vota, ex hoc quoque evidens eſt, ipſum votorum nomine deſiderium illud Eliſæi intellexiſſe; falſo autem aliqui teſtimonium illud Hieronymi allegant, adducentes etiam in Elia, vertit in vota Elias, &c. nam Sanctus Hieronymus in epiſtola illa hoc prorſus modo loquitur, Elias cur raptus ad Cœlum melotem reliquit in terris, Eliſæus boves, & iuga prioris operis vertit in vota.* Optimè quidem explicat Doctorem Maximum Emminentiſsimus Cardinalis; nam in fraſi D. Hieronymi Patris Noſtri votum deſiderium ſignificare certum eſt, vt conſtat ex epiſtola 80. ad Auguſtinum, ibi: *Vt quos gladijs nequeunt, voto interficiant.* Ergo in ſenſu Doctoris Maximi votum deſiderium efficax ſignificat, vt explicat Emminentiſsimus Capiſuccus. Hoc deſiderium in Eliſæo concedimus, & ex Patre noſtro Hieronymo votum paupertatis inferri conſtanter negamus ex ſua doctrina, quia ad filiam ſuam Euſtochium epiſt. 22. dixerat, quod numquam auditum fuerat in veteri teſtamento verbum Domini dicentis: *Si quis vult venire poſt me, &c.* in quibus abdicatio rerum temporalium continetur, vt latè oſtendimus 1. part. diſc. 2. §.4. & ibidem, quod nullus invenitur Doctor in Synagoga, qui doceat ſectandam eſſe paupertatem: ergo ex paupertate Eliſæi votum non infertur in ſententia Div. Hieronymi P. N. & in collectis, ſeu orationibus Eccleſiæ frequenter vota pro deſiderijs proponuntur.

96 Nec favet adverſarijs (vt contendit Apologiſta) Theologorum argumentum, qui ex verbis Chriſti, paupertatem conſulentis: *Niſi quis renuntiaverit, &c.* votum colligunt; quia quidquid à Deo conſulitur materia voti eſt; ergo ex paupertate Eliſæi

vo-

votum colligi poteſt. Sed hoc argumentum ex novo ad vetus teſtamentum procedit, & non probat, niſi quod votum paupertatis figuratum fuerit in veteri teſtamento, non vero quod in veritate legis gratiæ emiſſum fuerit in lege veteri. Tùm etiam, quia paupertas, vt à Chriſto Domino in abdicatione rerum temporalium conſulitur in evangelio, non reperitur propoſita, nec conſulta in veteri teſtamento, in quo divitiæ proponebantur vt præmium; ſed ſi aliqui in paupertate ſpiritus vixerunt ex Dei ſpeciali, internoque inſtinctu eam cuſtodiebant, quo conſtitui non potuit ſtatus pauperum ſub illa lege: ergo à novo ad vetus teſtamentum quoad votum non valet argumentum. Doctrina D. Thomæ ab Apologiſta tradita hic, & ſæpè repetita ex 2. 2. art. 6. ad 1. vbi aſſerit, ibi: *Hæc autem immobilitas ſequellæ Chriſti, firmatur per votum*, impertinens eſt ad adverſariorum intentum; nam ibi Angelicus Doctor loquitur de immobilitate ſequellæ Chriſti in vero ſtatu perfectionis, qui lege aliqua externa ligante, vel ſolvente conſtituitur, vel voto, vt docet ibidem D. Thomas; ſed extra ſtatum certum eſt, quod paupertas, ſicut & aliæ virtutes ſine voto acquiri poſſunt, quia alias nullus eſſet pauper ſpiritu, niſi qui voto in aliqua Religione firmaretur, nec aliæ virtutes perpetuo obſervari poſſent ſine voto, quod non eſt dicendum: ergo benè potuit Eliſæus relinquere propria, & ſine illis vivere abſque paupertatis voto, nec Eliſæus ſecundum litteram textus, omnia reliquit, ſed boves, & aratrum, quæ ſunt mobilia: Apoſtoli vero ſecundum inſtitutionem Chriſti, omnia reliquerunt: *Ecce nos reliquimus omnia, &c.* ergo argumentum ex Apoſtolis ad Eliſæum ex littera novi, & veteris teſtamenti ſolvitur.

97 Nullius momenti eſt Apologiſtæ ratio, quæ ex verbis Apoſtolorum: *Ecce nos reliquimus omnia*, confirmare intendit argumentum factum, ex eo quod Theologi, & præcipuè Pater Suarez, contra quem ſpecialiter invehitur in tota hac Apologia, conformiter aſſerunt; quod perfecta renunciatio rerum temporalium neceſſario votum petit, quia perfectè non relinquit poſſeſſa, qui ius ad illa poſsidenda ſibi reſervat: ergo ſi Sanctus Propheta Eliſæus perfectam fecit ſuam alienationem perpetuam, votum emiſſit ſecundum Doctorum Catholicorum diſcurſum, & argumentum. Sed hæc Apologiſtæ confirmatio ex falſo procedit ſuppoſito, ſicut & argumentum ab eo factum. Doctrina Patris Suarez vera, Catholica, & evangelica eſt, & conſequentia Authoris non infertur, quia ſupponit Eliſæum perfectam feciſſe renunciationem rerum temporalium, quoad affectum, & effectum, quę quidem in

Chriſto Domino incepit, vt ſæpè ex Patribus diximus locis ſupra citatis, & ex D. Baſilio oſtendimus hic, diſc. 2. §. 3. Nec argumentum ad perfectam renunciationem Eliſæi ex D. Ambroſio, Abulenſi, Lyra, & Valentia factum ab Apologiſta vmbram voti habet; quia neque ex illis votum concluditur, nec innuitur, & votum in Chriſto incepiſſe docent Abulenſis, Valentia, & alij.

98 Ex Sacra Tridentina Synodo arguit ſeſsione 25. de Regularib. cap. 2. in qua diſponitur, ibi: *Nemini Regularium, tàm virorum, quàm mulierum, liceat tamquam propria, aut etiam nomine Conventus, poſsidere, vel tenere, ſed ſtatim ea ſuperiori tradatur, Conventuique incorporentur.* Sed 4. Reg. cap. 4. Devotus quidam obtulit Eliſæo viginti panes ordeaceos, quos Sanctus Propheta ſibi non reſervavit, ſed diſtribuere præcepit inter Religioſos Conventus prophetici, & ait Salianus, quod hoc fecit, quia de communi vivebant vt viri Religioſi, itaque noluit ſibi retinere, ne paupertati quam profitebatur contrahiret Sanctus Propheta: ergo Eliſæus votum paupertatis emiſſerat.

99 Suppoſita veritate decreti Sacræ Tridentinæ Synodi, reſpondemus, minorem propoſitionem multa falſa extra, & contra Sacram Hiſtoriam continere; verba ex cap. 4. Reg. 4. ſunt hæc, ibi: *Vir autem quidam venit de Baal-Saliſa deferens viro Dei panes primitiarum, & viginti panes ordeaceos, & frumentum novum in pera: at ille dixit, da populo vt comedat: reſponditque ei miniſter eius, quantum eſt hoc, vt apponam coram centum viris? Rurſum ille ait, da populo, vt comedat, & ſupererit, poſuit itaque coram eis, qui comederunt, & ſuperfuit iuxta verbum Dei.* In quibus conſtat ſolum verũ eſſe ex Apologiſtæ dictis in minori propoſitione, quod vir ille obtulit Eliſæo viginti panes ordeaceos, cætera autem, ſcilicèt, Religioſorum Conventus propheticus, vitaque communis chimærica ſunt, & contra literam ſacri textus, nam ibi dicitur: Da populo, vt comedat: ergo viri illi centum ex populo erant, vel populum conſtituebant: ergo non erant in aliquo Conventu prophetico, in quo votis Religioſis ligabantur, ſed Eliſæum tamquam ex populo ſequebantur. Nec valet dicere: congregationem illam, ſeu populum componi ex filijs Prophetarum, quia filij Prophetarum, de quibus ibi ſacer textus filij per carnalem ſucceſsionem Prophetarum erant, vt conſtat eodem cap. 4. ex littera, præcipuè, ibi: *Mulier quædam de vxoribus Prophetarum clamabat ad Eliſæum dicens, ſervus tuus vir meus mortuus eſt*, verſ. 1. & verſ. 17. de Sunamitide, quæ ex illis erat, ibi: *Concepit mulier, & peperit filium in tempore*, & verſ. 14.

In

In medio populi mei habito: ergo ex ſacro textu congregatio illa, ſeu populus ex filijs Prophetarum viris,& mulieribus vxoratis conſtituebatur, qui ſeorſim habitabant in illo populo. Vbi igitur erat Conventus ille propheticus in vita communi,& in paupertate,obedientia, & caſtitate? Nec Salianus favet novitati Authoris, verba eius ſunt ibi: *Acceptum munus Eliſæus in communem impendit vtilitatem, erat enim eis menſa communis, vt Religioſis viris, nec Eliſæus ſibi proprium habere voluit paupertatis ſtudio repugnante.* Vtilitas communis, communis vita Religioſa non eſt, nec ſtudium paupertatis votum, ſed deſiderium: ergo verba, & ſenſum Saliani extorquet Author, vt votum paupertatis in vero ſtatu Religioſo, & Monaſterio prophetico reperiatur,quod non ſomniavit Salianus.

§. III.

Votum paupertatis filiorum Prophetarum minimè probatur.

100 DIv. Hieronymum P. Noſtrum pro voto paupertatis filiorum Prophetarum laudat in epiſtola 4. dicentem, ibi: *Filij Prophetarum quos Monachos veteris teſtamenti legimus ædificabant ſibi caſulas propè fluenta Jordanis,& turbis vrbium derelictis,polenta,& herbis agreſtibus victitabant.* Ex quibus Author ſequens format dilema: vel Sanctus Doctor laudat in Monachatu paupertatem, vel in paupertate Monachatum, & quodcumque dixerit, recognoſcit paupertatem Monaſticam, quæ voto conſtituitur perpetuo; ſed ſi attente conſiderentur verba Doctoris Maximi paupertatem, & Monachatum veteris teſtamenti laudat, & votum paupertatis evangelij excludit, nam ædificaſſe caſulas ſibi propè fluenta Jordanis dicit, quod voto paupertatis evangelico repugnat, quod nihil ſibi retinere præcipit,quia in omnium rerum abdicatione conſiſtit: ergo ex ipſis verbis Doctoris Maximi ſatis apertè colligitur Prophetarum filios votum evangelicæ paupertatis non emiſiſſe; ſed paupertatem ſervaſſe ſecundum imperfectionem illius legis, vt eſſent figura pauperum legis gratiæ, nec aliter poteſt intelligi Maximus Doctor, quia Monachos eos appellat, ſiquidem Monachus ſolum ſignificat ſecundum eiuſdem Doctoris Maximi ſenſum, & cum in veteri teſtamento Monachos fuiſſe dicit, vmbraticos, & figurativos intelligere debemus, quia omnia in figura contingebant

in

in illa lege, ſicut nunc etiam Pontifices in veteri teſtamento legi-mus, & veros Pontifices in ſtatu Pontificali legis gratiæ negamus.

101 Ratio, qua Apologiſta intendit probare votum paupertatis filiorum Prophetarum deſumitur ex dictis ſuperiori §. de Eliſæi voto, ex panibus inter Religioſos prophetici Conventus diſtribatis ſubditos Eliſæi obedientiæ, & infert: ergo votum paupertatis emittebant, ſiquidem nil aliud poterat eſſe cauſa huius obligationis inter Subditos, & Prelatos; ſed hoc argumentum eiſdem rationibus reijcitur, quibus votum Eliſæi ſuperiori §. impugnatur, & ex dictis ibi evidenter concluditur, quod filij Prophetarum paupertatem non obſervabant in vita Religioſa; nam vxores habebant, filioſque generabant, caſulas ſibi, & familijs ſuis ædificabant propè fluenta Jordanis, populumque conſtituebant, vt conſtat ex 4 Reg. 4. ſupra citato: ergo paupertatem non ſervabant voto aliquo in vero ſtatu Religioſo emiſſo, ſed voluntariè pauperes erant in domibus ſuis cum vxoribus, filijs, & filiabus ſuperflua contemnentes, non omnia.

102 Vim huius rationis ex littera textus deductæ conantur infringere adverſarij dicendo; quod filij Prophetarum Eliſæi diſcipuli ſpiritualiter ſunt intelligendi ſecundum filiationem ſpiritualem, qua per obedientiam Prælati Patres dicuntur, & ſubditi filij appellantur. Sed contrarium habetur in ſacro textu, in quo, & concepiſſe vxores legimus, & filorum ſuorum viros ſuos Genitrices appellabant Patres, quod Matrimonium, & carnalem generationem litteraliter ſignificat. Tùm etiam quia filij Prophetarum dicuntur in illo populo, ſeu congregatione: ergo tot eſſent in ea Prę-lati, quot Prophetæ filios procreantes, eſſetque illa Congregatio potius confuſio, quam ordo, & vnum non poterat conſtituere Conventum propheticum, quia in quolibet Monaſterio vnus debet eſſe tantum Prelatus & Pater. Tùm etiam, quia filiatio ſpiritualis ſummam habet difficultatem in veteri teſtamento, in quo cultus Dei per carnalem generationem propagabatur, vt docent D. Auguſtinus, & D. Thomas, & cum eis Theologorum Schola convenit, cum autem propagatio per generationem ſpiritualem divini cultus in Chriſto Domino incepit per ſuum Sacroſanctum Evangelium, impoſsibile videtur, quod Iudæis revelata fuiſſet, & in populo carnali filij ſpirituales appellantur, in ſpiritu Eliæ, & Eliſæi geniti.

103 Nec valet dicere, quod eſſent geniti, & regenerati in ſpiritu Chriſti Domini revelati, ſicut iuſti illius legis, filij erant Dei

ex gratia Chriſti futuri, qua iuſti erant. Nam licèt verum ſit, quod iuſti veteris teſtamenti filij Dei eſſent per gratiam Chriſti futuri, non habebant tamen ſtatum filiorum, ſed ſervorum, quia erant ſub lege, ac conſequenter ſub ſpiritu timoris, & ſervitutis, & pro illo ſtatu carebant fructu adoptionis, & non poterant cæleſtem hæreditatem cernere, antequam eam aperiret Chriſtus, qui à Jugo, & ſervitute legis nos liberando vnicum adoptionis, & amoris ſpiritum in lege noua ſubſtituit, vt ex Chryſoſtomo, Anſelmo, & Auguſtino docet Cornelius Alapide in epiſt. ad Galat. verſ. 4. ergo in veteri teſtamento nulla fuit filiatio, & regeneratio in ſpiritu Chriſti in aliquo ſtatu, nec illi dicebantur filij Prophetarum, quia regenerati fuerunt ſpiritualiter in ſtatu Religioſo vero eſſentialiter, & ſubſtantialiter evangelico, ſed quia verè geniti erant per carnalem generationem, & nati ex vxoribus Prophetarum, vt ait ibidem ſacer textus: cæteri autem Doctores ab Apologiſta laudati, vt Caſianus, & Iſidorus voluntariam paupertatem, & eius ſtudium laudant in filijs Prophetarum, quod nos etiam concedimus cum Parenti noſtro Hieronymo, ſed totalem, & omnimodam abnegationem evangelicam, quæ per votum fit ex ſacris Doctoribus non indè infertur, vt legenti eorum verba patebit, nec aliquid aliud conſideratione dignum ab Apologiſta pro voto paupertatis hic affertur.

§. IV.

Eſſenorum votum paupertatis etiam impugnatur in veteri lege.

104 SAnct. P. N. Hieronymus in Matth. cap. 19. veram, & evangelicam paupertatem explicans non ſolum in contemptu divitiarum, ſed in ſequela Chriſti conſiſtere, & perfici docet, ibi: *Non dixit qui reliquiſtis omnia, hoc enim, & Crates fecit Philoſophus, & multi alij divitias contempſerunt; ſed qui ſecuti eſtis me, quod propriè Apoſtolorum eſt, atque credentium*: ergo licèt Eſſeni divitias contempſerint, & tantum victui, & veſtitui neceſſarijs vixerint in ſua ſecta, non indè infertur Religio in fide, nec votum paupertatis in Religione, ſiquidem Philoſophus Gentilis etiam divitias contempſit.

105 Eiſdem rationibus, & argumentis, quibus ſupra diſc. 1.

DISCURSUS QUINTUS.

Propoſitio quinta, in veteri lege fuit verus Monachatus, veraque Religio Monaſtica impugnatur.

§. I.

Proponuntur notanda Apologiſtæ, & fit ſuper ea reflexio.

106 PRimo ſupponit vt certum, qnod ſtatus Religioſus eſt de iure divino, quia Chriſtus Dominus fuit eius originalis Author, & fundator. Hoc ſuppoſito inquirimus; quo tempore inſtituit Chriſtus Dominus hoc ius, & fundavit hunc ſtatum? An in tempore legis veteris, vel legis gratiæ? Si in tempore legis veteris tenentur adverſarij admittere, quod Chriſtus futurus fuit Legislator in veteri lege, & conſtituit in ea ſtatum verum Eccleſiaſticum de iure divino evangelico antequam Deus fieret homo, carnem ſumeret, nos redimeret, & populum ſuum liberaret à lege ſervitutis, & peccati: ſi hoc ius divinum inſtituit Chriſtus Dominus, Deus & homo factus: ergo ante Chriſti Domini adventum ſtatus ille ab Elia fundatus non fuit de iure divino à Chriſto Domino inſtitutus, & fundatus. Tùm etiam, quia ius divinum inſtitutum à Chriſto futuro ad ſtatum Religioſum verum evangelicum quoad eſſentiam, & ſubſtantiam conſtituendum, approbandum, vel confirmandum, debuit proponi, & revelari vniverſali popolo, vt illo vterentur fideles in illa lege; ſed nullibi reperitur hoc ius divinum in illa lege pro illo populo à Chriſto futuro inſtitutum, & revelatum: ergo tale ius non eſt admittendum in illa lege, vel afferant adverſarij textum in quo Chriſtus futurus hoc ius divinum Monaſticum, & Religioſum inſtituerit, approbaverit, vel confirmaverit pro illo populo Iudaico.

107 Supponit etiam, quod ſtatus Religioſus conſtituitur eſſentialiter, & ſubſtantialiter in tribus votis, vel conſilijs, paupertatis, ſcilicèt, obedientiæ, & caſtitatis, & quod ſolemnitas voto-

rum, & aliæ circumſtantiæ regularum, & inſtitutorum particularium ordinum, quibus ſtatus Religioſus perficitur, reſtringitur, vel ampliatur, accidentia quædam ſunt poſitivo iure Humano, Canonico, vel Monaſtico poſtea introducta: vndè ſecundum adverſariorum doctrinam Elias inſtituit ſtatum verum Religioſum in Synagogá cum votis conſtitutivis illius, & ſolemnitas votorum, cæteræque obſervantiæ, huius ſtatus accidentia poſt Chriſtum Dominum iure poſitivo humano adventa, & addita: ergo ſecundum adverſariorum doctrinam nihil aliud habet ſtatus Religioſus à Chriſto Domino in Eccleſia, niſi approbationem, & confirmationem illius, & accidentia: ergo nullam perfectionem eſſentialē propriam habet ſtatus Religioſus verus ex Chriſti inſtitutione, & iure divino evāgelico preter approbationem, & confirmationem, & accidentia.

108 Hac doctrina adverſariorum ſuppoſita inquiritur ab eis: an ſtatus Religioſus ab Elia inſtitutus ante hanc Chriſti Domini approbationem in evangelio fuerit in veteri teſtamento de iure divino approbatus? affirmativè reſpondentes, tenentur oſtendere quo iure, qua authoritate, & approbatione, & oſtendere in veteri teſtamento quando Deus poſuit Synagogæ conſilia paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis ſequenda propter Regnum Cœlorum. Recurrere ad revelationem factam Eliæ de ſpiritu legis gratiæ, & de perfectione evangelica, vt in ea Chriſtum futurum ſequerentur, idem inquirimus: vbi hæc revelatio ſit? nam ſtatus non conſtituitur de iure divino in aliquo populo, niſi aliqua lege divina revelante, vel præcipiente, vel aliquo miniſtro divina authoritate vtente, vt populo legem, vel conſilium proponat, & prædicet; ſed hoc non reperitur in veteri teſtamento: ergo nullum eſt certum principium, quo dici poſsit ſtatum Religioſum ab Elia inſtitutum fuiſſe de iure divino in illa lege, ideò rectè dixit Tamburinus quod non per purum hominem; ſed per verum ſimul Deum inſtitutus fuit ſtatus Religioſus, ita tom. 1 diſput. 2. quæſit. 2.

109 Vt certum etiam ſupponit, ſufficere ad ſtatum verum Religioſum conſtituendum, quod vota ſint ſimplicia ex Bulla, *Aſcendente Domino*, pro Sacra Societate Ieſu: ſuper quod eſt advertendum, quod Sacra Societas Ieſu, non fuit inſtituta in votis ſimplicibus tantum, ſed ſimul in ſolemnibus, quæ poſt ſimplicia emittuntur in ea, & licèt ſimpliciter emittentes veri ſint Religioſi; ſtatus tamen Societatis principaliter conſtituitur per vota ſolemnia, quibus in Religione perfectius firmantur, & ligantur ſolemniter profitentes. Tum etiam: ſimplicia illa vota Societatis emittuntur in Religione

ſo-

ſolemniter approbata ab Eccleſia, & ſunt tria illa vota eſſentialia de iure divino inſtituta, & approbata à Chriſto Domino; Religio vero ab Elia inſtituta conſtitueretur per vota ſimplicia tantum, non ſolum in eſſentialibus, ſed etiàm in particularibus obſervantijs ſine aliqua authentica, & ſolemni approbatione inſtituta, & fundata, eſſetque in Synagoga Religio vera, & vangelica, qualis non cognoſcitur in Eccleſia: ergo inſtitutum Sacræ Societatis Ieſu non favet vero ſtatui Religioſo Iudaico Eliano.

§. II.

Reflectitur ſuper doctrinam traditam ab Apologiſta in primo, & ſecundo §.

110 PRromiſsionem Deo factam in votis neceſſariam ſupponit eſſe in 1. §. ad ſtatum Religioſum verum ex communi ſententia omnium Theologorum; & traditionem, ſeu donationem ſui ipſius, quæ fit per vota, quibus Religioſus conſtituitur in ſtatu ingenuæ ſervitutis ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 184. art. 4. & ex vniverſaliori Theologorum doctrina. In 2. §. pro certo ſtatuit, & ſupponit, neceſſariam etiam eſſe acceptationem Prælati, vel alicuius poteſtatem habentis, vel quod promiſsio, & profeſsio fiat coram aliquibus teſtibus ſaltem domeſticis, vt in Societate poſt biennium: Hæc Author, & adverſarij; ſed hæc omnia, ſcilicèt, traditio, profeſsio, promiſsio, & vota, vt verum ſtatum Religioſum evangelicum conſtituant, debent fieri propter Regnum Cœlorum, vt ex evangelio conſtat, & omnes Theologi expoſitivi, & Scholaſtici docent: ergo vel populo Iudaico revelatum fuit Regnum Cœlorum ex inſtitutione veri ſtatus Religioſi veteris teſtamenti, vt Pelagius, & Fauſtus docuerunt, & tamquam error in fide impugnatur à Sanctis Patribus Hieronymo, Auguſtino, Chryſoſtomo, Div. Thoma, & alijs, vt ſupra oſtendimus 1. part. vel in lege veteri non fuit verus ſtatus Religioſus inſtitutus quoad eſſentiam, & ſubſtantiam evangelicus cum votis propter Regnum Cœlorum emittendis, quod eſt de ſubſtantia, & eſſentia ſtatus Religioſi evangelici.

****

***

§. III.

Aſſerta in 4. & 5. §. proponuntur, & examinantur.

111 AN neceſſaria ſit approbatio Eccleſiæ in 4. §. ante Concilium Lateranenſe ſub Innocentio Tertio, & Lugdunenſe ſub Gregorio X. inquirit Apologiſta; nam poſt hæc Concilia certum eſt requiri approbationem Summi Pontificis ad aliquam novam Religionem inſtituendam, quæ quidem prohibito, vel limitatio de iure poſitivo eſt (vt aſſerit) quod antea non erat; ita quæſtio procedit de iure divino; an ſcilicèt poſsit, vel potuerit inſtitui, vel fundari in Eccleſia aliqua Religio, vel inſtitutum Religioſum particulare, ſine approbatione alicuius poteſtatem habentis ab ipſa Eccleſia? Negativam ſententiam tenet cum Baſilio Legionenſi, qui ſuppoſita inſtitutione, & approbatione Chriſti Domini ad ſtatum Religioſum quoad ſubſtantialia, & eſſentialia, tacitam approbationem Eccleſiæ ſufficere ad aliquam Religionem inſtituendam ſub hoc ſtatu, ſecundum diverſas conſtitutiones, & regulam, quia de iure divino ſubſtantialibus approbatis, ad accidentalia non requiritur de iure divino approbatio Eccleſiæ.

112. Sed hæc ſententia Legionenſis, licèt quoad approbationem expreſſam Summi Pontificis ſatis probabilis ſit, tamen omnem Eccleſiæ approbationem excludens, ſuas patitur difficultates; nam de iure divino Religiones pertinent ad ſtatum Eccleſiæ, & diſtinctio ſtatuum de fide eſt: ergo de iure divino ſemper fuit neceſſaria aliqua authoritas poſitiva, qua declararetur, hanc Religionem, vel inſtitutum pertinere ad hunc ſtatum determinatum Eccleſiæ. Tùm etiam, quia ab origine Eccleſiæ, Religioſi ſub poteſtate Epiſcoporum erant, non ſolum quoad diſciplinam Chriſtianam, & Eccleſiaſticam, ſed etiam quoad Monaſticam, & Epiſcopis per vota ſubiacebant, vt tradunt Doctores: igitur aliqua probatio poſitiva Eccleſiæ ſemper fuit neceſſaria, vt Religioſi iudicio externo Epiſcoporum eſſent ſubiecti. Tùm etiam, quia Religiones ſemper inſtitutæ fuerunt, vt ſecundum ſuas regulas, & ſtatuta viventes, certo & infalibiliter finem legis divinæ acquirere poſſent; ſed in ſtatutis, regulis, & conſtitutionibus ab hominibus particularibus factis, poteſt eſſe error, vt benè notavit Suarez tom. 3. de Religione, lib. 2. cap. 15. ergo ſemper fuit neceſſarium aliquod poſitivum iudicium

Eccleſiæ, vt declararetur quod ſtatuta illa particularia non recedebant à ſtatu Religioſo inſtituto à Chriſto Domino in ſuo ſancto Evangelio. Nec inſtantia Authoris vim argumenti enervat, ait ibi: Sine authoritate Eccleſiæ poteſt quis votum ſimplex acceptare in nomine Domini: ergo ſine authoritate Eccleſiæ potuerunt admitti vota in Religione. Hoc argumentum non concludit, quia votum ſimplex obedientiæ emittens extra Religionem ſolum ſubijcitur Dei iudicio; at vero votum in Religione emittens ſubijcitur iudicio exteriori Eccleſiæ, & ita vt huic ſtatui ſubijciatur, requiritur Eccleſiæ approbatio, poteſtas ſpiritualis ſignoque externo: ergo inſtantia Authoris non eſt ad intentum.

113 Denique quidquid ſit de ſententia Legionenſis adverſarijs non favet, quia hic Author procedit ſuppoſita approbatione ſtatus Religioſi quoad ſubſtantiam, & eſſentiam à Chriſto Domino facta, & quoad particularia ſtatuta ſecundum inſtitutionem Chriſti approbationem Eccleſiæ requiri negat, quia accidentia ſunt, & non repugnantiam Eccleſiæ, vel permiſsionem ſufficere docet, vt aſſerit Author: Adverſarij vero non ſolum regulam, & particulares obſervantias Eliam inſtituiſſe dicunt, ſed etiam, eſſentiam, & ſubſtantiam ſtatus veri Religioſi evangelici: ergo approbationem poſitivam debent oſtendere quoad ſubſtantiam, & eſſentiam ſtatus Religioſi à Deo factam, vel ab aliquo miniſtro hanc poteſtatem habente, vt ad particulares obſervantias ab Elia inventas approbatio poſitiva Eccleſiæ non fuerit neceſſaria: Si vero dicant: quod quidquid ab Elia inſtitutum fuit approbavit Deus in veteri teſtamento pro illa Religione particulari, ſic de iure divino eſſet confirmatum, ac perconſequens, nec Pontifices poſſent in illis diſpenſare, nec Religio poſſet ab illis recedere in lege gratiæ: hæc autem improbabilia ſunt: ergo ſententia Legionenſis, qui approbationem de iure divino ſupponit quoad ſubſtantiam ſtatus, non favet adverſarijs, qui omnem approbationem Eccleſiæ ad ſtatum Religioſum neceſſariam fuiſſe negant.

114 Clavium poteſtatem ad verum ſtatum Religioſum inſtituendum omninò excludit, & neceſſariam eſſe negat, & conſequenter affirmat, quod ſi ChriſtusDominus poteſtatem clavium, & iuriſdictionis Eccleſiæ non dederit, ſicut in Synagoga Deus non dedit, adhuc poſſet inſtituti ſtatus Religioſus in Dei Eccleſia, votis tantum, & acceptatione conſtitutus; ſed in hoc caſu ſicut aliud eſſet Eccleſiæ gubernium, alia eſſet Religioſi ſtatus inſtitutio. Quæſtio ex vi præſentis providentiæ procedit; an Chriſti Eccleſia fundata,

& inſtituta ſub poteſtate clavium, poſsit inſtitui in ea aliquis ſtatus Eccleſiaſticus verus, & perfectus ſine hac clavium poteſtate? & ſicut poteſt dubitari an Eccleſia Dei, ſine hac poteſtate clavium inſtituta, eſſet alia, ita ſtatus Religioſus inſtitutus, eſſet alius ſecundum illam providentiam: ratio dubitandi eſt, quia ſtatus ex doctrina D. Thomæ communiter ab omnibus recepta, conſtituitur à lege ligante, vel ſolvente; ſed ſi Chriſtus Dominus non dediſſet poteſtatem clavium Eccleſiæ, mutaretur lex quoad ſuum regimen & gubernium: ergo omnes ſtatus Eccleſiæ mutarentur: ego vero firmiter teneo poteſtatem clavium ita propriam, & inſeparabilem eſſe à lege gratiæ, vt ſine ea concipi non poſsit Eccleſia Chriſti ſponſa perfecta, eſſetque quaſi Synagoga, ſine hac mirabili poteſtate, qua ex meritis Chriſti ligamur, & ſolvimur in terris, ac perconſequens, quod omnes ſtatus Eccleſiæ à Chriſto Domino inſtituti ſub hac poteſtate fuerunt, ita vt ſine illa intelligi non poſſent, nec fundari, nec inſtitui, itaque ſemper fuit neceſſaria hæc clavium poteſtas, & iuriſdictio in aliquo Prælato, à Sede Apoſtolica conceſſa, vt Religioſi ſpiritualiter gubernarentur, quia ſtatus Religioſus fundatus fuit ſupra firmam petram Eccleſiæ, & licèt aliquando in Prælatis regularibus hæc poteſtas non fuerit, erat autem in Epiſcopis, qui tùnc veri eorum Prælati erant, tàm quoad diſciplinam Eccleſiaſticam, quàm quoad Monaſticam, & in nullo ſtatu Eccleſiæ extiterunt Religiones ſine hac poteſtate clavium, ſivè in ipſis, ſivè in Epiſcopis, ſivè in alijs à Sede Apoſtolica Delegatis, qui veri eorum Prælati extiterunt.

115 Sed dato, & non conceſſo, quod hæc poteſtas clavium non ſit neceſſaria ad ſtatum Religioſum in Chriſti Eccleſia, quia ſic inſtitutus fuit à Chriſto in ea ſub lege libertatis. Argumentum non procedit ad vetus teſtamentum, in quo omnes ſtatus erant ſervitutis, & non conſtat, quod dederit Deus poteſtatem alicui ad inſtituendum ſtatum evãgelicum quoad ſubſtantiam in veteri lege; nec verum eſt, quod Apologiſta in ſua Hiſtoria Prophetica ſatis apertè innuit, lib. 2. cap. 2. num. 4. ad illa verba 4. Regum cap. 2. verſ. 9. ibi: *Pete quid vis*, ſcilicèt, quod Elias obtulit Eliſæo ſpiritualia pluſquam magna, & ſine limitatione, & quod aſsimilatur traditioni Chriſti Domini diſcipulis ſuis dicentis: *Quodcumque ſolveritis in terris erit ſolutum, & in Cœlis.* In quibus Author clavium poteſtatem videtur aſſerere conceſſam fuiſſe in raptu Eliæ, Eliſæo, quod in edit. 1630. ſcripſerat lib. 2. cap. 2. num. 4. & cap. 4. num. 4. & cap. 16.

§. IV.

§. IV.

Refertur doctrina Authoris in §. 6. & 7. contenta ad probandam in veteri lege poteſtatem ad Religiones approbandas.

116 POteſtatem poſitivam ad Religiones approbandas dividit in ſpeculativam, & practicam, ſpeculativa eſt, qua ſtatus declaratur bonus, & ad ſerviendum Deo conformis, & aptus: practica eſt, qua quaſi de facto Religio fundatur, & erigitur tribuens ei poteſtatem acceptandi profeſsiones, eligendi Prælatos, ſtatuendi leges, & recipiendi ad Religionem venientes, & has poteſtates extitiſſe in Synagoga pro concluſione ſtatuit, quam vt probet ſupponit in Pontificibus illius legis, & legitimis concilijs infallibilem, & ſpecialem aſsiſtentiam Spiritus Sancti, vt in rebus fidei, & Religionis ne errarent, & hanc eſſe communem ſententiam Doctorum, quam nos etiam ſupponimus. Sed difficultas non procedit ſub his terminis, ſcilicèt, an Pontifices veteris legis habuiſſent poteſtatem approbandi ſtatuta aliqua ſpecialia, modoſque vivendi ſecundum illam legem, de qua non dubitatur in præſenti? ſed an Pontifices veteris teſtamenti habuerint poteſtatem practicam, vel ſpeculativam approbandi inſtitutum, modeſque vivendi, leges inſtituendi, & Prælatos eligendi, acceptandique profeſſiones, & ſtatum erigendi, & fundandi ſecundum legem gratiæ, & evangelium in Sinagoga? nam adverſarij defendunt ſtatum ab Elia fundatum evangelicum fuiſſe quoad ſubſtantiam, & eſſentiam, & ſecundum ſpiritum legis gratiæ inſtitutum, & fundatum in Synagoga: ergo admiſſa, & conceſſa illa poteſtate approbativa, practica, & ſpeculativa in Pontificibus veteris legis, & in Synagoga, vt ſtatus approbarent, & Religiones inſtituerent ſecundum illam legem, non indè ſequitur, quod poteſtatem haberent ad approbandum, erigendum, & inſtituendum ſtatum ſecundum legem gratiæ, & declarandi leges, & ſtatuta illorum ſtatuum eſſe conformia, conſonaque ſpiritui evangelij, & legis gratiæ.

117 Quod probatur, nam ad hoc vt Pontifices illius legis hanc poteſtatem haberent, debuit eis revelari ex inſtitutione illius Pontificatus per infallibilem aſsiſtentiam Spiritus Sancti perfectio legis gratiæ, & ſpiritus evangelij, vita Chriſti, & Apoſtolica, & evan-

evangelica ab eo inſtituenda, Regnum Cœlorum, & præmia æterna, propter quæ vota erant emittenda, eſſetque in Synagoga apertus, & manifeſtus ſenſus ſpiritualis ſcripturarum; ſed hæc omnia non fuerunt revelata in veteri teſtamento Pontificibus illius temporis, ſed in tempore gratiæ per Chriſtum Dominum noſtrum, vt conſtat ex evangelio, & Sanctis Patribus: ergo non fuit in illa lege poteſtas ſpeculativa, nec practica ad inſtituendum, & approbandum ſtatum verum Religioſum quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicum, nec ad erigendam aliquam Religionem in populo Iudæorum in ſpiritu, & veritate evangelica, vt adverſarij ſupponunt fuiſſe ſtatum ab Elia inſtitutum, & fundatum in ea.

118 Diſcurſus confirmatur ex doctrina tradita à Franciſco Victoria ab Apologiſta hic laudato, qui relectione prima de poteſtate Eccleſiæ, ſect. 5. propoſit. 5. num. 4. poteſtatem Synagogæ explicans, ait ibi: *Ergo nec illi Sacerdotes habebant claves, nec erat in eis vera poteſtas ſpiritualis; vndè dico, quod nullum effectum purè ſpiritualem poterant conferre; ſed omnia erant temporalia, & materialia, ſignum dumtaxat, ac figura ſpiritualium rerum, & Sacerdotes Levitici habebant ſolum claves templi materialis; vndè nec remittebant peccata, nec aliquam poteſtatem purè ſpiritualem habebant, ſed omnia quæ gerebant, erant media ordinata ad gratiam novæ legis.* Hæc ibi: ex quibus ſequens formatur ſyllogiſmus: Approbatio Superioris ſolùm poteſt conſtituere ſtatum approbatum, ſecundum poteſtatem quam habet; ſed Pontifices veteris teſtamenti non habebant veram ſpiritualem poteſtatem, nec effectum purè ſpiritualem poterant conferre; ſed omnia erant materialia, & temporalia, ſignum, & figura rerum ſpiritualium novæ legis: ergo in Synagoga non fuit poteſtas ad approbandum ſtatum verum Religioſum ſpiritualem in veritate evangelica inſtitutum, & ſecundum legem gratiæ fundatum; ſed tantum fuit poteſtas approbativa ſtatuum in vmbris, & figuris ſecundum illam legem, & conſequenter ſtatus verus Religioſus quoad ſubſtantiam evangelicus non potuit erigi in Synagoga, nec ab ea approbari.

119 Authoritatem, & poteſtatem legislativam abſolutè concedit in Synagoga, & in Pontificibus illius, quam nos etiam concedimus limitatam ad illam legem, vt ſecundum illam præcipere poſſent, populumque obligare, quæ quidem magis executiva fuit, quam diſpoſitiva, quia Pontifices veteris teſtamenti ſub lege ſervitutis erant, & ideò non fuit eis conceſſa abſoluta poteſtas dominandi, & præcipiendi, & ſic Deus, obſervantias, cæremonias, &

ritus illius legis præſcripſit, vt valdè limitatam relinqueret authoritatem Pontificiam in eis diſpenſandi, & circa ea diſponendi, quod ſatis colligitur ex Deuteronomio cap. 12. verſ. 32. ibi: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam, vel minuas.* In quibus, licèt opera ſupererogationis non prohibeantur ſecundum illam lem, poteſtas tamen præcepta condendi, legesque ferendi, limitata videtur, & magis apparet authoritas executiva, quam legislativa; at vero in lege gratiæ, quæ libertatis eſt, & filiorum pauca, & vniverſalia præcepta dedit nobis Chriſtus Dominus, ampliſſimam poteſtatem relinquens Eccleſiæ, & ſuis Vicarijs ferendi leges, inſtituendi, & fundandi ſtatus, confirmandi regulas, & approbandi Religiones ſecundum ſpiritum, & veritatem evangelij; vndè ex dictis evidenter convincitur, quod conceſſa authoritate in Synagoga ad approbandum Religiones vmbraticas, & figurativas ſecundum illam legem; non indè infertur poteſtas ad approbandum ſtatum, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicum, & Religionem inſtitutam in ſpiritu, & veritate evangelij.

§. V.

Solvuntur argumenta quibus probare intendunt adverſarij iuriſdictionem ſpiritualem, & approbationem poſitivam, & practicam in veteri lege, & determinatè ad Religionem propheticam.

120 SPiritu Sancto dictante, Deoque mandante inſtitutam, & approbatam fuiſſe Religionem Elianam, divinoque decreto confirmatam, aſſerit in hoc §. ex Ioanne Jieroſolymitano de inſtitutionibus Monachorum cap. 2. & quia hic liber primus inventor fuit veri ſtatus Religioſi in votis eſſentialibus ab Elia fundati, operę pretium duxi, hic apponere iudicium quo à doctiſsimis viris hic liber inter ſpurios exiſtimatur, & enumeratur. Emminentiſsimus Cardin. Baron. ad ann. 444. ait ibi: *Faceſſat igitur huiuſmodi de Monachiſmo Cyrilli fabella, ſicut huic, haud impar qua traditur, & Ioannes Ieroſolymitanus Epiſcopus etiam Monachus Carmelita: ſicut enim hæc leviter effinguntur, ita, & facilè refelluntur: flagrans quidem cupido nobilitatis à vitæ cogit interdum homines delirare.* Epiſtola Cyrilli, liber Ioannis Jeroſolymitani, & vtrique Monachatus, vt fabella con-

contemnuntur à modeſtiſsimo Cardinale. Emminentiſsimus Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ad annum 390. ibi: *Tribuitur eidem Ioanni liber ad Capraſium de inſtitutione Monachi, qui habetur tomo 9. Bibliot. VV. PP. edit. 2. ſed hic liber videtur ſcriptus ab aliquo longe poſteriori, ſiquidem in ipſo libro dicit Author ſe eſſe Ordinis Carmelitarum, & deſcribit habitum Carmelitarum: at illis temporibus nomen Carmelitarum erat planè inauditum, vt etiam Cardinalis Baronius affirmat. tom. 2. Annal. ad annum 444. adde quod liber eſt hominis latini, & temporum poſteriorum.* Emminentiſsimus Dominus Cardinalis Capiſuccus controv. 16. ſæpè citata §. 6. ibi: *Quoad Ioannem Epiſcopum Ieroſolymitanum reſpondetur cum Araùjo loco citato, in illo opere de inſtitutione Monachorum modicæ authoritatis eſſe apud Bellarminum vbi ſupra, & Baronium tom. 4. Annal. anni 393. & fortè opus illud non eſt eiuſdem Ioannis, & ipſi falſo adſcriptum.* Mag. Sac. Pal. infra diſc. 7. §. 1. eadem cenſura vtitur: Hac nota etiam imprimitur in Bibliot. VV. PP. editione noviſsima, & ab omnibus viris doctis poſt rectum iudicium ſuppoſititium exiſtimatur, & ſpurium: ergo quotquot ſcripſerunt in fide huius Authoris falſo fundamento nituntur, nullamque maiorem authoritatem habent, quam hic liber falſo Ioanni Jeroſolymitano adſcriptus: ergo tota approbatio, & inſtitutio veri ſtatus Religioſi Carmelitani, Elianique ex Dei mandato, decretoque divino Spiritu Sancto dictante in veteri teſtamento in Dei Eccleſia ruit, & ſi hæc falſa ſunt, cætera quæ in eodem libro continentur de Monachatu Carmelitano veteris, & novi teſtamenti eodem ſunt damnanda iudicio.

121 Poſt Ioannem Jeroſolymitanum apparuit Ioſephus Antiochenus antiquior illo toti antiquitati ignotus, quem in Bibliot. Barberina Romæ vidi à Philippo Ribot Carmelitano, & in Cathaloniæ Principatu Provinciale luci editum ſub titulo *de militia primitivæ Eccleſiæ*, qui inter alia rationi, & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ diſſona, multa de Carmelitis ſecundo Chriſti ſæculo refert: ſed liber hic ſuppoſititius etiam exiſtimatur ab omnibus viris doctis, & ipſe titulus *de militia primitivæ Eccleſiæ* ſuſpectum reddit totum opus, nam tùnc primitivæ Eccleſiæ nomen in vſu non erat; nec in illius temporis Patribus reperitur.

122 Poſt authoritatem Ioannis Jeroſolymitani ad Sacram Scripturam recurrit, vt inſtitutum Eliarum ex Dei mandato inſtitutum, & divino decreto approbatum, oſtendat, & ex 3. Reg. cap. 17. ait ibi: *Recede hinc, & vade contra Orientem, & abſcondere in torrente Carith.* Et ibidem cap. 19. ibi: *Eliſæum filium Ioſapha vnges Prophetam*

tam prote. Et ſubiungit Apologiſta hic num. 37. vix reperitur actio Eliæ, quæ ex mandato expreſſo Dei non ſit facta: ex mandato Dei ad torrentem Carith. & ad viduam ſereptanam adijt, 3. Reg. cap. 17. bis occurrit Achab Regi 3. Reg. cap. 18. 21. Propter mandatum Dei ſacrificavit in Carmelo extra templum, & Prophetas Baal decapitavit, 3. Reg. cap. 18. propter Dei mandatum Eliſæum vnxit in Prophetam, & Azaelem in Regem Syriæ: ergo ſi hæc omnia fecit Elias ex Dei expreſſo mandato, quanto magis maximum opus, rarum, ſingulareque illis ſæculis numquam viſum, vt eſt inſtitutio vnius Religionis, quod vix poteſt credi, ex Dei præcepto faceret? Imò credere debemus, quod ex præcepto Dei, rem hanc fecit Elias, ſiquidem tot ſcripturæ teſtimonijs ſecundum Patrum, & Doctorum expoſitionem, ita docent vt vidimus. Hæc Author ibi.

123 Sed Patres, & Doctores adhuc deſiderantur, quia nullus ex laudatis hic ab Apologiſta novitatem divini mandati cogitavit, niſi Apochryfus, & ſuppoſititius Ioannes Ieroſolymitanus, & Ioannes Soret eiuſdem familiæ, qui divinam revelationem innuit. Ad authoritates Sacræ Scripturæ concedimus, omnia memorata opera Eliæ facta fuiſſe ex Dei mandato, ſicut alij Prophetæ facto ſuper eos verbo Domini quidquid eis imperatum fuit adimplerunt: concedimus etiam ex Dei mandato receſiſſe contra Orientem, & ſe abſcondiſſe in torrente Carith, vnxiſſeque Eliſæum in Prophetam: ergo ex Dei mandato veram Religionem inſtituit cum votis, quam ex decreto divino approbavit, vel Deus confirmavit? Frigidam hanc conſequentiam negamus, quia in illo textu ſcripturæ continetur, vt ex præmiſsis, & allegatis inferatur.

124 Nec prædictum mandatum Dei expreſſum admitti poteſt determinatè ad illam Religionem propheticam veteris teſtamenti, vt ſupponit titulus; quia non ſolum inſtitutum Religionum quoad ſubſtantialia, & eſſentialia eſſet de iure divino, ſed etiam quoad particularia, & ſingulares obſervantias, quibus conſtitueretur in ſuo eſſe ſpecifico prophetico; ſed in ſuo eſſe ſpecifico prophetico, vt talis Religio, & vt determinatus ſtatus ad regulam particularem, & obſervantias determinatas comprehendit; non poteſt dici, quod Religio Eliana veteris teſtamenti fuit approbata ex Dei mandato, & de iure divino: ergo nulla fuit approbatio in illa lege determinatè ad illam Religionem ab Elia inſtitutam: Minor in qua eſt difficultas probatur; quia obſervantiæ, conſtitutiones, & regu-

la:

la illius Religionis non pertinerent ad cæremonialia, vel figurativa illius legis, ſed ad veritatem, & ſpiritum legis gratiæ, cuius erat ſtatus ab Elia inſtitutus, & fundatus, ac perconſequens deberent permanere in lege nova ſicut ſtatus ex Dei mandato fundatus; ſed hoc admitti non poteſt: ergo nulla fuit approbatio in veteri teſtamento de iure divino determinatè ad illam Religionem Elianam: Maior eſt certa, & minor probatur, quia ſi illa Religio in ſuo eſſe ſpecifico, vt talis, in talibus conſtitutionibus, obſervantijs, & regula eſſet de iure divino, hæc omnia de eodem iure permanerent in lege gratiæ, & indiſpenſabilia eſſent in Dei Eccleſia, ac perconſequens in ſuo eſſe, & conſervari non dependerent à Summo Pontifice, nec in eis diſpenſare poſſet; ſed ſæpe in regula Carmelitana, & in eius conſtitutionibus, vel diſpenſavit, vel mitigavit vt conſtat, ſicut in alijs Religionibus: ergo illa Religio non fuit approbata de iure divino determinatè, & ſpecificè.

125 Denique ex decreto Sanctæ Inquiſitionis Hiſpanicæ die 25. Februarij 1673. expungi præcipitur, & deleri in Hiſtoria Prophetica: *Fundatum totum ex mandato Dei ſpeciali, & ex expreſſo Dei mandato*, & loco horum verborum præcipitur, vt ponatur: *Ex Dei inſpiratione*; ſed Religio, & inſtitutum, & ſtatus ex Dei inſpiratione fundata indigent publica, & authentica Eccleſiæ, vel Pontificis approbatione, & confirmatione, vt verum ſtatum Eccleſiaſticum conſtituant, vt conſtat in Religionibus legis gratiæ ex divina inſpiratione fundatis: ergo illa Religio Eliana, ſi extiterit, vt fundatio, & inſtitutio eius permaneret, & firma eſſet, licèt ex Dei inſpiratione interna eſſet fundata, indigeret approbatione authentica, & ſolemni, vt ſtatum conſtitueret externum, & in illa lege ſtabilis permaneret: ergo, ſublato Dei mandato, nulla remanet approbatio pro illa Religione Eliana in veteri teſtamento ex Dei inſpiratione fundata. Hæc autem procedunt admiſſa inſpiratione Dei in Elia ad fundandum, & inſtituendum verum ſtatum Religioſum quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicum cum votis, quod debent probare adverſarij, & nos, ex principijs in hac controverſia relatis, cum Sanctis Patribus, & Doctoribus negamus.

§. VI.

§. VI.

Iſtitutio veri ſtatus Religioſi evangelici in veteri lege ex Chriſti exemplaritate non augeret excellentiam Chriſti, ſed minueret gloriam eius præſentis, & paſsi, & excellentiam præſentis Eccleſiæ deprimeret.

126 HAnc exemplaritatem Chriſti, & voti Deiparæ de facto non fuiſſe revelatam Iudæis ad ſtatum verum Religio-m plurimis fuit demonſtratum argumentis in 1. part. diſc. 1. §. 4. r totum; ſed quia Apologiſta in 1. part. 4. propoſitionis, §. 9. 10. à num. 40. proponit, quod Chriſtus Dominus exemplari-: in omni tempore influxit, vt Magiſter totius perfectionis, & od non minuit gloriam Chriſti Inſtitutoris, & Fundatoris ſtatus eligioſi veri evangelici, exiſtentia huius ſtatus in veteri lege, im-o quod augeret excellentiam eius ex Chriſti exemplaritate: Vt ritas magis eluceſcat examinare oportet, hanc Authoris propo-ionem de aumento excellentiæ Chriſti præſentis, & paſsi ex in-tutione veri ſtatus Religioſi in veteri lege: Hoc dubium pendet alia quæſtione, ſcilicèt, an augeret excellentiam Chriſti præſen-, & paſsi, quod lex gratiæ, vel nova, inſtituta fuiſſet ab aliquo iro homine ex Chriſti exemplaritate ante eius adventum, mor-m, & paſsionem, quia cum ſtatus ille Religioſus veteris legis, ſe-undum Apologiſtam, eſſet verus evangelicus, & in ſpiritu legis atiæ inſtitutus ab Elia, ex eiſdem principijs demonſtratur aug-entum excellentiæ Chriſti ex inſtitutione novæ legis in veteri: iod evidenter probatur, nam fundamenta efficaciſsima huius opoſitionis ſunt eadem, quæ propoſuerat §. 4. & 5. in 2. pro-oſit. huius Apologiæ, vt aſſerit hic §. 10. num. 46.

127 Fundamenta in loco citato nulla alia ſunt, niſi illa ve-ſsima doctrina D. Thomæ, quod illa eſt nobilior, & perfectior uſa, quæ ad plures ſe extendit effectus in cauſando; ſed ſi exem-aritas Chriſti futuri ſe extenderet ad inſtitutionem novæ legis in teri, ad plures ſe extenderet effectus in cauſando: ergo inſtitu-o novæ legis in veteri augeret gloriam Chriſti præſentis, & paſ-, at, hæc inſtitutio non fuit facta in veteri lege: ergo diminuta fuit glo-

gloria Chriſti in inſtitutione legis gratiæ poſt adventum Chriſti, hoc falſum eſt: ergo deficit argumentum Apologiſtæ, & omnia eius fundamenta ruunt, & fabrica huius ſtatus Religioſi veteris teſtamenti demolitur in lege gratiæ: oſtendere debent adverſarij, quare augeatur excellentia Chriſti Domini ex inſtitutione Eliæ, & non augeatur ex inſtitutione Adami, vel Abrahami in quibus etiam ſe extenderet exemplaritas Chriſti ad plures effectus, præſertim in Abrahamo cui facta fuit repromiſsio legis gratiæ.

128 Prædicta ratio reducitur ad ſequentem ſyllogiſmum: non augeret excellentiam Chriſti præſentis, & paſsi, ſed deprimeret gloriam eius ſecundum præſentem providentiam, ſi ex eius exemplaritate futuri inſtitutus eſſet ante eius adventum ſtatus communis legis gratiæ; ſed Monachatus verus cum votis, & conſilijs novæ legis quoad ſubſtantiam evangelicus, eſt ſtatus ſpecificus, & perfectionis legis gratiæ: ergo ſecundum præſentem providentiam, non augeret gloriam Chriſti præſentis quod ab aliquo puro homine fuiſſet inſtitutus in veteri lege ante adventum eius in ſpiritu, & veritate legis gratiæ.

129 Præcedens diſcurſus comprehenditur in alio ſyllogiſmo Angelici Magiſtri, qui 1. 2. quæſt. 106. art. 3. inquirit: *Vtrum lex nova debuerit dari à principio mundi*, negativè reſpondet, & in argumento ſed contra eſt; ſic arguit ex D. Paulo ad Corinthios 1. cap. 15. *Non prius, quod ſpirituale eſt, ſed quod animale; ſed lex nova eſt maximè ſpiritualis: ergo lex noua non debuit dari à principio mundi.* Tùm ſic, ſed ſtatus verus Religioſus votis, & conſilijs inſtitutus eſt ſpiritualior ſtatus, legis maximè ſpiritualis, in quo homines magis ſpiritualizantur in lege nova: ergo hic ſtatus non debuit dari in veteri lege ante legem novam, nec augeret gloriam Chriſti præſentis, & paſsi, ſi ante adventum eius inſtitueretur ab aliquo puro homine in ſpiritu, & veritate legis gratiæ ex eius exemplaritate futuri.

130 Nec obſtat dicere; quod ſtatus verus Religioſus tantum eſſet inſtitutus evangelicus in ſpiritu legis gratiæ quoad ſubſtantiam, & eſſentiam; non vero quoad alias perfectiones legis gratiæ ac perconſequens augeret gloriam Chriſti futuri, & non deprimeret excellentiam Chriſti præſentis & paſsi; ſed hoc effugium chimericum eſt, & ſine fundamento in ſcripturis, & Sanctis Patribus, quod evidenter impugnatur ex doctrina Angelici Doctoris vbi ſupra: Vt ille ſtatus eſſet ſubſtantialiter, & eſſentialiter evangelicus, & inſtitutus in ſpiritu legis gratiæ quoad ſubſtantiam, de-

beret

beret habere primarium effectum ſubſtantialem, vel eſſentialem rationem conſtitutivam legis gratiæ, & principalem effectum ſpiritus conſtituentis illam; ſed ante adventum Chriſti Domini, & mortem eius non potuit habere ſubſtantialem effectum legis gratiæ, nec eſſentialem perfectionem ſpiritus conſtituentis legem evangelicam, nec augeret excellentiam Chriſti quod à puro homine efficienter hæc haberet in veteri lege: ergo ille ſtatus non eſſet ſubſtantialiter evangelicus, nec inſtitutus quoad eſſentiam in ſpiritu legis gratiæ, nec augeret excellentiam Chriſti præſentis inſtitutus à puro homine in veteri lege ex eius exemplaritate futuri: Maior eſt certa, & minor probatur ex prima ratione, qua Angelicus Præceptor probat, quod lex nova non debuit dari ab origine mundi ſupra loco citato in corp. ait ibi: *Dicendum quod triplex ratio poteſt aſſignari, quare lex nova non debuit dari à principio mundi: Prima eſt, quia lex nova, ſicut dictum eſt, principaliter eſt gratia Spiritus Sancti, quæ abundanter dari non debuit, antequam impedimentum peccati ab humano genere tolleretur, conſummata redemptione per Chriſtum.* Et ibidem art. 1. in corp. aſſerit, quod potiſsima ratio, & virtus legis gratiæ conſiſtit in gratia Spiritus Sancti, ſed ante adventum Chriſti non potuit ille ſtatus Religioſus habere hanc gratiam Spiritus Sancti, & ſine illa non potuit eſſe ſubſtantialiter, nec eſſentialiter inſtitui in ſpiritus legis gratiæ, nec verè evangelicus ſubſtantialiter dici, nec augeret excellentiam Chriſti paſsi, quod ab aliquo puro homine ante eius adventum inſtitueretur ſtatus verè evangelicus in ſpiritu legis gratiæ, non conſumata redemptione generis humani: ergo ante adventum Chriſti Domini ille ſtatus Religioſus ab Elia inſtitutus non potuit habere eſſentialem, & ſubſtantialem, principalemque effectum legis gratiæ, & ſpiritus evangelici, ac perconſequens chimericum eſt hoc augmentum gloriæ Chriſti Domini mortui, & paſsi ex eius exemplaritate futuri in inſtitutione ſtatus Religioſi veri evangelici veteris teſtamenti.

131 Confirmatur noſtra concluſio ex ſecunda ratione D. Thomæ: Non augeret gloriam Chriſti præſentis, quod Moyſes non inſtituiſſet ſtatum communem illius populi figurativum, & vmbraticum; ſed verum, & quoad ſubſtantiam evangelicum, & in ſpiritu legis gratiæ: ergo non augeret gloriam Chriſti præſentis, quod Elias inſtitueret in illa lege ſtatum verum Religioſum evangelicum quoad eſſentiam: Antecedens certum eſt, conſequentia ſatis conſtat à paritate, ſed probatur ex identitate rationis

ex D. Thoma vbi ſupra, ibi: *Secunda ratio poteſt aſsignari ex perfectione legis novæ, non enim aliquid ad perfectum ſtatum adducitur à principio, ſed quodam temporali ſucceſsionis ordine, ſicut aliquis prius ſit puer, & poſtmodum vir*: ergo ſecundum præſentem providentiam non augeret excellentiam Chriſti præſentis quod in illo ſtatu imperfecto puerili vmbratico, & figurativo aliquis purus homo inſtitueret, ex Chriſti futuri exemplaritate ſtatum verum, non vmbraticum perfectioris quoad ſubſtantiam legis gratiæ in ſpiritu, & veritate evangelij.

132. Ad tollendam equivocationem, vel potius confuſionem veteris, & novi teſtamenti qua laborat Author in tota hac Apologia, & in ſua Hiſtoria Prophetica, oportet explicare in quo conſiſtat excellentia Chriſti Domini, & gloria Redemptoris in vtroque teſtamento. Maior Chriſti excellentia conſiſtit in adimpletione divinæ voluntatis ſecundum præſentem providentiam, qua ordinavit redemptionem generis humani propter merita Chriſti mortui, & paſsi, qui non venit facere voluntatem ſuam, nec quęrere gloriam eius, ſed Patris, vndè excellentia Chriſti Domini conſiſtit in executione divinæ voluntatis, ſecundum quod Deus decrevit in vtroque teſtamento: præordinavit igitur Deus Eccleſiam ex fidelibus vtriuſque teſtamenti permanſuram, vſque ad finem mundi, & poſtea triumphantem in Cœlis, & ſtatus eius decrevit ſecundum differentiam temporum, & legum, in ſtatu legis naturæ, in ſtatu legis ſcriptæ, & ſervitutis, & in ſtatu legis gratiæ, & libertatis; in veteri lege decrevit Altiſsimus, & ideavit ſtatum Eccleſiæ vmbraticum, & figurativum, vſque ad redemptionem generis humani: poſt adventum Chriſti decrevit ſtatum libertatis Eccleſiæ in ſpiritu legis gratiæ; vndè cultus Dei ſecundum illam legem, & figuras illius, excellentia Chriſti fuit, quia ordinabatur ad Chriſtum præſentem in nova lege, & omnes iuſti illius legis ex meritis Chriſti futuri, licèt ad gratiam novi teſtamenti pertinebant, Deum colebant, & Redemptorem ſperabant adimplendo divinam voluntatem ſecundum miniſteria, ſacrificium, cultum, & ſtatum illius legis.

133 Hanc doctrinam illuſtravit inſignis Theologus, & Sacræ Scripturæ Eruditiſsimus Interpres Cornelius Alapide in epiſt. ad Galatas cap. 4. num. 120. ibi: *Nota 3. Iſaac, id eſt, Chriſtum dici natum ex Sara, hoc eſt, Eccleſia, non quaſi Eccleſia fuerit à parte rei Mater Chriſti, aut prior Chriſto, cum à Chriſto cæperit, & fundata ſit, ſed quod in mente Dei, & idea diuina quodammodo Eccleſia fuerit prior, ac Chriſti*

ma-

mater. Deus enim voluit, primo exiſtere Synagogam, deindè ei ſubrogare Eccleſiam: itaque habuit Deus primo in mente, & intentione ideam Synagogæ, deindè Eccleſiæ, & ex hac voluntate, decreto, & intentione voluit, & decrevit, quaſi in ſecundo inſtanti, & ſigno rationis, vt loquuntur Scholaſtici, creare, & producere Moſen, quaſi primum ideæ huius filium, qui reliquum ideæ exequeretur, ipſamque Synagogam inchoaret, & inſtitueret. Pari modo ex voluntate ac decreto condendi Eccleſiam voluit creare, & producere Chriſtum quaſi primum ideæ huius, id eſt Eccleſiæ, prout erat in mente Dei, filium, qui reliquum ideæ exequeretur, ipſamque Eccleſiam quaſi primus, & angularis illius lapis inchoaret, fundaret, inſtitueret: ſic Chriſtus, & Chriſtiani vocantur verſu ſequenti, & alibi: filij promiſsionis, & prædeſtinationis Dei: quia eorum, vti & Matris, id eſt Eccleſiæ, productio purè, & merè fuit opus, & creatio ſolius Dei, diuinaque voluntatis, & prædeſtinationis tamquam Patris, & diuinæ Conceptionis, ac ideæ tamquam Matris. Ex quibus interrogo: hic ſtatus verus Religioſus evangelicus circumciſſus in eadem veritate, & eodem ſpiritu legis gratiæ, inſtitutus ab Elia in veteri lege, & permanſurus in eadem entitate, & eſſentia in novo teſtamento, in quo decreto, vel in qua idea fuit prædeſtinatus? Non in decreto Synagogæ, quia in hac idea omnia fuerunt figurativa, & ſymbolica iuxta illam legem: Non in decreto, vel idea Eccleſiæ, quia iuxta hoc decretum omnes ſtatus veri evangelici quoad ſubſtantiam, & eſſentiam in ſpiritu legis gratiæ præordinavit Deus iuxta prædeſtinatum tempus poſt Chriſtum Dominum, & mortem eius, conſumata redemptione: ergo hic ſtatus verus Religioſus circumciſſus verè evangelicus quoad ſubſtantiam in ſpiritu legis novæ inſtitutus ab Elia in veteri chimericus eſt, & humana idea, nec ad Synagogam pertinens, nec ad ideam Eccleſiæ: vel oſtendant adverſarij aliquod decretum conditionatum, vel medium huius ſtatus veri evangelici circumciſsi inter decreta Synagogæ, & Eccleſiæ.

134 In ſacris litteris veteris, & novi teſtamenti non invenitur fundamentum decreti, quo Deus hanc ideam prædiffiniuerit ſtatus veri Religioſi evangelici quoad ſubſtantiam in ſpiritu legis gratiæ inſtituti in circumciſsione, & permixti cum legalibus veteris legis: ſed poſtea aliam ſimilem ideam imaginarunt quidam PſeudoApoſtoli, vt refert D. Thomas in 2. ad Corinthios cap. 3. lect. 2. ibi: *Sed quia poſſent Pſeudo Apoſtoli dicere, quod licèt maius miniſterium ſit noui teſtamenti, quam miniſterium veteris teſtamenti, non tamen eſt multum maius, & ideò bonum eſt, quod illi miniſterio, & iſti intendamus, quod & faciebant, quia ſimul obſervabant legalia cum evangelio.* Hæc D. Thom.

Hi Pſeudo Apoſtoli poſt Chriſtum Dominum chimericam ideam excogitabant Synagogæ,& Eccleſiæ legalia præterita cum evangelicis præſentibus componentes: Ad inſtar huius ideæ videtur imaginari ſtatus verus Religioſus in ſpiritu legis gratiæ inſtitutus in veteri lege quoad ſubſtantiam evangelicus,quia illi Monachi tunc inſtituti legalia præſentia ſervarent vt bona figurativa, & ſine ſpiritu legis gratiæ,& futura evangelica cuſtodirent vt meliora in veritate,& ſpiritu veteris teſtamenti,quod eſt chimera quædam coniungens Cœlum novi teſtamenti cum terra veteris legis: An ſicut illi Pſeudo Apoſtoli erraverunt ſervantes legalia præterita cum evangelio, errent, qui poſt Chriſtum affirmant quod illi Monachi in veteri lege circumciſi ſimul ſervabant legalia præſentia figurativa, & evangelica vera iudicent alij ad quos pertinet.

§. VII.

Chriſtus futurus vt revelatus in veteri lege non fuit in ea Magiſter virtutis, & perfectionis in ſpiritu legis gratiæ in aliquo ſtatus veteris legis.

135 INſuper Apologiſta §. 9. num. 40. in titulo proponit,quod Chriſtus vt Magiſter totius virtutis, & perfectionis influxit exemplariter ante, & poſt adventum eius, & ex hoc Magiſterio maiorem excellentiam Chriſti demonſtrare intendit; ſed hac generalitate Magiſterium Chriſti futuri in veteri illa lege ad omnem virtutem, & perfectionem ſubſtineri non poteſt; quia Chriſtus futurus,erat Magiſter futurus,& eo modo quo futurus erat Magiſter in lege gratiæ, non fuit Magiſter in lege veteri, vndè hæc doctrina Apologiſtæ confundit Magiſterium Chriſti præſentis in lege gratiæ cum Magiſterio Prophetarum veteris teſtamenti ex meritis Chriſti futuri; quod manifeſtè probatur ex doctrina Apoſtoli, qui divinum Magiſterium ſecundum novum,& vetus teſtamentũ nobis demonſtravit in epiſt. ad Hebr. cap. 1. ibi: *Olim locutus fuit Deus per Prophetas noviſsimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio*:ergo in Prophetis inſtituit Deus Magiſterium veteris legis in Synagoga,& in Chriſto Dño Magiſterium legis gratiæ in Eccleſia.Confirmatur,nam ſecundum quod nobis conſtat ex ſanctis ſcripturis,duas inſtituit Deus Cathedras ad docendum populum ſuum fidelem, vnam in veteri lege in Moyſe, & alteram in lege nova in Chriſto; Cathedra Moy-

ſis fuit materialis, & figurativa, & Magiſterium, eius figurarum: Cathedra Chriſti Domini fuit ſpiritualis, veritatis & lucis: inſtituit etiam ſucceſſores in Cathedra Moyſis Pontifices illius legis, & Miniſtros ſuos Prophetas: in Cathedra Chriſti inſtituit ſucceſſores, ſuos Vicarios, & Apoſtolos: Magiſterium veteris legis fuit vmbræ, Magiſterium legis gratiæ fuit lucis: *Ego ſum lux mundi*, dixit Chriſtus, & ad diſcipulos ſuos: *Vos eſtis lux mundi.* His ſuppoſitis; inquiro, in qua Cathedra ſedit Chriſtus futurus, vt eſſet Magiſter in veteri teſtamento totius perfectionis legis gratiæ? in Cathedra Moyſis non ſedit Chriſtus: Cathedra legis gratiæ non dum erat inſtituta, quia nondum locutus fuit Deus in filio: ergo hoc Magiſterium Chriſti futuri tantum poteſt excogitari ſecundum quod erat in apprehenſione Prophetarum, ſed quatenus erat in mente Prophetarum non fuit Magiſterium legis gratiæ, ſed vmbrarum, & ſecundum illam legem: ergo ex hoc Magiſterio non poteſt probari inſtitutio veri ſtatus Religioſi in ſpiritu, & veritate legis gratiæ.

136 Tùm etiam, quia miniſter Chriſti futuri ad inſtituendum efficienter hunc ſtatum Religioſum verum in ſpiritu legis gratiæ eſſet Elias; ſed hoc non poteſt dici: ergo Magiſterium Chriſti ad hunc ſtatum fundamento caret: Maior ſupponitur ab Apologiſta, de quo directè ſequenti §. minor probatur, quia vt Elias eſſet miniſter Chriſti futuri ad inſtituendum ſtatum verum evangelicum in ſpiritu legis gratiæ debuit eſſe diſcipulus lucis Chriſti præſentis, & lux participata ex Chriſto ad docendum, & inſtituendum in Synagoga vetum illum ſtatum evangelicum in luce, & veritate evangelica, & non in vmbra figurativa, & prophetali, fuiſſetque Elias lux evangelica in veteri lege antequam oriretur ſol iuſtitiæ, & ex inſtitutione illius ſtatus manifeſtaret in Synagoga veritatem lucis legis gratiæ in illo ſtatu evangelico vero, quod eſt confundere lucem cum vmbris, quod ſecundum præſentem providentiam contradictionem manifeſtam implicat.

137 Ex Sacra Scriptura nobis conſtat quando incepit Chriſti Magiſterium, & in Actis Apoſtolum cap. 1. dicitur ibi: *Capit Ieſus facere, & docere*: ergo ante adventum eius non docuit in Synagoga, nec fuit Magiſter perfectionis evangelicæ in ſpiritu legis gratiæ, quia tùnc poſt adventum eius incepit revelare myſteria Regni Cœlorum, & ſpiritum legis gratiæ, & perfectionem evangelicam. Hoc argumentum, vt frivolum, & puerile con-

temnitur ab Apologiſta hic num. 4. & reſpondet ab inconve-niente, quia ſequeretur quod Chriſtus Dñs non fuiſſet Redemptor præcedentium in tempore, quod eſt hæreticum; ſequelam probat. S. Lucas aſſerit quod cæpit Ieſus facere, & docere: ergo ſi hac ratione non ſe extendit Magiſterium ad fideles veteris teſtamenti, nec opera, nec merita, ac perconſequens, qui tempore præceſſerunt non eſſet redempti.

138 Sed quis non miratur Theologum ſic diſcurrentem, & confundentem prædeſtinationem ad gloriam, & redemptionem, & effectus gratiæ Chriſti in vtroque teſtamento, niſi velit, quod fideles veteris teſtamenti redempti fuiſſent ex exemplaritate Chriſti futuri: certum enim eſt, quod genus humanum fuit redemptum à Chriſto Domino in tempore prædiffinito à Patre: certum etiam eſt, quod licèt omnes homines ex meritis Chriſti futuri eſſent redimibiles ex Dei pijſsima miſericordia, redempti non fuerunt niſi ex meritis Chriſti præſentis, & paſsi: ergo ante adventum Chriſti non erant redempti, quia redemptio facta fuit in ſanguine Chriſti: ergo redemptio generis humani ante adventum Chriſti non ſe extendit ad fideles veteris teſtamenti ſub lege ſervitutis, & peccatis ſed conſumata redemptione in ſanguine ipſius ſe extendit ad iuſtos omnes, qui adventum Redemptoris expectabant ex Chriſti futuri meritis, quibus aliquos effectus gratiæ receperunt ſecundum ſtatum illius legis, & tempus.

139. Nec ex redemptione ſequitur extenſio Magiſterij Chriſti ad vetus teſtamentum, quod manifeſtè docuit Apoſtolus ad Galatas cap. 3. verſ. 23. ibi: *Prius autem quam veniret fides ſub lege cuſtodiebamur concluſi in eamdem fidem, quæ revelanda erat, itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur, at vbi venit fides iam non ſumus ſub pædagogo*: ergo ſecundum Apoſtolum in Chriſto futuro lex fuit pædagogus in veteri teſtamento in timore, & correctione, & ibidem lect. 8. ait D. Thomas: *Sed hoc officium ceſſavit poſtquam venit fides*: ergo Magiſterium Chriſti in ſpiritu legis gratiæ non ſe extendit ad vetus teſtamentum; ſed in novo incepit, in quo cæpit Ieſus facere, & docere, vt in cap. 1. Actorum differentiam inter pædagogum legis veteris in Chriſto futuro, & Magiſterium legis novæ in Chriſto præſenti aſsignavit Div. Ioannes Chryſoſt. in eumdem textum D. Pauli, ibi: *Pape quanta fidei vis, & quomodo cum progreſſu ſermonis aperit! Prius enim oſtendit, quod fides redderet filios Patriarchæ, ſcitote inquiens, qui ex fide ſunt, hos*

eſſe

eſſe filios Abrahæ: nunc vero demonſtrat eoſdem eſſe filios Dei, omnes enim inquit eſtis filij Dei per fidem quæ eſt in Chriſto. Pædagogus veteris legis in Chriſto futuro oſtendebat Iudæos eſſe filios Abrahæ: Magiſterium Chriſti præſentis in nova lege oſtendit fideles eſſe filios Dei: ergo Chriſtus Dominus non fuit Magiſter in veteri lege in ſpiritu, veritate, & doctrina legis gratiæ, ſed tantum pædagogus in illa fide, & lege concluſus, & velatus vmbris, & figuris veteris teſtamento, & in novo revelatus eſt Magiſter verus in ſpiritu, fide, & doctrina legis gratiæ.

§. VIII.

Proponuntur motiva Apologiſtæ, & aliorum eiuſdem ſententiæ ad probandum Magiſterium Chriſti in veteri lege ad inſtituendum ſtatum verum Religioſum evangelicum quoad ſubſtantiam in eodem ſpiritu, & veritate legis gratiæ.

140 IN eodem §. 9. num. 41. arguit Apologiſta ex epiſt. ad Hebræos cap. 11. ibi Apoſtolus Cathalogum facit virorum perfectorum veteris legis, & poterat etiam laudare Eccleſiaſticum à cap. 40. & ſequentibus, ibi viros glorioſos illius legis ex virtutibus eorum nominatim celebrat; & proponit Martyrium Machabæorum: & num. 49. arguit ſub hac forma: Daniel, Elias, Eliſæus, & alij quamplurimi Patriarchæ, & Prophetæ, de quibus in ſcripturis, extiterunt iuſti, & perfectiſsimi in illa lege in ſpiritu legis gratiæ, & ad evangelium pertinent, ſecundum doctrinam SS. PP. quos nominatim laudat num. 41. ergo Magiſterium Chriſti in ſpiritu legis gratiæ ſe extendit ad vetus teſtamentum, & ex hoc Magiſterio, & exemplaritate Chriſti non repugnat in illa lege inſtitutio veri ſtatus Religioſi evangelici in eodem ſpiritu, & veritate legis gratiæ.

141 Hoc argumentum eſt vnicum fundamentum adverſariorum ad ſtabiliendam ſuam novitatem, & ad ſolutionem argumentorum quæ eis opponuntur ex imperfectione veteris legis; quo diluto, ruit totus ſtatus verus Religioſus evangelicus veteris teſtamenti; & reſpondetur, quod hoc argumentum favet Iudæis, qui eodem diſcurſu pertinaciter perfectionem legis Moyſis conantur pro-

probare, & eſt ſuæ perfidiæ præcipuum argumentum deſumptum ex perfectione perſonarum veteris teſtamenti, vt evidenter appareret in diſputatione D. Gergentij habita coram Rege Syriæ, & Doctoribus Synagogæ contra Rabbi Herbam, vt refertur in Bibliotheca VV. PP. Pariſijs anno 1589. colum. 1029. in qua contra Sanctum Archiepiſcopum, vt perfectionem legis Moyſis probaret, arguebat Rabbinus, ibi: *Moyſes, & Elias non per hanc imperfectam legem noſtram viſi ſunt perfecti Deo legis præclaræ, & benè facientes, quanam igitur cauſa legem imperfectam dixiſti? Ille quidem videtur os ad os cum Deo alloquutus eſſe, quemadmodum quidam amicus cum amico dilecto ſuo, atque Ægyptum vt Deus Pharaonem flagellauit ſeptem plagis, & alia fortaſſe ipſe ſcit: Elias vero non ignem è Cœlo eduxit, & pluviæ interclusit diſtributiones, vt non plueret annis tribus, & ſex menſibus? Non etiam quadraginta dies ieiunium iterfecit? Non in Horeb in ſubtiliſsima aura pede ambulans vidit Deum legis, & inter vivos vivit vſque in d em? Quomodo igitur legem ipſe affirmas parvulam, & inefficacem?* Sic arguebat Rabbinus, & ſub eiſdem terminis arguit Apologiſta, qui, ſi probaret perfectionem ſtatus Religioſi evangelici in veteri lege, Iudæus concluderet perfectionem eiuſdem legis, quod ſic oſtenditur; ideò ex Apologiſta Magiſterium Chriſti extenſum fuit ad ſtatum Religioſum evangelicum quoad ſubſtantiam in ſpiritu legis gratiæ ab Elia inſtitutum, quia in veteri lege fuerunt viri perfectiſsimi in fide Chriſti futuri, ſed in eadem fide fuerunt viri perfectiſsimi in ſpiritu legis gratiæ ſub illa lege: ergo Magiſterium Chriſti ſe extendit ad illos, & conſtituit ſtatum veteris legis perfectum in ſpiritu legis gratiæ, & quoad ſubſtantiam fuit evangelicus: conſequentia probatur ex Apologiſta: ſufficit perfectio iuſtorum legis veteris vt ex ea inferatur ſtatus perfectus quoad ſubſtantiam evangelicus inſtitutus ab Elia in ſpiritu, & veritate legis gratiæ: ergo ſufficit eadem perfectio iuſtorum ad inferendum ſtatum illius legis inſtitutum fuiſſe perfectum à Moyſe in ſpiritu legis gratiæ quoad ſubſtantiam evangelicum: conſequentia probatur; quia illa perfectio iuſtorum fuit ſufficiens, vt inferatur in veteri lege ſtatus perfectus ſecundum perfectiora conſilia legis gratiæ in eodem ſpiritu, & veritate evangelicus: ergo potiori iure inferretur ſtatus perfectus, & quoad ſubſtantiam evangelicus ſecundum præcepta illius legis, ac perconſequens lex eſſet perfecta, vt arguebat Rabbinus.

142. Sed quia Apologiſta, & Rabbinus eodem principio diſcurrentes eadem fallacia laborant, neuter probat, quia procedunt

dunt ex perfectione perſonarum ad ſtatum, & non tenet conſequentia vt ex D. Thoma oſtendimus in 1. part. diſc. 1. §. 2. & patet, quia multi in lege gratiæ non ſunt in ſtatu perfectionis, & ſunt perfectiſsimi, & aliqui vt mali Epiſcopi, & Religioſi ſunt in ſtatu perfectionis, & non ſunt perfecti, quia perfectio perſonarum ſumitur ex dilectione Dei, & gratia interius infuſa, at vero perfectio ſtatus provenit à perfectione legis illum conſtituentis, perfectio perſonalis eſt particularis illius perſonæ, at perfectio ſtatus debet eſſe communis omnibus illum ſtatum, & legem tenentibus.

143 Secundum hanc doctrinam reſpondit D. Gergentius Rabbino vbi ſupra: *Moyſes, & Elias nihil ad ſalutem generis humani perficere potuerunt, niſi vnus Sanctus, vnus Dominus Ieſus Chriſtus*, & ibidem: *Non in his miraculis Reſpublica beatè cernitur, ſed in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem omne peccatum ſublatum eſt.* Hæc fuit ſolutio D. Gregentij ad Rabbinum: concedit igitur perfectionem perſonarum, & ex illis nihil ad communem ſalutem generis humani perficere potuiſſe docet: ergo negat ſtatum aliquem communem perfectionis in illa lege à Moyſe, vel Elia: at ſi Elias inſtituiſſet ſtatum verum Religioſum quoad eſſentiam evangelicum aliquid ad communem generis humani vtilitatem, & ſalutem perfeciſſet: ergo ex D. Gregentio ex perfectione perſonarum ad ſtatum non valet conſequentia, nec Elias verum ſtatum Religioſum in ſpiritu legis gratiæ inſtituit. Notare etiam oportet ad illa verba Sancti Gregentij: *Non in illis miraculis Reſpublica beatè cernitur*: ergo diſtinguis perſonalem perfectionem in miraculis, & virtutibus; & perfectionem Reipublicæ, vel in ſtatu per Crucem; itaque nulla fuit Reſpublica in veteri teſtamento evangelica quo ad ſubſtantiam, & in ſtatu aliquo ante Crucem Domini, & redemptionem à peccato.

144 Fallacia Apologiſtæ oſtenditur teſtimonio Div. Auguſtini, quod magni facit hic num. 51. lib. de ſpiritu, & littera ait Sanctus Doctor cap. 17. ibi: *Fuerunt tamen aliqui in ſtatu veteris teſtamenti habentes charitatem, & gratiam Spiritus Sancti, qui principaliter ſpectabant promiſsiones ſpirituales, & æternas, & ſecundum hoc pertinebant ad novam legem*; ſed hi iuſti charitatem, & gratiam habentes fuerunt perfecti immò aliqui perfectiſsimi, & non fuerunt in ſtatu vero quoad ſubſtantiam evangelico, ſed in ſtatu figurativo, & vmbratico imperfecto imperfectione illius legis ſecundum Div.

Div. Auguſtinum, ibi: *Fuerunt aliqui in ſtatu veteris teſtamenti*, qui ſecundum fidem fuit vmbraticus, & figurativus: ergo non manifeſtè docet Div. Auguſtinus quod ex perfectione perſonarum ad ſtatum non valet conſequentia, & fallax eſt diſcurſus huius argumenti. Plurimis Div. Thomæ teſtimonijs poterat hæc doctrina Auguſtini confirmari, ſed pro nunc ſufficiat expoſitio Angelici Magiſtri in 2. ad Corinth. cap. 3. verſ. 9. lect. 2. ibi: *Conſueverunt hoc in loco fieri quæſtiones de comparatione Moyſi, & Pauli, ſed ſi rectè conſiderentur verba Apoſtoli, non ſunt neceſſariæ, quia hic non fit comparatio perſonæ ad perſonam, ſed miniſterij ad miniſterium.* Diſput. D. Paulus in hac epiſtola contra Iudæos, oſtendens excellentiam legis gratiæ, & eius miniſterij, ſuper miniſterium veteris legis. Aliqui ex perfectione Moyſis, & comparatione cum Paulo in perfectione, quæſtiones faciebant in hoc loco, & Div. Thomas reſpondet invtiles eſſe, quia in quæſtionibus de perfectione novæ legis, & imperfectione veteris, & de differentijs miniſteriorum, & ſtatuum veteris, & novi teſtamenti non comparantur perſonæ, ad perſonas, ſed miniſteria ad miniſteria, & ſtatus ad ſtatum, quod patet, quia multi in veteri lege perfectiores fuerunt aliquibus Chriſtianis, & tamẽ Chriſtiani licèt imperfecti, sũt in ſtatu perfecto legis gratiæ, & perfectiſsimi veteris legis fuerunt in ſtatu imperfecto, & figurativo illius legis: eſt ergo fallax argumentum Apologiſtæ ex perfectione perſonarum veteris legis ad ſtatum verum Religioſum ab Elia inſtitutum in ea, & reſpondere tenetur Iudæis ex eadem perfectione perſonarum ad perfectionem ſtatus veteris legis arguentibus.

145 Arguit etiam Apologiſta num. 41. illuſtriſsimo, & clariſsimo teſtimonio (vt aſſerit) ex cap. 8. Ioannis, ibi: *Abraham pater veſter exultavit, vt videret diem meum, vidit, & gaviſus eſt*, & laudat patres dicentes quod vidit Abraham diem Nativitatis, vel mortis, & paſsionis, vel totam Chriſti vitam: addit etiam illud ex cap. 23. Job. ibi: *Veſtigia eius ſequutus eſt pes meus*: Ex his infert, & concludere exiſtimat Magiſterium Chriſti ad inſtituendum verum ſtatum Religioſum in veteri lege quoad ſubſtantiam evangelicum.

146 Sed fallitur in hoc argumento; quia antecedens veriſſimum eſt, & conſequentia periculosè infertur, quod ſic oſtendo. Moyſes in monte vidit exemplar Chriſti, legem accepit à Deo, & cap. 2. lib. 2. Machab. dicitur ibi: *Exijt in montem in quo Moyſes aſcen-*

cendit, & vidit Dei hæreditatem, & multi Patres dixerunt quod ſ vidit divinam eſſentiam tranſeunter; ſed de fide eſt quod Moyſes non inſtituit in veteri lege ſtatum verum quoad eſſentiam, & ſubſtantiam evangelicum in ſpiritu legis gratiæ, ſed vmbraticum, & figurativum in littera occidente: ergo ex revelatione Chriſti Domini facta aliquibus perſonis, & ex manifeſtatione vitæ ſpiritualis legis gratiæ quoad internam perfectionem animarum fidelium illius legis periculosè infertur ſtatus verus evangelicus quoad ſubſtantiam in ſpiritu legis gratiæ in veteri lege ſervitutis; & ratio eſt manifeſta ex principijs infalibilibus ſecundum fidem; quia de fide eſt, quod ſecundum præſentem providentiam gratia Dei infuſſa animæ eſt donum Spiritus Sancti iuſtificans, & ſanctificans interius animam, quomodocumque infundatur: De fide etiam eſt, quod gratia ex lege non fuit infuſſa in veteri lege, ſed in nova datur, & infunditur per Spiritum Sanctum ex meritis Chriſti paſsi, ſed de fide etiam eſt, quod ſtatus verus quoad ſubſtantiam, & eſſentiam non poteſt inſtitui in ſpiritu legis gratiæ evangelicus, non figurativus, ſed verus veritate evangelica ſine lege iuſtificante, & ex ſe perficiente: ergo ſecundum fidem Catholicam ex gratia charitate, perfectione, & revelatione perſonarum veteris legis non licèt inferre in veteri teſtamento ſtatum verum evangelicum veritate, & ſpiritu legis gratiæ inſtitutum ab aliquo puro homine.

147 Nec obſtat doctrina Apologiſtæ, num. 51. in quo aliam proponit diſtinctionem novam, & inauditam, vt defectuoſum oſtendat argumentum ex textu D. Pauli ad Hebræos cap. 7. verſ. 19. ibi: *Nihil ad perfectum adduxit lex*: Apoſtolum explicat diſtinguens in veteri lege; vivere in lege imperfecta, & vivere, & operare ſecundum legem imperfectam, & aſſerit quod illi, qui tenebant legem illam imperfectam, & ſecundum illam vivebant, & operabantur non potuerunt eſſe perfecti, nec habere ſtatum perfectionis: at vero illi, qui viventes in lege imperfecta non gubernabantur per illam, ſed litteræ ſuperiores ſecundum ſuperiorem, & perfectam legem gratiæ in ſpiritu evangelij operabantur, perfecti potuerunt eſſe, & in ſtatu perfecto, quia re ipſa erant Chriſtiani, evangelici, & Chriſti oves, & hanc eſſe veram explicationem ad textum Apoſtoli.

148 Contra hanc novam explicationem ad textum Apoſtoli arguitur ſecundum fidem Catholicam: Omnes fideles in vero Dei cultu viventes, ſivè in lege naturæ, ſivè in lege ſcripta potuerunt

runt Deum diligere, & tenebantur ſecundum prædictas leges, & potuerunt eſſe iuſti, & perfecti ex meritis Chriſti futuri: ergo in lege naturæ, & ſcripta fuit ſtatus verus evangelicus inſtitutus in quo omnes fideles, ſivè vxorati, ſivè Cœlibes potuerunt, vel fuerunt perfecti iuſti, Chriſtiani, & evangelici: hæc conſequentia non eſt admittenda, quia alias ab initio mundi fuiſſet inſtitutus ſtatus evangelicus, & Chriſtianus: quid ergo fecit Chriſtus Dominus? Dicat ergo Apologiſta, quando, & à quo fuit inſtitutus hic ſtatus, quia ſtatus debet conſtitui aliqua lege: ergo illi viventes in lege veteri ſecundum legem novam, & in ſpiritu illius, licèt dici poſſent ex perfectione perſonali perfecti, Chriſtiani, & evangelici quoad animam, non tamen poteſt dici quod fuerunt in ſtatu evangelico Chriſtiano, & perfecto. Confirmatur: quia licèt fideles illius temporis ante Chriſti adventum ex meritis eius futuri extiterunt iuſti ex gratia, & perfecti ex charitate quoad animam, adhuc quoad animam non fuerunt in ſtatu evangelico, & perfectæ libertatis Chriſtianæ: ergo ex perfectione perſonarum perperam infertur ſtatus perfectus evangelicus: Antecedens probatur, vt illi eſſent quoad animam in ſtatu evangelico perfectæ libertatis Chriſtianæ, deberent eſſe redempti, conſumata gratia paſsionis Chriſti, à pœna peccati, & liberi à lege ſervitutis, ſed illi perfecti, & iuſti veteris legis non dum erant redempti à pœna excluſionis à Regno, nec liberi à lege ſervitutis, & peccati: ergo licèt quoad animam extiterint iuſti, & perfecti, non erant quoad animam in ſtatu evangelico, & in re Chriſtiano, & perfectæ libertatis evangelicæ. Statum iuſtorum veteris legis explicat Celeberrimus Magiſter Soto in 4. diſt. 2. quæſt. 1. art. 4. propè finem, ibi: *Sexta ſubindè additur excellentia, quod Cultores illius legis, non plenè perfectèque merebantur filiorum Dei nomen: nam quamvis eſſent Regni hæredes, non tamen in eius poſſeſsionem admittebantur, atque adeò ſervorum habebantur loco, iuxta verbum Pauli ad Galat. 4. Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſeruo, &c. Ita & nos, cum eſſemus parvuli ſub elementis mundi huius eramus ſervientes. At vbi venit plenitudo temporis, miſsit Deus filium ſuum, &c. vt adoptionem filiorum reciperemus. Qua vtique ratione ait de Chriſto Ioann. cap. 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri ijs qui credunt in nomine eius, &c. Non quod non omnes ab Adam, vſque per eamdem fidem gratiam recepiſſent, ſed quod poſt Chriſtum paſſum filij in paternam hæreditatem, fuerint admiſsi. Vndè Paul. Rom. 8. Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum (ſicuti ſub antiqua*

qua lege) in timore (ſcilicet ſervitutis) ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater: ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij, & hæredes. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Qui quidem, cum antea non fuiſſet incarnatus, non erat antiquitas digna, vt mortales tunc, eius dicerentur cohæredes. Et ibidem in fine addit: *Accedit quod ſi perfectè fuiſſent grati, & amici, loco filiorum fuiſſent tractati: nam amicus Dei, filius ſubindè eius eſt, atque adeò inhæreditatem paternam fuiſſent recepti. Inter homines namque, ob id filius, niſi mortuo patre, hæreditatem non adit, quod temporale patrimonium vtrique non ſufficit: Regnum autem infinitum Dei, mundis infinitis ſufficeret, & nihilominus, vti ait Paul. ſicuti parvuli ſub tutore, continebantur patres illi vt ſervi, quouſque more humano (vt ad Hebr. 9. Paul. ait) morte intercedente Chriſti, hæreditatem adirent. Quin verò, & in hoc etiam habebantur vt ſervi, quod ſecreta divina non illis communicabantur, vt in lege noua. Quare Chriſtus, ad eorum differentiam, ait evangelij cultoribus Ioan. 15. Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos: quia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Secreta ſiquidem prudentiſſimus quiſque, non ſervis concredit, ſed amicis pandit. Gratia ergo illius legis non ad iuſtum ſuum culmen aſcenderat. Qua vtique ratione (quod rem maximè confirmat) nomen gratiæ apud Deum, in hac euangelica ſignificatione, vix vno, aut altero loco, in toto teſtamento veteri reperies, ſed ſolum nomen iuſtificatricis fidei, qua Paul. ad Hebr. 11. (vt paulò antè dicebamus) omnes iuſtos, tàm in lege naturæ, quàm in ſcripta, ait Deo obedientiam præſtitiſſe. Sic ergo Cultores illius priſcæ legis contemplari licèt, ac ſi ciues qui Regis Maieſtatem læſiſſent, veniam ab illo deprecantes, nec repulſam, omninò paterentur, neque vero omnimodam obtinerent indulgentiam, ſed expectare regium filium iuberentur, qui eorum veniam apud ipſum promereretur.* Ex quibus manifeſtum, & palam fit quod illi veteris teſtamenti iuſti, licèt quoad animam filij fuerint, & amici, in loco tamen amicorum, & filiorum non erant, ſed ſervorum, in quo iura, & poſſeſſionem filiorum non acceperunt, quia ſpiritus libertatis, non fuit eis datus, nec gratia conſummata per Chriſtum præſentem, & paſſum: ergo ad ſtatum filiationis Dei, adoptionis, & amicitiæ, non fuit ſufficiens gratia illa per fidem in Chriſtum, Redemptorem futurum, ſed neceſſarium eſt, quod genus humanum ſit redemptum, & reſtitutum ad priſtinum honorem per filium Dei, & accipiat gratiam conſummatam ex lege iuſtitiæ ex meritis Chriſti, & paſsi; at ſine hac gratia, non poſſunt eſſe Chriſtiani *in Re*, ſed in Spe, figurativè, & ſine *Re*, quæ

pro-

propriè, eſſentialiter, & ſpecificè conſtituit Chriſtianiſmum per caracterem receptum in anima:ergo licèt illi veteris legis iuſti poſſent dici aliquomodo Chriſtiani in ſpe per fidem, non poſſunt appellari Chriſtiani in re per gratiam ante redemptionem generis humani.

149 Cæterum doctrina Apologiſtæ falſiſsima eſt, & illa diſtinctio confuſio veteris, & novæ legis. Dicit Apologiſta, quod viventes in lege veteri non ſecundum illam legem,ſed iuxta legem gratiæ poterant eſſe perfecti, & habere ſtatum perfectum; at, vero qui vivebant in lege ſecundum illam legem non poterant eſſe perfecti, nec habere ſtatum perfectum, ſed omnes in veteri lege tenebantur vivere in veteri lege, & ſecundum illam legem, cuius obſervantia diſponebantur homines ad gratiam Chriſti iuſtificantem vt docet Div. Thomas 1. 2. quæſt. 100. art. 12. in corp. & quæſt. 103. art. 2. in corp. quod fideles illius legis poterant coniungi Chriſto incarnato, & paſſo per fidem, cuius fidei proteſtatio erat cæremoniarum illius legis obſervatio: ergo fideles illius legis ſecundum illam vivere debebant, vt diſponerentur mentes eorum ad iuſtificationem, & perfectionem ex fide in Chriſtum. Tùm etiam, quia ſpecialis cultus, quo fideles in illo populo veram fidem proteſtabantur, exterius, erat ritus à Deo datus ſecundum illam legem: ergo ſecundum illam vivere, & operari obligabantur, quod patet,nam Lucæ cap. 2. conſtat Chriſtum Dominum etiam ſecundum illam legem vixiſſe, ibi: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi, tullerunt illum in Hieruſalem,vt ſiſterent eum Domino*: ergo in illa lege, & ſecundum illam viventes iuſtificabantur, & perfecti erant ex fide Chriſti, immo vt ex fide Chriſti iuſtificarentur,ſecundum legem vivere debebant.

150 Erant etiam, ſecundum perfectam doctrinam, alij qui in lege illa imperfecta non gubernabantur per illam in exercitio virtutum, ſed ſupra litteram elevati non iuxta illam legem vivebant, ſed iuxta legem perfectiſsimam gratiæ, & eius perfectiora conſilia ipſis revalata, &c.cognita perfidem. Hæc Author. Vndè docet, quod iuſtis illis veteris legis ita expreſsè fuerit revelata lex gratiæ, & conſilia evangelica perfectiſsima, vt in illa lege veteri ſecundum illa viverent, vt perfectionem legis gratiæ acquirerent in ſtatu evangelico perfecto, quod durum eſt, quia illis fuiſſet revelatum in Synagoga per ſuos Prophetas, quod nobis locutus fuit Deus in filio in Eccleſia; parumque differrent lex vetus,Synagoga,

lex

lex gratiæ, & Eccleſia: Quomodo fuerunt revelata myſteria Chriſti in quadam generalitate docet D. Thomas in epiſt. ad Ephæſ. cap. 9. lect. 1. & 2. quæſt. 1. art. 1. diſputat de augmento fidei in nova lege, & ad 3. ibi: *Et ideò tantum dabatur Patribus illis de cognitione fidei quantum oportebat pro tempore illo populo tradi, vel nudè, vel in figura*: Nimis igitur exaltat Apologiſta fidem Synagogæ.

151 Continet etiam aliam duriſsimam propoſitionem, quæ nec Iudæis, nec Chriſtianis placere poteſt, ſcilicèt, quod iuſti veteris legis non gubernabantur ſecundum illam legem in exercitio virtutum, quia ſicut nunc in lege gratiæ placemus Deo viventes ſecundum novam legem propter res præſentes quas habemus, & futuras quas ſperamus, tùnc in veteri lege placebant Deo iuſti illi viventes ſecundum illam legem, & cæremonias non propter ipſas res ſecundum ſe conſideratas, ſed propter illas quas præfigurabant: ergo iuſti illi, & perfecti gubernabantur in exercitio virtutum ſecundum illam legem, & cæremonias, & ritum exteriorum rerum illius, vt placerent Deo, licèt alia ſperarent, quia promiſsio rerum, quas ſperabant facta fuit viventibus ſecundum illam legem. Tùm etiam, quia lex data fuit ad gubernium fidelium illius populi, & fuit pro tempore illo conveniens, vt Deum diligerent, & viverent iuxta divinam voluntatem: ergo duriſsimum eſt aſſerere, quod in exercitio virtutum non gubernabantur iuſti ſecundum illam legem. Tùm etiam, quia in illa lege præcipiuntur virtutes, præcipuè morales, & datur ritus vt in vero Dei cultu fideles gubernarentur: ergo illa lex non impediebat exercitium virtutum, & licèt non iuvaret, iudebat obſervantiam virtutum, ac perconſequens viventes ſecundum illam legem, potuerunt in virtutibus exerceri, & per legem gubernari, & per fidem in Chriſtum iuſtificari, & eſſe perfecti Deum ſuper omnia diligendo.

152 Sed dato, & non conceſſo, quod omnibus iuſtis, & perfectis veteris legis expreſsè revelata fuerunt myſteria legis gratiæ, & eius perfectiora conſilia, & quod viventes ſecundum legem, revelata fuiſſent myſteria Chriſti Domini, & omnis ſtatus evangelij cogniti, non ſolum in quadam generalitate, vt docet D. Thomas ſupra citatus in cap. 3. ad Ephæſ. lect. 1. ſed etiam quantum ad ſingulares, & determinatas circumſtantias, quod expreſsè negat ibidem, quod nimis Synagogam exaltat, in hac ſuppoſitione potuerunt eſſe perfectiſsimi, & non poſſent eſſe in ſtatu

per-

perfecto evangelico, quod brevi diſcurſu probatur: Ad conſtituendum ſtatum perfectum, & evangelicum in ſpiritu, & veritate legis gratiæ non fuit ſufficiens perfectio, vel iuſtificatio perſonarum ex fide; ſed neceſſaria fuit iuſtificatio, & perfectio ex lege; ſed illi non fuerunt iuſtificati, nec perfecti ex lege aliqua, ſed ex fide in Chriſtum, cuius myſteria, & conſilia cognoverunt per ſpirituales, & internas revelationes: ergo licèt fuiſſent perfecti non eſſent in ſtatu perfecto, & evangelico: Maior eſt certa, quia ſtatus non poteſt conſtitui, niſi per legem, alias, omnes Iudæi eſſent in ſtatu perfecto, & evangelico, quia per circumciſionem iuſtificabantur in fide Chriſti: Minor eſt de fide, quia iuſtificatio ex lege non fuit data niſi per Chriſtum: *Gratia, & veritas per Chriſtum*: conſequentia legitimè infertur.

153 Confirmatur doctrina Apoſtoli qui ad Hebr. cap. 7. de translatione legis, & Sacerdotij veteris teſtamenti diſputans concludit, verſ. 19. ibi: *Nihil ad perfectum adduxit lex*, & cap. 11. fidem Patriarcharum veteris teſtamenti celebrans perfectiſsimos illos ex fide commendat: ergo viri illi perfectiſsimi veteris teſtamenti non fuerunt in ſtatu perfecto, & evangelico ex perfectione per fidem in Chriſtum futurum; patet, quia ex illa lege non potuerunt eſſe in ſtatu perfecto, quia nihil ad perfectum adduxit, non per legem gratiæ, quia non dum erat inſtituta, & data: non per fidem, quia ſtatus fidei veteris teſtamenti non conſtituit ſtatum perfectum evangelicum in ſpiritu legis gratiæ: ergo ex perfectione perſonarum ad ſtatum non valet argumentum, nec ad probandum Magiſterium Chriſti extenſum ad inſtituendum verum ſtatum Religioſum evangelicum quoad ſubſtantiam in ſpiritu legis gratiæ in veteri. Hucuſque dicta repugnantiam veri ſtatus Religioſi in illa lege oſtendunt, ſed quia Apologiſta de facto extitiſſe in illa lege probare conatur in 2. part. 5. propoſit. fundamenta huius propoſitionis proponuntur, & inſubſiſtentia demonſtratur.

DIS-

DISCURSUS SEXTUS.

Motiva ad actualem exiſtentiam veri ſtatus religioſi in Synagoga proponuntur, & impugnantur.

§. I.

§. Propheta Elias in veteri lege non fuit idoneus Miniſter Chriſti in veritate novi teſtamenti ad inſtituendum verum ſtatum religioſum in ſpiritu legis gratiæ ſubſtantialiter evangelicum cum veris conſilijs perfectionis.

154 IN hac 2.p. propoſitionis quintæ de facto extitiſſe verum Monachatum cum votis Evangelicis deſiderat oſtendere in veteri lege, & §. 2. in titulo ſupponit ex prædicta exemplaritate non ſolum Eliam verum fuiſſe Monachum, ſed etiam Chriſti Miniſtrum ad inſtituendum verum Monachatum cum tribus ſubſtantialibus votis in lege ſcripta, vnde non ſolum Eliæ revelata fuiſſent conſilia legis gratiæ, & ſpiritus eius datus ad perfectionem perſonalem, ſed etiam ex fide in Chriſtum ex exemplaritate conſtitutus fuiſſet verus Chriſti Miniſter ad inſtituendum ſtatum in veteri lege verum in veritate evangelica, & evangelicum ſubſtantialiter in ſpiritu legis gratiæ, in quo ſtatu omnes profitentes ex inſtitutione Eliæ, & exemplaritate Chriſti futuri eſſent in ſtatu vero evangelico religioſo, qui idem fuit, & nunc continuatus cum ſtatu religioſo, & Monachatu Chriſtiano: Sic Apologiſta cum omnibus ſuæ novitatis defenſoribus.

155 Contra hoc novum aſſertum plurima occurrunt; quia vt Elias eſſet verus Miniſter Chriſti ad inſtituendū verum ſtatū religioſum in illa lege in ſpiritu legis gratiæ ex Chriſti exēplaritate, deberet habere authoritatē ad ferendam legem conſtitutivam illius ſtatus, & virtutem ad dandum legi illi ſpiritum, & veritatem legis gratiæ, & perfectionem illius; ſed Elias in veteri lege

non habebat ex Chriſti exemplaritate ſibi revelata hanc authoritatem, nec habebat virtutem ad infundendum illi legi ab eo inſtitutæ ſpiritum, & veritatem legis gratiæ, & perfectionem illius: ergo Elias non fuit in illa lege ex exemplaritate Chriſti futuri idoneus Miniſter ad inſtituendum verũ ſtatum religioſum ſubſtantialiter evangelicum in ſpiritu legis gratiæ: Maior eſt certa, quia ſtatus conſtituitur à lege, lex ab authoritatem habẽte, & ſpiritus legis gratiæ non poteſt dari legi, niſi ab habente virtutem, & poteſtatem ad illum conferendum legi: Minor probatur; quia alias ex Chriſti exemplaritate eſſet Elias in illa lege inſtrumentaliter cauſa efficiens, ſeũ Miniſter ſpiritus, & perfectionis legis gratiæ antequam exiſteret cauſa principalis Chriſtus Dñs Deus, & homo. Confirmatur, quia in eo caſu Elias nõ eſſet Chriſti Miniſter, ſed cauſa principalis in diverſo genere cauſæ; quia operans ad inſtar cauſæ exẽplaris eſt cauſa efficiẽs principalis illius effectus ad inſtar; & exemplar cõcurrens in ſuo genere: ergo in Monachatu vero Evangelico in ſpiritu legis gratiæ Chriſtus concurreret vt cauſa exẽplaris, & Elias vt cauſa efficiens: ergo non eſſet Miniſter; ſed cauſa efficiens, influeretque ſpiritum, & veritatem evangelicam in illum ſtatum.

156. Diſcurſus præfatus fundatur in doctrina D. Pauli, qui inter cœteros canonicos ſcriptores ſummis laudibus perfectionem legis gratiæ celebrat, & probat contra perfidiam Iudæorũ, ex differentijs vtriuſque teſtamenti, & ex diſcrimine Miniſtrorum vtriuſque legis, Iudæos confundit, & convincit in 2. ad Corinth. cap. 3. v. 6. ibi: *Qui, & idoneos nos fecit Miniſtros novi teſtamenti: non littera; ſed ſpiritu, littera enim occidit, ſpiritus autem vivificat. Quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere filij Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius, quæ evacuatur; quomodò non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria? Nam ſi miniſtratio damnationis in gloria eſt; multo magis abundat miniſterium iuſtitiæ in gloria* Hic D. Paulus apertè docet, in quo cõſiſtat miniſterium in ſpiritu legis gratię, & in quo differãt miniſtri veteris, & novi teſtamenti, & quando, & quomodo fuerunt inſtituti miniſtri Chriſti in ſpiritu legis gratiæ; & prius intentio Apoſtoli aperienda eſt, vt argumentorum efficatia contra miniſterium novum Eliæ clarius percipiatur. Cornelius enim à Lapide contra quos ſcripſit Apoſtolus explicuit ibidem n. 44. ibi: *Paulus hic legem veterem vocat mortis miniſtram, & quaſi lictorem; eo quod ipſius eſſet occidere quidem reos, non autem vivificare obſequentes.*

Ex.

Ex hiſce ſatis patet Paulum hæc ſcribere contra pſeudoapoſtoles, eoſque fuiſſe Iudæos, atque Iudaiſmum voluiſſe inducere, & miſcere cum Chriſtianiſmo. Hac enim de cauſa Iudæos ita hic deprimit, & pungit Paulus, adeò que tam legem veterem, quàm Moyſem vocat miniſtros mortis, & damnationis: ſe vero, & Apoſtolos, legemque evangelicam vocat miniſtros iuſtitiæ, ſpiritus, & vitæ. Idem magis patebit cap. 10. & 11. vbi aperto marte hoſce Iudæos obtrectatores ſuos inſectatur. Arguebat igitur Apoſtolus contra pſeudoapoſtolos, & Iudæos, qui vt Iudaiſmum introducerent, & miſcerent cũm Chriſtianiſmo in lege nova, veterem legem perfectam dicebant, miniſtros veteris teſtamenti idoneos in ſpiritu appellabant, & miniſteria illa vtilia ad ſalutem exiſtimabant, itaque eiſdem argumentis Apoſtoli inſurgimus contra Magiſtros, & Doctores Chriſtianos, qui in lege nova defendunt, quod ſpiritus legis gratiæ mixtus fuit cum Iudaiſmo in veteri teſtamento, & ante adventum Chriſti in veterem legem introductum verum miniſterium Chriſti ad inſtituendum in Synagoga ſtatum evangelicum in ſubſtantia, eſſentia, & veritate Chriſtianum: & primo ex D. Paulo: miniſtri veteris teſtamenti fuerunt inſtituti in littera occidente: idonei miniſtri Chriſti in veritate legis gratiæ inſtituti fuerunt in ſpiritu vivificante; ſed in veteri teſtamento nullus fuit ex exemplaritate Chriſti futuri idoneus miniſter Chriſti in ſpiritu vivificante; ſed omnes fuerunt miniſtri in littera occidente: ergo Elias non fuit idoneus miniſter Chriſti verus in veritate legis novæ ad inſtituendum verum ſtatum religioſum, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicum in ſpiritu legis gratiæ: Maior, & minor ſunt ad litteram textus Apoſtoli, & conſequentia legitimè infertur. Confirmatur, vel ex illa exemplaritate Chriſti futuri fuit Elias verus miniſter Chriſti in ſpiritu vivificante, vel in littera occidente, vel ſimul in littera occidente, & ſpiritu vivificante: ſi primum, in veteri lege fuiſſet miniſterium iuſtitiæ, quod expreſsè negat Apoſtolus: ſi ſecundum, eſſet miniſterium figurativum mortis, & damnationis, ſicut miniſterium Moyſis: ſi tertium, eſſet miſcere in illa lege evangelium, & Iudaiſmum, & implicat ſimul eſſe ſpiritum vivificantem, & litteram occidentem in aliquo ſtatu vero: ergo Elias non fuit idoneus Chriſti miniſter in illa lege ad inſtituendum ſtatum verum religioſum in ſpiritu, & veritate legis gratiæ.

157 A paritate etiam excluditur verum miniſterium Chriſti in Elia ad inſtituendum ſtatum in ſpiritu legis gratiæ in ve-

teri; nam iuxta doctrinam Apoſtoli, Moyſes fuit præcipuus miniſter Dei in illa lege ad inſtituendum miniſterium in ea ex Chriſti futuri exemplaritate ei revelata in monte, vt conſtat Exod. 25. verſ. 44. ibi: *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*. Et in Actis Apoſtolorum verſ. 44. Et in Epiſt. ad Heb. cap. 8. v. 5. & lib. 2. Machab. cap. 2. dicitur, quod in monte illo vidit hæreditatem Dei: in hoc monte, ſecundum Patres, revelatus fuit Chriſtus futurus, & idea Eccleſię manifeſtata, & ſecundum aliquos Doctores, & Theologos, vidit tranſeuntèr divinam eſſentiam, & his revelatis ex exemplaritate Chriſti non fuit verus miniſter Chriſti in ſpiritu, nec miniſterium eius in veritate legis gratiæ; ſed miniſter in littera occidente, & miniſterium eius mortis, & damnationis, vt docet D. Paulus: ergo licèt Eliæ revelata fuerit Chriſti exemplaritas ad aliquem ſtatum in veteri lege inſtituendum, non fuit idoneus Chriſti miniſter in ſpiritu, nec miniſterium eius in veritate legis gratiæ, ſed in littera occidente, & miniſterium eius non eſſet Evangelicum, nec ſtatus verus, ſed figurativus, & vmbraticus: Antecedens eſt certum ex locis Sacræ Scripturæ citatis; conſequentia patet ex identitate rationis, temporis, & legis, & ſtatus illius populi, & patet, quia miniſterium Moyſis eſt de fide revelatum, in ſacris litteris cōmendatum, & in veteri, & novo teſtamento fuit Legislator illius populi, & quia nondum Chriſtus Dñs advenerat, non fuit verus eius miniſter in ſpiritu, ſed in littera. Miniſterium hoc Eliæ ad inſtituendum hunc ſtatum religioſum eſt noviter ad inventum, non invenitur in Sacris Scripturis, non cōmendatur à ſanctis Patribus, nullibi reperitur niſi apud defenſores recentioris ſtatus religioſi Eliani: ergo nullum eſt fundamentum, vt verus, & idoneus miniſter Chriſti dicatur ad inſtituendum ſtatum verum religioſum in ſpiritu legis gratiæ in veteri, & directè opponitur doctrinæ D. Pauli.

158 Si dicant adverſarij, quod numquam hucuſquè dixerunt; quod Elias non fuit verus miniſter Chriſti ad inſtituendum ſtatum verū in quo ex lege aliqua perfici, vel iuſtificari poſſent profitentes, ſed revelatis conſilijs legis gratiæ inſtituit ex Chriſti exēplaritate illum ſtatum cum illis conſilijs, & votis: cum autē illa conſilia, & vota conſtituāt ſtatum verū religioſum evāgelicū in ſpiritu legis gratiæ, Elias fuit verus Chriſti miniſter, quoad eſſentialia, & ſtatus ab illo inſtitutus fuit eſſentialiter evāgelicus in ſpiritu legis gratiæ; ſed hoc effugium chymericum eſt, & impli-

plicationem involuit, quia implicat; quod aliquis ſtatus ſit evangelicus,& in veritate evangelica fundatus quoad ſubſtantiam, & eſſentiam, & quod non ſit inſtitutus in lege gratiæ, & gratiam conferente, quia in hoc diſtinguuntur vetus,& novum teſtamentum figurativum, & verum, evangelicum, & Iudaicum, Eccleſia, & Synagoga,& ſine gratia novæ legis nihil poteſt dici ſubſtantialiter evangelicum, quia eſſet evangelicum ſubſtantialiter ſine ſubſtantia,& eſſentia legis novæ,& evangelij, quod implicat; nam licèt conſilia evangelica fuiſſent Eliæ revelata interna aliqua ſpeciali revelatione, vt ſecundum illa viveret ex propoſito ſicut in virginitate,vt docet D. Thomas, non inde ſequitur,quod ei revelarentur ad inſtitutionem alicuius ſtatus cum voto,vt ex ſe patet.

159 Sed concedimus,quod veteri illi legi repugnat, & Patres negant,quod Eliæ fuiſſent revelata conſilia evangelica, & votum,& quod inſtituiſſet ſtatum ex illis,vt fideles illius populi dirigerentur,& ordinarentur ad finem legis conſequendum in veteri teſtamento; nec ſtatus potuit eſſe evangelicus, nec Elias miniſter Chriſti in veritate legis gratiæ,quod demonſtratur: licèt in veteri teſtamento moralia fuiſſent eadem legis gratiæ,& finis idem in vtraq; lege,ſtatus inſtitutus ab illa lege non poteſt dici evangelicus quoad ſubſtantiã in ſpiritu legis gratiæ; ſed in littera occidente,quia defecit gratia ex lege,& ideò Moyſes nõ fuit miniſter in ſpiritu,ſed in litera: ergo quamvis Eliæ revelarentur conſilia,& vota cognita fuiſſent,& ſtatum inſtituiſſet in votis,& conſilijs deficiente ſpiritu vivificante ex lege,nec ſtatus eſſet evangelicus quoad ſubſtantiam in ſpiritu vivificante, nec Elias verus Chriſti miniſter in veritate evangelica: Antecedens conſtat ex teſtimonio D.Pauli,qui Miniſterium Moyſes licèt ex Dei revelatione inſtitutum,& ad Deum ordinatum cum eiſdem præceptis moralibus,in littera occidente appellat,& mortis, & damnationis,quia ex lege defecit ſpiritus,& non iuſtificabat:ergo deficiente ſpiritu vivificante ex lege,totum miniſterium Eliæ eſſet in littera occidente,licèt eiſdem votis,& conſilijs inſtituèretur in illa lege.

160 Ratione ex littera Apoſtoli demonſtratur, ſecundum doctrinam SS.PP.& præcipuè D.Thomæ, miniſterium Moyſis non fuit mortis,& damnationis,quia malũ,& mortem cauſaret ex ſe,ſed quia præcepta dabat,& non iuvabat, & concupiſcẽtiã non reprimebat ſpiritu legis gratiæ,ideo nũcupatur ab Apoſtolo

miniſterium in littera occidente, mortis, & damnationis occaſionaliter, quia præcepta imponens, & non iuvans occaſionem præbebat mortis, & damnationis; ſed revelatis conſilijs Eliæ, inſtitutoque ſtatu religioſo ex illis cum votis ſine gratia ex lege aliqua præcepta adderentur, & vota ſine gratia adiuvante, & ſine ſpiritu vivificante ex lege, quæ ab Elia conferri nō poterant: ergo ille ſtatus non eſſet perfectionis in ſpiritu vivificante, ſed damnationis, & mortis occaſionaliter ſecundum illam legem, ac perconſequens nullomodo poteſt dici ſubſtantialiter evangelicus, nec Elias verus Chriſti miniſter ad inſtituendum illum in veritate legis gratiæ, licèt vota, & conſilia eſſent revelata: Antecedens certum eſt ex littera Apoſtoli, & expreſsè docetur à D. Thoma ibidem lect. 2. vbi poſtquam dixerat quod lex occidit occaſionaliter; nam littera legis dat ſolum cognitionem peccati, & non reprimit concupiſcentiam, quæ ferventiùs fertur in rem prohibitam, ait ibi: *Licèt autem occaſionaliter occidat in quantum ſcilicèt auget concupiſcentiam, & addit prævaricationem, non tamen eſt mala lex vetus, quia ad minus prohibet mala, eſt tamen imperfecta in quantum non removet cauſam: eſt ergo lex ſine ſpiritu interiùs imprimens legem in corde, occaſio mortis, & ideo neceſſarium fuit dare legem ſpiritus qui charitatem in corde faciens vivificet, Ioannis cap. 6. Spiritus eſt qui vivificat, & conſequenter oſtendit dignitatem ſui miniſterij.* Hæc D. Thomas; ſed Elias ex Chriſti exemplaritate inſtitueret conſilia religioſa cum votis, & non reprimeret concupiſcentiam, nec removeret cauſam infundens ſpiritum in corda: ergo non eſſet miniſter Chriſti verus in veritate legis gratiæ, ſed in littera occidente, & ille ſtatus eſſet ſtatus mortis occaſionaliter, in quo concupiſcentia ferventiùs ferret in prohibita ex votis, deficiente gratia reprimente cauſam, & adiuvante, eſſetque ille Monachatus cum illis conſilijs de rebus difficillimis in illa lege ſtatus mortis, & damnationis ſecundum doctrinam Apoſtoli, vt alia miniſteria veteris legis.

161 Id ipſum oſtenditur alio Apoſtoli celeberrimo teſtimonio ad Heb. cap. 8. verſ. 6. ibi: *Nunc autem meliùs ſortitus eſt miniſterium quanto & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſsionibus ſancitum eſt.* Ex differentia repromiſsionum arguit Apoſtolus ad demonſtrandum contra Iudæos, & pſeudoapoſtolos, excellentiam, & dignitatem miniſterij novi teſtamenti, eo quod miniſterium evangelicum in melioribus repromiſsionibus ſit ſancitum: vnde formatur argumentum; vota

illa

illa ſecundum doctrinam Apoſtoli non emitterentur in veteri lege in melioribus repromiſsionibus novi teſtamenti; ſed in promiſsis illius legis; ſed miniſterium ſancitum in promiſsionibus veteris legis non poteſt eſſe, nec poteſt dici verum Miniſterium Chriſti in ſpiritu legis gratiæ, & veritate evangelica, ſed miniſterium in littera occidente vmbraticum, & figurativum: ergo miniſterium Eliæ non fuit verum, nec Elias fuit miniſter Chriſti ad inſtituendum verum ſtatum religioſum evangelicum in ſpiritu legis gratiæ: Antecedens conſtat ex differentia aſsignata ab Apoſtolo inter miniſteria veteris, & novi teſtamenti.

162 Si dicant adverſarij, quod Eliæ revelatæ fuerunt promiſsiones legis gratiæ, & præmia æterna in regno Cœlorum, hoc ſuſtineri non poteſt, & repugnat Apoſtolo Paulo; itaque vt Pelagianiſmus damnatur à Sanctis Patribus, præſertim à Hieronymo, & Auguſtino ſupra 1. p. diſc. 1. §. 3. & 4. quapropter Angelicus Magiſter ex hoc textu Apoſtoli docet, quod conſilia evangelica in veteri lege non fuerunt data, cognita, vel revelata: explicans igitur textum Apoſtoli ait lect. 2. ibi: *Ibi* (in veteri lege) *promittebantur temporalia, hic autem cœleſtia, ſicut ſupra dictum eſt. Sic ergo iſtud meliùs quantum ad id quod Dñs hominibus promittit. Item, in illo dicuntur quædam, quæ pertinent ad cultum Dei; & iſta ſunt cæremonialia quædam vero, quæ ad rectitudinem vitæ, & iſta ſunt præcepta moralia, quæ manent, alia vero non. In novo autem adduntur conſilia illis præceptis, quæ dantur perfectis, qui ſunt capaces ſpiritualium; & ſic manent præcepta eadem, ſed promiſſa diverſa.* Ergo ſecundum doctrinam Apoſtoli ſenſit expreſsè D. Thomas, quod promiſsiones ſpirituales non fuerunt revelatæ in veteri lege, & ex hac doctrina negat etiam conſilia perfectionis in illa, ad quæ neceſſario requiritur promiſsio ſpiritualium, cœleſtiumque, vt ſub voto evangelico cadant.

163 Eſt aliud D. Pauli teſtimonium, quo omnia adverſariorum fundamenta deſtruuntur, nam vt hunc novum ſtatum verum evangelicum adſtruant in veteri lege, ſupponunt, Chriſtum Dñum revelatum fuiſſe, & in eo via Sanctorum legis gratiæ, quorum imitatione illi Monachi circumciſsi vota emittebant in illa lege ex Eliæ inſtitutione, & ſic ſtatus in veteri lege evangelicus erat in ſpiritu legis gratiæ; ſed hanc doctrinam videtur damnare Apoſtolus contra Iudæos arguens ad Heb. cap. 9. verſ. 8. ibi: *Hoc ſignificante Spiritu Sancto nondum propalatam eſſe Sanctorum viam adhùc priori teſtamento habente ſtatum*: ergo ſecun-

dum doctrinam Apoſtoli in ſtatu prioris tabernaculi non fuit ſtatus in quo propalata fuit ſanctorum via: & ibidem D. Thoma lect. 2. ibi: *Durante enim veteri teſtamento, via Sanctorum, ſcilicet, Chriſtus, qui dicit Ioann. 14. Ego ſum via, nondum venerat: ipſe enim eſt oſtium per quod patet introitus in ſancta ſanctorum. Ioann. 10. Ego ſum oſtium, ſed non erat propalatus, quia adhuc latebat ſub figuris litteræ obumbratus, vmbram habens lex futurorum.* Hæc D. Thomas: ergo in ſtatu veteris teſtamenti, & tabernaculi non fuit revelatus Chriſtus vt via ſanctorum legis gratiæ, vt in illa veteri inſtitueretur ſtatus cum conſilijs perfectionis ad imitationem ſanctorum legis gratiæ.

164 Quando autem, mutato ſtatu prioris tabernaculi, incepit ſtatus novus perfectionis in manifeſtatione Chriſti, docet Apoſtolus apertè ibidem, quod vetera non potuerunt ſervientem facere perfectum verſ. 9. ibi: *Quæ parabola eſt temporis inſtantis, iuxta quam munera, & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſervientem, ſolummodò in cibis, & in potibus, & in varijs baptiſmatibus, & iuſtitijs carnis vſque ad tempus correctionis impoſitis.* Et ad illa verba: *Vſque ad tempus correctionis*, exponit Angelicus Magiſter eadem lect. 2. in fine, ibi: *Hoc verum eſt, quod fuiſſent inutiliter inſtituta, ſi ſemper deberent durare. Sed ſicut puero primo oportet dare pædagogum, quando autem iam pervenit ad ætatem perfectam, tunc datur ei modus ſe habendi ſecundum iudicium rectoris reipublicæ: ita in veteri lege ea, quæ ſpectant ad imperfectionem, inſtituta fuerunt: ſed quando venit tempus perfectum, tunc debuerunt inſtitui illa, quæ ducunt ad perfectionem.* Quid clariùs, & expreſsiùs iuxta doctrinam Apoſtoli? Ergo Elias non fuit verus Chriſti miniſter in veteri lege ad inſtituendum ſtatum verum religioſum in ſpiritu legis gratiæ cum conſilijs perfectionis illius.

165 Ab inconvenienti etiam excluditur, & reijcitur prædictum Eliæ miniſterium, quia Iudæi ex principijs adverſariorum validiſsimum poſſunt conficere argumentum; quod miniſterium Moyſis fuit verum in ſpiritu vivificante, & perfectum in veteri illa lege, & arguere: Vt probabile defenditur ab his Magiſtris, & Theologis Chriſtianis, quod ſanctus Propheta noſter Elias in noſtra lege ante adventum Meſsiæ fuit eius miniſter verus, & in ſuo ſpiritu inſtituit quemdam ſtatum, ſeù miniſterium verum perfectionis ex exemplaritate Meſsiæ veri quem ſperabat Redemptorem futurum, quod quidem miniſterium in ſacris litteris non conſtat, nec in antiquis Doctoribus veteris, & novi

tes

teſtamenti reperitur; ſed ſecundum quod nobis conſtat ex ſcripturis Sanctus Propheta Moyſes fuit præcipuus Dei miniſter in veteri lege, cui legem dedit,& præcepta,& exemplar Mesſiæ revelatum fuit in monte ad inſtitutionem ſui miniſterij, & divinam eſſentiam tranſeunter vidit,vias Dei habuit ad ferendam legem: ergo miniſterium eius fuit vetum in ſpiritu Mesſiæ, & perfectum in veritate illius: vel afferant diſparitatem hi Magiſtri, quare in veteri lege ante adventum Mesſię, Elias fuit verus miniſter in ſpiritu ex exemplaritate futuri Redemptoris, & miniſterium eius fuit perfectum,& iuſtitiæ,& Moyſes à Deo inſtitutus,& datus ex eadem fide,& exemplaritate fuit miniſter in littera occidente,& miniſterium eius mortis, & damnationis, vt docet Paulus: Nos vero faciliter confundimus Iudæorum perfidiam reſpondendo,quod nullum fuit miniſterium verum in ſpiritu in lege illa ſecundum doctrinam D.Pauli.

166 Pelagiani etiam poſſunt arguere, ſecundum Doctores,& Catholicos Theologos defendentes verum Monachatum cum votis in veteri lege: ex inſtitutione Eliæ regnum Cœlorum fuit revelatum in illa lege, & ſpiritualia bona legis gratiæ promiſſa,& manifeſta,vt propter illa emitterentur vota, & temporalia abdicarentur ante Chriſti adventum, quod non repugnat in lege illa ſecundum hos Theologos Catholicos ex Chriſti exemplaritate; ſed Moyſes fuit Dei miniſter ex exemplari oſtenſo in monte in quo vidit Dei hæreditatem, vt ſupra diximus ex lib.2.Machab.cap.2. Ergo vel ex inſtitutione Moyſis,vel ex inſtitutione Eliæ regnum Cœlorum fuit revelatum in veteri lege,& ſpiritualia bona promiſſa Iudęis, ſpiritualiſque ſenſus ſcripturarum apertus. Reſpondere tenentur adverſarij Pelagio,& Fauſto,ſed nos cum Hieronymo, Auguſtino, Chryſoſtomo,& D.Thoma, & alijs Doctoribus Eccleſiæ, regnum Cœlorum in veteri teſtamento revelatum alicui ſtatui hominum negamus,& conſequenter verum ſtatum religioſum cum votis,& conſilijs evangelicis impugnamus. His,& alijs difficultatibus impugnatur verum miniſterium Chriſti in Elia ad inſtituendum verum ſtatum religioſum evangelicum quoad ſubſtantiam in veteri lege in ſpiritui legis gratiæ: & vt magis veritas noſtræ doctrinæ appareat,vera ſpiritualis paternitas Eliæ ſequenti §. diſputatur.

(o)§(o)

§.II.

§. II.

S. Propheta Elias non fuit in veteri lege nec in nova poteſt nuncupari verus Pater in veritate legis gratiæ alicuius ſtatus veri evangelici quoad ſubſtantiam, & eſſentiam.

167 EX dictis hæc propoſitio per neceſſariam conſequentiam legitimè infertur; ſed quia generatio, vel regeneratio ſpiritualis in quadam ſpeciali virtute, & ſemine quodam conſiſtit menti, & animæ infuſſo, ideò ſpecialem requirit quæſtionem, vt hanc propriam legis gratiæ virtutem eſſe demonſtretur, & Rechabitarum illa ſpiritualis generatio ex Elia funditus eradicetur à veteri teſtamento: non enim negamus filios ſpirituales Dei in illa lege ex gratia per fidem, vt ſupra dictum eſt, ſed ſtatum evangelicum in quo alicui puro homini data fuerit virtus, vel infuſſum ſemen ſpirituale ad filios ſpirituales gignendos in veteri teſtamento in ſpiritu novæ legis: & vt claritate procedamus, quia relativa ſunt ſimul natura, tempore, & cognitione, neceſſarium exiſtimavi extrema ſpiritualis generationis explicare. In quo conſiſtat hæc virtus generativa docet D. Thomas in Epiſt. ad Galat. cap. 4. lect. 3. ibi: *Duplex eſt generatio, vna carnalis, quæ fit per ſemen carnale miſſum in loco generationis, quod quidem ſemen licèt ſit quantitate parvum, tamen virtute continet totum: alia eſt ſpiritualis, quæ fit per ſemen ſpirituale tranſmiſſum in loco ſpiritualis generationis, qui quidem locus eſt mens, ſeù cor hominis, quia in filios Dei generamur per mentis renovationem, ſemen autem ſpirituale eſt gratia Spiritus Sancti. 1. Ioan. vltimo: Qui natus eſt ex Deo non peccat, quoniam generatio Dei conſervat eum, & hoc ſemen eſt virtute continens totam perfectionem beatitudinis.* Ex parte quaſi augentis, vel patris inquiritur an Elias habuerit hanc virtutem, & ſpirituale ſemen principaliter, vel inſtrumentaliter, & miniſterialiter ad gignendos filios ſpirituales in veteri lege.

168 Ex parte etiam geniti requiritur certa diſpoſitio, vt ſit capax terminandi, vel recipiendi generationem ſpiritualem: Cum autem hic quæſtio procedat; an Elias potuerit eſſe verus Pater ſpiritualis alicuius ſtatus evangelici in veteri illa lege in ſpiritu novæ, oportet etiam explicare in quo conſiſtat ſtatus evangelicus legis gratiæ. Statum conſtitui à lege certum eſt apud omnes, itaque ſtatus evangelici, ſeù Eccleſiæ lege gratiæ conſti-

conſtituuntur, & ex plenitudine gratiæ, ſecundum, quod diverſimodò ex capite ad membra redundat diverſificantur, vt docet D. Thomas 2.2.q.183.art.2.in corp. itaque ad determinatum ſtatum evangelicum gignendum requiritur gratia illa ex lege, quæ ex plenitudine Chriſti redundat in illud membrum per reſpectum ad perfectionem, vt in art. ſequenti in corp. docet Angelicus Magiſter: Hinc patet, quod ad generationem ſpiritualem in ſpiritu legis gratiæ alicuius ſtatus evangelici requiritur virtus regenerativa in Patre ſivè principaliter, ſivè inſtrumentaliter efficiens, & diſpoſitiva, ſeù receptiva in generato, vt generationem poſsit recipere, & terminare.

169 His certis ſuppoſitis, arguitur ex diffinitione generationis perfectæ, quæ huic etiam optimè adaptatur; generatio eſt origo viventis à vivente à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ; ſed ante incarnationem Verbi divini nullum fuit principium coniunctum homini, vt principaliter, vel inſtrumentaliter vitam communicaret ſpiritualem in ſimilitudinem, vel participationem divinæ naturæ, nec vt diſponeret humanam naturam ad hanc vitam ſpiritualem recipiendam: ergo ante incarnationem Verbi divini nullus purus homo veteris legis fuit verus pater ſpiritualis in ſpiritu legis gratiæ alicuius ſtatus evangelici quoad ſubſtantiam: Maior eſt diffinitio perfectæ generationis: Minor eſt certa, quia ante adventum Chriſti, incarnationem eius, & paſsionem, nullum fuit inſtrumentum productivum gratiæ, hæc enim virtus ex vnione hypoſtatica primum communicata fuit Chriſti humanitati, deinde Miniſtris eius, & ſacramentis, membriſque Eccleſiæ, præcipuè Apoſtolis, qui nos genuerunt per evangelium in ſtatu evangelico, & ante Apoſtolos nulli fuit data virtus regenerativa ad ſtatum evangelicum in ſpiritu legis gratiæ, & de Elia ſequentia probabunt argumẽta.

170 Et primum ex D. Paulo in eadem Epiſt. ad Galat. cap. 4. verſ. 22. ibi: *Scriptum eſt enim, quod Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera; ſed qui de ancilla ſecundum carnem natus eſt, qui autem de libera per repromiſsionem, quæ ſunt per allegoriam dicta: Hæc enim ſunt duo teſtamenta, vnum quidem in monte Syna in ſervitutem generans, quæ eſt Agar (Syna enim mons eſt in Arabia, qui coniunctus eſt ei, quæ nunc eſt Hieruſalem, & ſervit cum filijs ſuis.) Illa autem, quæ ſurſum eſt Hieruſalem libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* Hic Apoſtolus diſtinguit, & explicat generationes vtriuſque teſtamenti: illa in littera occidenti, & ideo timoris: hæc noſtra evan-

evangelica in ſpiritu vivificante,& ideo amoris, & libertatis: vnde non negamus in veteri teſtamento aliquam generationem ſpiritualem ex fide, qua Patriarchæ,& Prophetæ dicuntur Patres fidei ſecundum ſtatum illius legis figurativum; ſed veram filiationem ſpiritualem in vero ſtatu evangelico, vt adverſarij concedunt in illa lege ex inſtitutione Eliæ in ſpiritu legis gratiæ, hanc ſpiritualem generationem negamus in vero ſtatu evangelico ex defectu virtutis, diſpoſitionis, & promiſsionis hæreditatis in illa lege: ex defectu virtutis in Elia patet, quia in veteri teſtamento ſecundum ſtatum fidei data fuit virtus ad generandos ſervos tantum,& in timore,& ex ancilla, vt docet Apoſtolus: ex defectu diſpoſitionis in fidelibus regenerandis cõſtat, quia nondum erant redempti, nec ſublatum impedimentum peccati: ex defectu hæreditatis, & promiſsionis filiorum patet, quia, vt aſſerit D. Thomas ad textum Apoſtoli lect. 8. ibi: *Per vetus autem teſtamentum homines efficiebantur cives civitatis terreſtris, per novum autem, cæleſtis.* Et paulò poſt, ibi: *Eccleſia triumphans ante paſsionem Chriſti ſterilis erat: quia non generabantur aliqui in filios eius per introitum gloriæ, niſi in ſpe.* Quæ quidem conſtituunt neceſſario ſtatum verum evangelicum in ſpiritu legis gratiæ: ergo in veteri lege non fuit Elias verus Pater ſpiritualis alicuius ſtatus evangelici in ſpiritu legis gratiæ, nec in novo teſtamento verus Pater numcupari poteſt in veritate evangelica ſtatus religioſi legis gratiæ, quia virtus regenerativa ad evangelicum quoad ſubſtantiam,& eſſentiam prius communicata fuit Chriſto authoritativè ex divinitate,& ex ea inſtrumẽtaliter humanitati, deinde ſacramentis,& miniſterialiter Apoſtolis, qui veri primi poſt Chriſtum Patres ſpirituales fuerunt omnium ſtatuũ legis gratiæ,& ex ſanctis Apoſtolis, Vicarij Chriſti authoritate hanc virtutem, ſeù ſpirituale ſemen acceperunt Sanctiſsimi Patriarchæ legis gratiæ Religionum, ad inſtituendum ſpeciales religiones ſupra firmam petram legis gratiæ, ſecundum quod deſuper datum eſt illis ad perfectionem, & ornatum Eccleſiæ, & hæc eſt vera religionum deſcendentia,& regeneratio: à ſemine Verbi divini communicato humanitati Chriſti, à Chriſto Matri in qua incepit obſervatio conſiliorum aliquomodo, vt docet D. Thomas, poſteà Apoſtolis Sanctis, ex eis ad Sanctos Patriarchas, qui ſecundum altiſsimam Dei providentiam, Eccleſiæ authoritate inſtitutorum diverſorum varietate circumdederunt Reginam Sponſam Chriſti,& omnium religionum legis

gis

gis gratiæ matrem; itaque originem, nobilitatē, & excellentiā ſuam confitentur ex meritis Chriſti Dñi per eius ſanguinē, quod confundere videtur, qui huius evangelici ſtatus antiquitatē, & veritatem quærunt inter ſanguinem Hircorū, & arictum veteris teſtamenti, & miſcere videntur legalia, & Evangelica, quod nec veteri, nec novæ legi convenit, & vtriq; teſtamento repugnat.

171 Arguere poſſunt, qui Eliam Patrem ſtatus religioſi Evangelici prædicant ex eo, quod Abraham Pater fidei appellatur in lege. Tum etiam, in circumſione gratia infundebatur circumciſis ex fide: ergo tunc erat generatio ſpiritualis per gratiā ex fide; ſed nihil probant, quia illa generatio ſpiritualis ex fide non fuit ad ſtatum evangelicū, nec in ſpiritu libertatis legis gratiæ, ſed ad ſtatum vmbraticum, & figurativum illius legis in littera, ſervitute, & timore. Tum etiam: illa generatio non fuit facta per aliquem miniſtrū, vel miniſterium inſtrumentaliter, vel miniſterialiter infundens, & producens gratiam efficienter; ſed immediatè gratia infundebatur à Deo ex fide. Tum etiam: quia non erant filij ſecundum repromiſsiones novi teſtamenti, quia nec dum poterant introire in Regnū Cœlorum, & hæreditatem filiorum accipere ex illa generatione ſpirituali: Tum deniq; hic non diſputatur an in veteri lege fuerint filij Dei quoad animam; ſed an extiterint filij Dei ſpirituales in aliquo ſtatu evangelico quoad ſubſtantiā ab Elia inſtituto in veteri lege in ſpiritu, & veritate legis novæ libertatis, hanc Paternitatem Eliæ negamus in veteri lege, & propriam eſſe legis gratiæ oſtendimus, qua Chriſtus Dñs nos regeneravit in ſanguine ſuo, & dedit ſuis Apoſtolis & Miniſtris hanc novam virtutem, vt nos generarent per ſuum ſacroſanctum evangelium in vero ſtatu filiorum Dei.

172 Etiā arguere poſſunt ex Canone Miſſæ in quo dicitur ibi: *Supra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris, & accepta habere munera pueri iuſti Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ.* Patriarcha eſt Princeps Patruum, & Abraham Patriarcham noſtrum appellamus in ſtatu evangelico: ergo benè poſſumus nuncupari Eliam Patrem, & Patriarcham veri ſtatus religioſi evangelici in lege gratiæ.

Reſp. Quod hæc eſt ſpecialis prærrogativa Abrahæ, qui duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera, duo ſcilicèt teſtamenta per allegoriā, & hac allegoria poſſumus eum appellare Patriarcham, cui facta fuit repromiſsio ſpiritualis regenerationis per liberā, & ex ſacra ſcriptura nō cōſtat, quod Eliæ facta

fuiſſet

fuiſſet aliqua repromiſsio generationis ſpiritualis in ſpiritu libertatis legis gratiæ, quia in hoc ſpiritu, primi Patres fuerunt Apoſtoli, vt docuit D. Auguſtinus in Pſalm. 44. recept. ab Eccleſia in Offic. S. Iacobi maioris pro regnis Hiſpaniarum in die octavæ ad 2. Noct. lect. 1. ibi: *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij, genuerunt te Apoſtoli, ipſi miſsi ſunt, ipſi prædicaverunt, ipſi Patres.* Et in fine, ibi: *Patres miſsi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filij nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi* Apoſtoli igitur ſunt primi Patres, quibus datum eſt, virtute, & authoritate Chriſti illud ſemen ſpirituale ad generandos filios in ſpiritu legis gratiæ in vero ſtatu evangelico. Abrahamus, & alij veteris legis, allegoricè, & figurativè poſſint dici patres in lege gratiæ.

173 Nec obſtat dictis, teſtimonium D. Pauli 1. ad Corinthios, cap. 10. v. 1. ibi: *Nolumus vos ignorare, fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eamdem eſcam ſpiritualem manducaverunt*: ergo Patriarchas veteris legis patres poſſumus appellare in nova: Reſpondetur ex eodem cap. 10. paulò poſt, vbi Apoſtolus argumentum ſolvit dicens, ibi: *Hæc autem in figura facta ſunt nobis.* Tum etiam Apoſtolus ibi, Patres appellat ſecundum carnem, non ſpiritu, quia Apoſtoli primi acceperunt primitias ſpiritus, vt ad Rom. cap. 8. v. 23. conſtat, & primi Patres Eccleſiæ ſunt, omniumque ſtatuum eius in ſpiritu, & veritate legis gratiæ. Originem huius ſpiritualis generationis manifeſtavit Chriſtus Dominus diſcipulis ſuis contra Iudæos in ſuis generationibus ſuperbientes, & Matth. cap. 23. verſ. 8. ibi: *Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus eſt Magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis, & patrem nolite vocare vobis ſuper terram, vnus eſt enim pater veſter, qui in Cœlis eſt, nec vocemini Magiſtri, quia Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus.* Originem generationis, & Magiſterij legis gratiæ oſtendit hic Chriſtus Dominus aliam quærere antiquiorem paternitatem quam à Chriſto alienum eſt à Chriſti Doctrina, vt explicat ibi Angelicus Magiſter; ad illa verba: *Omnes vos fratres eſtis*, ait ibi: *Quia à me Patre*: ergo præcipit Chriſtus, nullum preter ſe vocare Patrem in lege gratiæ, à quo paternitas, & filiatio ſpiritualis procedit in veritate evangelica: ceteri autem, virtute, & Chriſti authoritate dicuntur patres in eodem ſpiritu, & nullus in veteri lege verus pater dici poteſt in ſpiritu legis nove, quod ex teſtimonijs allatis ratio ſuadet: Ille poteſt dici verus pater in ſpiritu legis gratiæ, qui poteſt filios ſuos inſtituere hæ-

redes

redes bonorum ſpiritualium, quæ promittuntur in evangelio; ſed nullus in veteri lege potuit filios inſtituere hæredes bonorum ſpiritualium ſtatus evangelici: ergo nullus in illa lege poteſt dici verus pater in veritate legis gratiæ alicuius ſtatus evangelici. Quomodò in Monaſterijs maiores dicantur patres, inquirit Angelicus Magiſter ibidem, & reſpondet ibi: *Dicendum, quod eſt, quantum ad authoritatem. Eph. 3. Poteſtis intelligere prudentiã meam in miniſterio Chriſti.* Sunt ergo Patriarchæ legis gratiæ Patres, Chriſti authoritate, & miniſterio, quæ quidem authoritas confertur ab Eccleſia, & capite eius viſibili, vt inſtituentes in lege gratiæ, & ſupra conſilia illius, determinata aliqua inſtituta iuxta formam evangelicam, Patres vocari poſſunt illius inſtituti; at vero pater ſtatus religioſi evangelici in veritate legis gratiæ ſolus eſt Chriſtus Dominus, à quo omnis paternitas præſentis Eccleſiæ, & verum illius Magiſterium quoad vitam Apoſtolicam, & evangelicam: vnus eſt Magiſter veſter Chriſtus.

174 Poſſunt etiam arguere ex Div. Thoma in Epiſt. ad Epheſ. cap. 3. lect. 4. ibi: *Quicumque ergo inducit aliquem ad aliquem actum vitæ, puta, ad benè operandum, intelligendum, volendum, amandum, pater eius dici poteſt;* ſed Elias induxit diſcipulos ſuos ad benè operandum, & intelligendum ſpiritualia, & ad amandum Deum per eadem conſilia legis gratiæ: ergo in vtraque lege poteſt dici pater ſtatus inſtituti in veteri lege per hæc conſilia, & in novo continuati in eiſdem votis. Reſpondetur ad argumentum ex dictis; quod illi Patriarchæ, & Prophetæ, qui in ſtatu illius fidei populum inſtruebant ad benè operandum, amandum, & intelligendum, patres dici poſſunt, & fuerunt ſecundum illam legem, ſed non fuerunt veri patres in veritate evangelica, & in ſtatu aliquo vero evangelico inſtituto in ſpiritu legis gratiæ, quia hic ſtatus inſtitutus fuit à Chriſto Domino, & poſt eum primi patres fuerunt Apoſtoli in eius regeneratione, vt conſtat ex Apoſtolo in eadem Epiſt. loco citato: *Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto; ſed non multos patres, nam in Chriſto Ieſu per evangelium ego vos genui.* Et D. Thomas lectione citata, ibi: *Dicit ergo Apoſtolus ſe patrem eorum in Chriſto, quia eis primum evangelium prædicavit.* Vnde licèt patres dicantur, reſpectu illius populi, *in re*, ſecundum legem illam pædagogi erãt, quia lex ipſa per quam populum docebant, pædagogus fuit, vt idem Apoſtolus docet, & ſecundum hanc legem inſtruxit Elias diſcipulos ſuos, vt viverẽt, & Deo placerent; quapropter licèt in ſpiritu, qui vnus, & idem

in vtroque teſtamento eſt, viverent; ſtatus eorum non fuit evangelicus, quia hic ſtatus non fuit, nec concipi poteſt ante legem gratiæ illum conſtituentem: nec verum eſt, quod conſilia evangelica inſtituta, & data fuerunt in veteri lege, vt ſæpè diximus ex D. Thoma, ac perconſequens, nec in veteri nec in nova lege poteſt dici Elias verus pater ſtatus religioſi evangelici, & ex eodem D. Thoma reſpondetur, quod patribus illis revelatum fuit de fidei cognitione quantum oportebat tradi populo, vel nude, vel in figuris: at ſecundum eumdem Angelicum Præceptorem, conſilia evangelica convenienter non fuerunt data in illa lege ſervitutis, vt ex teſtimonijs citatis conſtat: ergo Elias non fuit, nec dici poteſt verus Pater ſtatus religioſi in veteri, nec in novo teſtamento ſecundum doctrinam Angelici Doctoris.

175 Concluditur igitur ex dictis in hoc §. quod Elias non fuit, nec rectè numcupari poteſt pater, Author, & inſtitutor, & Patriarcha verus, in veritate evangelica ſtatus religioſi evangelici præſentis Eccleſiæ; quia verus Pater, inſtitutor, & Author ſtatus religioſi evangelici in ſpiritu legis gratiæ vivificante fuit Chriſtus Dominus; nam omnia, quæ in illo ſtatu ſervitutis Synagogæ præceſſerunt, virtutem veritatem, & ſpiritum non obtinuerunt, vt certum eſt ex doctrina Apoſtoli, & Patres docent, præſertim D. Macharius Homil. 29. ibi: *Quemadmodum enim vmbra corporis ex eodem corpore eſt, at officium carnis implere nequit: vmbra enim vulnera alligare nequit, nec cibum præbere, aut loqui, ab ipſo nihilominùs corpore manat, & præcedens præſentiam corporis declarat: ad eum modum, lex vetus vmbra eſt novi teſtamenti, præmonſtrat vmbra veritatem, at myſterium ſpiritus non obtinuit.* Sic Elias vmbram tenuit, & non veram paternitatem, & miniſterium ſpiritus huius ſtatus religioſi evangelici.

§. III.

Referuntur teſtimonia quibus ex comparatione Monachatus Eliæ, & Baptiſtæ verum fuiſſe Elianum in illa lege conantur oſtendere.

176 SAnctum Præcurſorem Domini verum fuiſſe Monachum ſupponit ex communi doctrina SS. PP. & ex ſuo Monachatu ad Elianum arguit hic §. 4. Aliqui Patres Eliam,

Eliam, & Baptiſtam in Monachatu comparant; ſed Ioannes Baptiſta fuit verus Monachus cum votis: ergo, & Elias. Confirmatur: eiſdem verbis recognoſcunt Patres Eliam, & Baptiſtam Principes Monachatus, & Authores illius; ſed IoannesBaptiſta fuit veri evangeliciMonachatusAuthor,ſecundum Patres: ergo, & Elias fuit etiam veri MonachatusAuthor.

177 Sed faciliter oſtenditur diſtinctio Monachatus Præcurſoris, & Eliæ; nam omnes Patres recognoſcunt Eliam veteris teſtamenti Monachatus inſtitutorem, & Baptiſtam Authorem in novo, Principeſque eos numcupantes duplicem Monachatum confitentur; quia, ſi vnus, & idem eſſet vtriuſque teſtamenti, non potuiſſet Baptiſta Princeps Author, & inſtitutor in novo appellari. Tum etiam reſpondetur: quod, ſi hoc argumentum probaret, etiam liceret arguere vt ſupra diximus: Sancti Patres, & Doctores Pontifices veteris legis cum Pontificibus legis gratiæ comparant, & eiſdem verbis Pontifices veteris teſtamenti appellantur, & ſacrificia illius veteris legis, Sacramentis, & ſacrificijs legis gratiæ aſsimilantur; ſed Pontifices legis gratiæ ſunt veri Pontifices in veritate evangelica, & noſtra Sacramenta, & ſacrificia ſunt vera, & gratiam conferunt: ergo illa veteris legis vera erant, gratiam conferebant, & Pontifices in veritate evangelica Pontificatum gerebant? Conſequentiam adverſarij negabunt ex differentia vtriuſque teſtamenti, & eadem ratione illationem negamus à Monachatu Baptiſtæ ad Elianum, quia geſta, & facta veteris, & novi teſtumenti comparantur tanquam vmbra corpori, typus prothotypo, & figura figurato.

178 Nec Doctores ab Apologiſta hic laudati aliter intelligi poſſunt,nam Nizephorus Calixtus,qui ex novitate voti virginitatis Deiparę admirationem Pontificis,& Sacerdotum ſtuporem refert,vt conſtat ex eius verbis ſupra relatis 1.p.Diſc.1.§.4. Monachatum cum votis nullomodo in veteri teſtamento cognovit;quia alias votū virginitatis Deiparę non eſſet novū in illa lege.HiſtoriaTripartitaMonachatū vtriuſq;legisdiſtinguit,&qui diſtinctione procedit,cū diſtinctione eſt intelligendus; at diſtinctio inter vtrumq; teſtamentū veritas,& figura ſunt: ergo Monachatus ille vetus figurativus fuit Em.musCardin.Bellarminus falſo adducitur ab adverſarijs; nam veteris teſtamenti Monachosfigurativos eſſe docet,& veros inChriſto incępiſſe affirmat

ex communi Patrum ſententia loco citato ſupra 1.p. Diſc.2.§.6.& ibidem, Diſc.3.§.6.quod Deipara Domina noſtra prima votum virginitatis emiſit in tempore: falſo ergo adducitur pro vero Monachatu Iudaico cum votis.

179 Sed ex alio principio inſurgit Apologiſta in dicto §. num.29.Bellarminus,Suarez,Baronius,& alij graves Doctores verum Monachatum Baptiſtæ contra hæreticos inferunt, & probant,eo quod Sancti Patres Principem Monachorum Præcurſorem Domini appellant, & ſpecialiter, quia à Nazianceno Baptiſta,D.Baſilio comparatur: ergo ſi ijdem Patres Sanctum Prophetam EliamMonachorumPrincipis titulo exornant,Baptiſtæ illum comparantes,neceſſe eſt,quod ſi prima illatio eſt legitima,etiam ſecunda legitimè inferatur,ſcilicèt,quod Elias verum inſtituit Monachatum,ſicut Baptiſta.

180 Hæc inſtantia frivola eſt, & inſubſiſtens; optimè enim probant Doctores Catholici verum Baptiſtæ Monachatum ex eo,quod Princeps extiterit Monachorum, & à Sanctis Patribus hoc titulo veneretur; nam vt ex verbis Chriſti conſtat Lucæ cap.16.v.16.lex,& Prophetæ vſque ad Ioannem:cũ vero Sanctus Ioannes Baptiſta ad legem gratiæ pertineat, & lucis illius,quę illuminat omnem hominem vt aurora apparuerit,vmbræque veteris teſtamenti recedere incępiſſent,ſolis iuſtitiæ ortu,verus Monachus extitit,& rectè Monachorum legis gratię Princeps appellatur,quia perfectio evangelica, quæ in obſervãtia conſiliorum conſiſtit,inchoata iam erat in Deipara Domina noſtra,vt docet D.Thomas 3.p.q.28.art.4.ad 2.ibi: *Sicut gratiæ plenitudo perfectè quidem fuit in Chriſto,& tamen aliqua eius inchoatio præceſsit in Matre, ita,& obſervatio conſiliorum,quæ per gratiam Dei fit perfectè quidem incæpit in Chriſto, ſed aliquomodò fuit inchoata in Virgine Matre eius.* Ex Virgine igitur Domina noſtra vitam verè Monaſticam,quæ in obſervantia conſiliorum conſiſtit didicit Ioannes,& ex hoc virginali exemplari Monaſticam potuit inſtituere vitam,& Principem Monachorum appellari Chriſti,qui vitam, & ſpiritum eius didicit ex Matre.

181 Elias autem,qui inter figuras veteris teſtamenti degebat, figurativum tantum potuit Monachatum tenere,& figurarum Princeps appellari,non verorumMonachorum,quia nõdum obſervantia conſiliorum fuerat inchoata in Virgine Matre Chriſti,quam omnes religiones legis gratiæ exemplar venerantur, & Matrem.

182 San-

182 Sancti Odilonis,& D.Antonini teſtamonia adverſarijs non favent; non primus,qui Monaſticum ordinem,qui à beato Elia,& Ioanne Baptiſta proceſſerat,Apoſtolorum tempore incępiſſe reviviſcere,ſeù polulare affirmat,nam certum eſt, quod in Elia in vmbris præceſsit,& in Ioanne aliquomodo fuit inchoatus,& perfectè incępit in Chriſto,vt ſupra dixit D.Thomas de obſervantia conſiliorum in quibus conſiſtit verus ordo Monaſticus.

183 Nec valet dicere cum Apologiſta: Ordo Monaſticus(vt S. Odilonus aſſerit) tempore Apoſtolorum reviviſcere incępit; ſed quod reviviſcit vitam anteà habuit: ergo in tempore veteris teſtamenti fuit verus Ordo Monaſticus. Non, inquam,hoc valet;nam D.Thomas ex Auguſtino ſupra citatus 1. p.Diſc.1.§.2.ait: Omnis ſtatus illius populi non ſolum lingua, ſed vita fuit figuralis;præceſsit ergo vita figurativa ſtatus Monaſtici in illa lege; in tempore Apoſtolorum reviviſcere incæpit in ſpiritu,& vita evangelij, quæ nova fuit ſecundum doctrinam Apoſtoli ad Corinth.cap.5.v.18.ibi:*Si qua ergo in Chriſto nova creatura,vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia nova,omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum.*Itaque vetus Monachatus trãſijt cum vita ſua figurali, & novus factus eſt in ſpiritu evangelij, & vita Chriſti,qui omnia fecit nova in ſua Eccleſia.

184 D.Antoninus in eadem ſententia eſt, qui renovatos fuiſſe in Chriſto docet Monachos ſub Eliſeo exortos,nec adverſariorum argumento verus Monachatus in veteri lege infertur, dum arguunt: non renovatur niſi quod anteà fuit, & decurſu temporis veteraſcit,& corruit: ergo ſi Monachi in congregatione viventes ſub Eliſeo renovati fuerunt à Chriſto,in lege veteri erant ſecundum D.Antonini doctrinam.

Reſpondetur,quod hoc argumentum contra adverſariorum doctrinam eſt,ſi veræ Div. Auguſtini adhæremus intelligentiæ circa veram,& ſpiritualem renovationem in novo teſtamento factam,qui explicans vnde illud dicatur vetus, & hoc novum lib.de Spiritu,& littera cap.20.ait ibi: *Ergo illud vetus erat, quia hoc novum eſt: vnde igitur illud vetus,& hoc novum,cum lex eadem impleatur per novum teſtamentum,quæ dixit in veteri: non concupiſces,quia ipſi(inquit)non perſeveraverunt in teſtamento meo,& ego neglexi vos dicit Dominus: ergo præter veteris hominis noxam,quæ litteram iubentem, & minantem minimè ſanabatur,dicitur illud teſtamentum vetus: Hoc autem novum propter novitatem ſpiritus,quæ hominem novum ſanat à vitio*

vetuſtatis. Ex quibus ſequens formatur dilema: vel ille ſtatus Monachorum ſub Elia,& Eliſeo fuit inſtitutus in vetuſtate litteræ legis iubentis, minantis,& occidentis, vel in novitate ſpiritus evangelij,& legis gratiæ vivificantis: ſi in vetuſtate litteræ figurativus fuit,& mortuus cum Synagoga: Si inſtitutus fuit in novitate ſpiritus evangelij,& vitæ legis gratiæ,quę hominem novum ſanat à vitio vetuſtatis ante mortem Chriſti,& Baptiſmum eſſet in Synagoga ſtatus in quo homines renovari poſſent, & per ſuam profeſsionem ex lege illa Monaſtica novum hominem induere in ſpiritu legis gratiæ,quod quidem opponi videtur Apoſtolo dicenti ad Romanos cap.6.v.3. ibi: *An ignoratis quoniam quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus: Conſepulti ergo ſumus illi per Baptiſmum in mortem, vt quemadmodum ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam Patris,ita, & nos in novitate vitæ ambulemus:* Ad quæ verba D.Auguſtinus lib.de Spiritu, & littera cap.6.circa finem ait ibi: *Nempè ſatis elucet myſterio Dominicæ mortis & reſurrectionis figuratum vitæ noſtræ veteris occaſum, & exortum novæ, demonſtratamque iniquitatis abolitionem, renovationemque iuſtitiæ*. ergo exortum vitæ novæ in ſpiritu legis gratiæ in nullo ſtatu hominum lege aliqua conſtituto incæpit ante mortem Chriſti Domini,& eius Reſurrectionem, quæ fuit occaſus vitæ vetuſtatis; ac perconſequens ante mortem, & reſurrectionem Chriſti,& Baptiſmum nullus fuit ſtatus novorum hominum in vita,& ſpiritu legis gratiæ; itaque ſtatus ille Monaſticus in vita vetuſtatis litteræ inſtitutus ab Elia,figurativus tantum fuit,& inter cęteras illius legis vmbras mortuus, verus autem ſtatus religioſus in nova vita,& ſpiritu evangelij inſtitutus fuit à Chriſto Domino, non circumciſsis,ſed baptizatis, & conſepultis cum Chriſto,vt iam in Baptiſmo renovati ad perfectionem legis gratiæ convolarent,qui quidem ſtatus vt nova creatura mundo poſt evangelium apparuit.Hæc ad authoritatem D.Antonini, de cuius mente dubitari non poteſt; nam expreſsè docet Carmelitas à Carmelo dici,non quia ab Elia ſuum habeant initium. Vide infra Diſc.7.

§. 3.

§.IV.

§. IV.

Teſtimonijs Eliam vt exemplar vitæ Monaſticæ proponentibus reſpondetur.

185 FRequenter Sancti Patres, & Doctores rethorico argumento ab exemplis deſumpto vtuntur; non ſolum Sanctorum Patrum veteris teſtamenti, ſed etiam Gentilium Philoſophorum, in exortationibus ad virtutes, quod optima, argumenti in increpationibus, ad vitia deprimenda, ſpecies eſt, vt Chriſtianorum, & Chriſti fidelium mentes inſtruantur, & eorum vitia reprehendantur, alijſque exemplis virtutum ad earum exercitia ducantur; nam ſi in veteri teſtamento in quo nec gratia ſuperabundavit, nec Sacramentorum vis in eo fuit ad virtutum apicem convalere potuerunt Sancti illi Patres, quanto magis in novo, in quo gratia promittitur, & datur ex lege, auxilia Sacramentorum habemus, legis perfectionem acquirere debemus, & præcepta Dominica obſervare tenemur, & poſſumus? Philoſophi etiam, & Gentiles eadem ratione in aliquibus virtutum actibus ad exempla proponuntur, vt magis, ac magis Chriſtianorum efrenata libertas confundatur ex Gentibus Deum non agnoſcentibus, & iuxta naturæ legem fugientibus vitia, & morales virtutes amplectentibus. Hæc enim exempla paſsim reperiuntur in Sanctis Patribus, quorum longum eſſet Cathalogum facere, & ſuperfluum quidem eſt in re notiſsima tempus, & operam conſumere, quia hæc ſufficiunt, vt Apologiſtæ argumentum frivolum, & inſubſiſtens appareat.

186 Arguit ex communi Philoſophorum, & Theologorum doctrina à D. Thoma tradita, quæſt. 8. de veritate, quod exemplar eſt id ad cuius imitationem fit aliquid, & quod debet eſſe perfectius, aut æqualis perfectionis cum exemplatu, ſed Div. Gregorius Niſſenus Homil. 7. in Cant. aſſerit de Monachis, quod omnes quotquot ad exemplum vatis illius vitam ſuam inſtituunt, ornamenta Eccleſiæ fiunt: & D. Athanaſius Alexandrinus, quod S. Antonius ex inſtituto Magni Eliæ exemplum cœpit, & ad illud ſpeculum, vitam ſuam

compoſuit, & Baronius, quod Monachi illius temporis pro exemplari habebant Eliſeum,& Eliam:D.Baſilius quod,S.Gordius Martyr ad exemplum Prophetæ, relictis honoribus, & facultatibus ad vaſta ſe contulit deſerta: Caſianus quoque, quod Anochoretæ ad imitationem Ioannis Baptiſtæ, & Eliæ vivebant: ergo exemplari ad exemplatum rectè concluditur, Eliã, & Eliſeum verum tenuiſſe Monachatum.

187 Sed argumentum,vel nimis probat,vel nihil; nam ex ſuppoſita doctrina D.Thomæ,in ſuo rigore admiſſa,non ſolùm concluditur, verum tenuiſſe evangelicum Monachatum, ſed perfectiorem,vel ad minus æqualis perfectionis cum evangelico exemplato,hoc non eſt dicendum, nec ab ipſo Apologiſta admittitur: ergo argumentum factum non procedit in riguroſa acceptione cauſæ exemplaris.

188 Proponuntur certè exempla Sanctorum Patrum veteris teſtamenti ad noſtram imitationem, vt Abrahami ad fidem,& hoſpitalitatem,Iſaac ad obedientiam,& animi puritatem, Iobi ad tollerantiam,Ioſephi ad caſtitatem;ſed non in eodem ſtatu,quia illi virtutes habebant in ſtatu ſervitutis,nos verò in ſtatu perfectæ libertatis: Illi enim vmbræ, & figura erant, nos autem in Chriſto habemus virtutem,& veritatem, eodemque modò Elias,& Eliſeus,& alij,qui in veteri teſtamento ſolitariam vitam habebant in exempla proponuntur Monachis, vt vmbram ſequentes in illis vitam, & veritatem in Chriſto per evangelium haberent,& ſicut in Principis imagine eiuſdẽ Principis veritatem veneramur,ſic in Monachis illis veteris teſtamenti aliquas Ordinis Monaſtici recognoſcimus adumbratas virtutes, quæ nobis proponuntur ad exempla,vt veritatem ſtatus in Chriſto Domino adimpletam teneamus, quod quidem D.Pauli doctrina illuſtratur cap.9.ad Heb.v.23.& 24.ibi: *Neceſſe eſt ergo exemplaria quidem cœleſtium his mundari, ipſa autem cœleſtia melioribus oſtijs,quam iſtis, non enim in manufacta ſancta Ieſus introivit exemplaria verorum, ſed in ipſum cœlum*. In quibus verbis exemplaria cœleſtium intelligunt Patres Moſaycum tabernaculum, teſtamentum ac populum,Eccleſiam,& ſtatus eius præfigurantia; in his ergo exemplaribus manufactis non introivit Ieſus exemplaria verorum,ſed in ipſum cœlum,hoc eſt,in Eccleſiam,& in eius ſtatus: ergo exemplaria veteris teſtamenti non proponuntur ad veritatem,ſed ad ſignificationem; at ſi Elias,& Eliſeus,& alij veteris teſtamenti eſſent vera exemplaria quoad veritatem

ſtatus religioſi, introiſſet Deus exemplaria verorum in vetus teſtamentum, quod non eſt dicendum iuxta doctrinam Apoſtoli: ergo Elias, & Eliſeus non aſſeruntur in exemplaria verorum Monachorum in veritate ſtatus; ſed quia illos præfigurabant in illa lege, & in hoc ſenſu intelligendi ſunt Patres, quorum exempla proponunt iuxta doctrinam Apoſtoli traditam, quia alias verorum exemplaria confunderentur in vtroque teſtamento, de quo infra 3. p. Diſc. 3. §. 8.

§. V.

Alia proponuntur argumenta, & eorum ſolutiones indicantur.

189 EIſdem Sanctorum Patrum repetitis teſtimonijs, argumenta multiplicat Apologiſtæ nil addens, niſi verborum ſophiſmata, quibus verum ſenſum extorquet, vt authoritatum ſtrepitu communem apparere faciat doctrinam, quam ferè omnes, quos ex antiquis laudat expreſsè negant, & alij cum vero Eliano Monachatu cum votis, per immediatam conſequentiam pugnant, votum, & cultum virginitatis in illa lege negantes: itaque nè in repetionis vitium incidamus, teſtimonia ab Authore repetita inſinuabimus, & proprius ſolutionis locus indicabitur.

Proponit in hoc §. 6. teſtimonia, in quibus Monachi, Elias, Eliſeus, & eorum diſcipuli vocantur millies in hac Apologia producta, & in ſua hiſtoria prophetica repetita, & primum illud S.P.N. Hieronymi ad Ruſticum, vbi ait: *Filij Prophetarum quos Monachos veteris teſtamenti legimus.* Doctoris Maximi negativam ſententiam manifeſtam fecimus in 1. p. Diſc. 2. §. 4. & in hac 2. verum ſenſum, & genuinam intelligentiam huius teſtimonij dedimus Diſc. 4. §. 3. & nunc addit D. Macharium dicentem: *Eliam, & Eliſeum, ac filios Prophetarum, quos conſtat veraciter Monachos fuiſſe imitari curate.* Quod quidem teſtimonium in eodem ſenſu figurativo intelligendum eſt iuxta doctrinam eiuſdem D. Macharij traditam in hoc Diſc. §. 2. nec obeſt, ſi dicas Monachos veraciter fuiſſe docere D. Macharium, nam veraciter Monachus eſt, qui ſolitariam vitam degit iuxta propriam Monachi ſignificationem à Sanctis Patribus receptam, cęterique ex antiquis, qui eos Monachos, & religioſos dixerunt in veteri teſtamento, nil aliud ſignificare voluere, niſi figurativos iuxta ſtatum

illius legis, quia veros cum votis in Chriſto incepiſſe conformiter docent, & conſtanter confitentur. Salianus Pſeudo-Ioannē Ieroſolymitanum ſequutus eamdem authoritatem illius libri habet, & in hoc maiorem fidem non meretur. Vvaldenſis eiuſdem familiæ timide, & varie in hac diſputatione proceſsit, & aliquando in Chriſto, aliquando in Elia Monachorum originem invenit; itaque licèt doctiſsimus, & pijſsimus vir extiterit, in hac tamen concluſione trepidaſſe videtur ex Prologo ſuarum conſtitutionum in 1. conſtitutione pro lege poſteà inſerto, qua precipitur Carmelitanis omnibus de origine ſui ordinis interrogatis reſpondere iuxta novitatem huius Carmelitani aſſerti.

190 Contra hanc veram Sanctorum Patrum intelligentiam ab inconvenienti arguit hic num. 40. quia ex ea ſequeretur, quod argumenta Theologorum Controverſiſtarum vim non haberent contra Lutherum, Calvinum, & alios Monachatum, & vota negantes inſtituta fuiſſe à Chriſto in nova lege, quod probat; quia Bellarminus, Suarez, Valentia, & alij exiſtentiam veri ſtatus religioſi in primitiva Eccleſia probant Patrum teſtimonijs vota non exprimentibus: ex quibus Apologiſta infert: ergo eadem diſtinctione, & explicatione poſſunt reſpondere heretici Catholicis arguentibus, qua vtimur in teſtimonijs ab adverſarijs adductis pro Monachatu veteris teſtamenti, dicendo contra Catholicos, quod teſtimonia pro Monachatu evangelico Sanctorum Patrum vota non explicant, ac perconſequens Monachatus primitivæ Eccleſiæ, nec paupertatem, nec caſtitatem, nec obedientiam habebat in votis.

191 Sed hoc argumentum nihil probat, & eodem modo arguendi poſſunt vti Iudæi, vt perfectionem veteris legis probent ex noſtris Patribus, & Eccleſiæ Doctoribus, qui multis in locis ſine expreſsione poteſtatis clavium, & iuriſdictionis ſpiritualis in animas fidelium, Pontifices noſtros appellant, eodem nomine quo inſigniti in veteri lege erant ſummi Sacerdotes, & Sacramenta, & ſacrificia legis novæ eiſdem verbis, quibus in veteri ſignificabantur: ergo nè à Iudæis arguamur ex teſtimonijs Sanctorum Patrum contra perfectionem legis gratiæ, conſentire debemus, quod in eodem ſenſu loquuntur reſpectu vtriuſque legis, quia eiſdem verbis vtuntur ad ſignificandum Sacerdotium, Pontificatum, Sacramenta, & ſacrificia legis gratiæ? Abſit; quia verba Sanctorum Patrum intelligenda

ſunt

ſunt reſpectivè ad legem, & tempora, & fidelium ſtatum: Cum vero in veteri lege omnia in figuris contigiſſe certum, & de fide ſit, Patres, hac veritate ſuppoſita, in hoc ſenſu Catholico intelligendi ſunt, etiam abſolutè loquentes de verbis, & factis veteris teſtamenti, in quo omnia ſub vmbris erant, & verba figurativè ſignificabant. Eodem etiam modo, & ſenſu loquuntur de Monachis, & religioſis, vt ſæpè dictum eſt; nam temporum, & legum differentia verborum ſenſum; & ſignificationem contrahunt ad ſtatum ſecundum legem illum conſtituentem.

192 Ex dictis patet manifeſta ſolutio ad argumentum ex Catholicis Theologis contra hæreticos, ſtatum religioſum negantes; contra quos rectè concludunt Doctores, & eorum perfidiam damnant: at vero contra noſtram doctrinam, frivolum eſt; nam Doctores Theologi contrà hæreticos ſupponunt ſtatum religioſum inſtitutum fuiſſe à Chriſto in lege gratiæ cum votis, & conſilijs perfectionis, vt ex Evangelio, & Actis Apoſtolorum conſtat: Eſt etiam manifeſtum in libris novi teſtamenti, & in veteri prænuntiatum in vmbris, quod omnia in ſua Eccleſia fecit nova in novitate gratiæ, & in veritate ſpiritus evangelij in omnibus ſtatibus ſuæ Eccleſiæ, & in omnibus membris corporis ſui myſtici, quia reformavit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritati ſuæ: ergo Sancti Patres de hoc, & in hoc tempore ſcribentes dum Monachos, & religioſos dicunt, veros intelligunt cum votis in veritate, novitate, & ſpiritu ſecundum inſtitutionem legis gratiç; itaque eiſdem verbis vtentes ſecundum differentiam temporum, figuratum à figura diſtinguentes, verum ſtatum ſignificant in lege gratiæ ſecundum ritum evangelij.

193 Nec verum ſtatum Monaſticum cum votis in veteri teſtamento negantes Luthero, & Sequacibus favent, vt contendere videtur Apologiſta; nam certum, & de fide eſt, quod Sacramenta Eccleſiæ non fuerunt inſtituta in veteri lege, niſi tantum præfigurata, & adumbrata; & ex figuris veteris teſtamenti ad veritatem, & exiſtentiam eorum in novo infalibile conficiunt Theologi argumentum contra hæreticos: ergo eodem diſcurſu ex figuris Monachatus veteris teſtamenti arguere poſſunt contra hæreticos ſtatum religioſum negantes

in

in Chriſti Eccleſia cum votis,& ex Chriſti inſtitutione, qui legem adimplere venit, figuras illas Iudaici Monachatus in veritate evangelica fuiſſe adimpletas,ſicut præfigurata,& præmonſtrata Sacramenta: vel afferant adverſarij diſparitatem inter ſtatum religioſum,& Sacramenta,vt in ſtatu Monaſtico, & in votis veritas,& ſpiritus legis gratiæ quoad ſubſtantiam,& eſſentiam requiratur in veteri teſtamento,& non in Sacramentis,vt veritas oſtendatur in nova lege.

194 Immo adverſariorum novitatem hæreticis Sacramentarijs,mihi favere videtur,qui ex principijs eorum arguere poſſunt: Omnia, quæ in veteri teſtamento inveniuntur nō gratia ſui,ſed novi teſtamenti ponuntur, & inſtituta fuerunt; ſed ſtatus religioſus cum votis inſtitutus fuit verus in illa lege in gratiam novi teſtamenti, quia in eo futurus erat: ergo etiam Sacramenta futura in Chriſti Eccleſia inſtituerentur in illa lege in veritate,& ſpiritu legis gratiæ quoad eorum eſſentiam, veritatem,& ſubſtantiam,licèt ſine perfectione evangelica, vt adverſarij ponunt,& conſtituunt verum ſtatum religioſum in illa lege; ſed hæc non fuerunt inſtituta in illa lege in novitate legis gratiæ: ergo quia in nova non erat inſtituenda, arguere poſſunt hæretici; & hanc conſequentiam vrgere: magis neceſſaria in novo teſtamento,magis exprimenda erant in figuris veteris teſtamenti; ſed Sacramenta ſunt magis neceſſaria in nova lege,quam Monachatus: ergo magis explicanda erant in veteri lege, in qua propter novam ponerentur: ergo ſi in illa lege Sacramenta non fuerunt inſtituta in veritate evangelica ſicut Monachatus,ideò eſt, quia in lege gratiæ non erant inſtituenda, ſicut à Theologis Catholicis proponuntur ex inſtitutione evangelica; hæc enim ſolvere tenentur adverſarij, & reddere diſparitatem inter vota, & Sacramenta, aſsignareque vtilitatem Eccleſiæ propter quam ſtatus religioſus inſtitutus fuit in illa lege in veritate evangelica, & non Sacramenta. Nos verò veſtigijs Sanctorum Patrum inhærendo, & D. Pauli Doctrinæ inſiſtendo faciliter nodum ſolvimus, dicendo, quod omnia in figuris contingebant illis,vnde Sacramenta,Pontificatus,Sacerdotium,Monachatus,& vota figurativa fuerunt in veteri lege, quia nulla poteſt excogitari ratio,qua ſtatui religioſo, & votis eius ſpiritus,& veritas legis gratiæ concedantur, & non Sacerdotio,Pontificatui,& Sacramentis, quia Sacramenta, omnes ſtatus Eccleſiæ,& vota religioſa quoad veritatem, & ſubſtantiam

tiam

tiam evangelicam ex meritis Chriſti Dñi mortui, & paſsi efficienter communicatis, eſſentialiter dependent.

§. VI.

Argumenta ex Sanctis Patribus Chryſoſtomo, Thoma, & Bernardo proponuntur.

195 EX D. Thoma 2.2.q.184.art.8. arguit §.7.& D. Ioannis Chryſoſtomi adiuncto teſtimonio probare intendit Eliam verum fuiſſe Monachum cum votis,& num.43. ex eodem loco D. Thomæ q.187.art.2. quod Eliſeus in eodem vero ſtatu vixit; ſed mentem,& veram ſententiam Div. Thomę oſtendimus 1.p.Diſc.2.§.2. per totum, & hæc argumenta ſolvuntur ibidem §.3. per totum, ideò in eorum ſolutione non immoramur. D. Bernardi teſtimonium contra Iudaicum Monachatum infringere connatur hic num.52. ſed ſententiam contrariam tenere mellifluum Doctorem loco ſupra citato demõſtravimus §.5. ex Sermone ſuper illud Evangelij: *Ecce nos reliquimus omnia*, in quibus quidquid in hac tota controverſia dicitur, mirabili doctrina comprehenditur, qua omnia argumenta adverſariorum ſolvuntur,& ad nihilum rediguntur.

196 Alia teſtimonia affert §. 8. vota Monachorum veteris teſtamenti exprimentia,& ex Patribus antiquis vnicum laudat Maximum Doctorem Patrem noſtrum Hieronymum, qui ſi in vero,& genuino ſenſu adduceretur, ſufficeret, vt mentem noſtram eius authoritati captivaremus. Verba Doctoris Maximi ſunt ex Epiſt.28. ibi: *Eliſeus boves,& iuga prioris operis vertit in vota*; ſed hic vota deſideria ſignificare in fraſi Doctoris Maximi certum eſt ſ quam explicationem illuſtravit Eminentiſsimus D. Cardinalis Capiſuccus ſupra laudatus in hac 2.p. Diſc.4.§.2. & Eccleſiæ etiam ſtylo confirmatur, quæ in plurimis orationibus vota noſtra pro deſiderijs noſtris accipit. Contra hanc Doctoris Maximi intelligentiam Vvaldenſem ſuum Carmelitanum opponit, qui iuxta Prologum ſuarum Conſtitutionum Maximũ Doctorem explicavit de veris,& religioſis votis; ſed huius Doctoris noviſsima intelligentia Doctorum iudicio relinquitur examinanda.

197 Tritemius Abbas votum caſtitatis explicat in libro de laudibus Carmelitarum; ſed hic liber falſò adſcribitur. Tritemio,

nio,vt notavit Magiſter San Vitores in ſuo Sole Occidentis, qui addidit in Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum Matritenſi fuiſſe repertum,& ab omnibus exiſtimatur ſuppoſititius. Ioannes Carthagena in ſuis Homilijs de Beata Virgine de Monte Carmelo Carmelitis adhærendo pro ſuo placito ſcripſit; ſed tomo 2. de Arcanis B.MARIÆ propriam ſententiam expreſsit, & ex communi SS. PP. ſententia docet Deiparam Dominam noſtram primam fuiſſe,quæ votum virginitatis, & caſtitatis in tempore emiſsit.Rev.mus noſter Siguença contrarium tenet, quia Monachatum verum cum votis in Chriſto Domino,& Apoſtolis incæpiſſet aſſerit, & erudite probat,& veteris teſtamēti Monachos,iuxta S.P.N. Hieronymi ſenſum, figurativos fuiſſe docet ſupra laudatus in 1.p.Diſc.2.§.6.Cęteri moderniores ab Apologiſta laudati,qui vel in ſermonibus pro Divis Carmelitanis habitis, vel rem non diſcutiendo,ſed obviter tetigerunt, licèt ſuam authoritatem habeant,eis ſatisfacere non tenemur, vt idem Apologiſta notavit ſupra 1.p.Diſc.4.§.8.

198 De Rechabitis iterùm hic agit §.9.& 10.vt veros Monachos in veteri teſtamento cum votis probet, eoſque cum Eſſenis confundit, & ſub eodem inſtituto vixiſſe aſſerit: verum Monachatum ex Abulenſi probare contendit quæſt. 21. in 1. Paralip.cap.2.ibi: *Rechabitæ erant veri religioſi in veteri teſtamento, ſicut Monachi.* Sed Abulenſis multis in locis mentem ſuam aperuit,& verum Monachatum cum votis in veteri lege negavit; vt videri poteſt in 1.p.Diſc.2.§.6. religioſoſque fuiſſe,& Monachos ſecundum illam legem libenter concedimus, & in hoc ſenſu intelligendi ſunt Patres,qui Monachos illos appellant, & verum Monachatum in Chriſto incępiſſe docent. Rechabitarum caſtitas ex antiquis Patribus non conſtat, ſtirpemque ſuam per carnalem generationem in ſempiternum permanſuram ex Sacra Scriptura certum eſt; filios, & filias, ac mulieres eorum cōmemorat Ieremias cap.35.in hac 2.part. citato Diſc. 4. §.1. in quo filiationem ſpiritualem eorum ex Boolduc noviter introductam improbabilem oſtendimus,& ignotam antiquis Patribus, qui cum Eſſenis eos confundunt Rechabitarum vitam, & mores maculant, nam Eſſeni,vt conſtat ex dictis in hac 2.p. Diſc.1.§.4.multis erroribus fuerunt implicati,quod ſi Eſſeni,& Nazareis,vt aſſerit Boolduchius ab Apologiſta hic citatus,à Nazarei originem ſuum,& ſub eorum ritibus, & inſtitutis vivebant, ſecundum Epiphanium,Apoſtolorum tempore inter hęreti-

reticos numerabantur, legi Iudæorum, circumciſsioni, & Sabbato erant ligati, igneque accenſo, ſeipſos incenderunt, ſic Epiphanius hæreſ. 29. & quod Stephanum accuſabant contra legem, & locum ſanctum prædicantem, vt referunt Acta Apoſtolorum cap. 6. Aliquas virtutes Monaſticas Eſſenos exercuiſſe antiqui Doctores, & Patres etiam tradunt, ſed errores oſtendũt ſupra laudati, & præſertim S. Nilus de Eſſenis ſic fatur: *Cæterum quæ vtilitas, aut quis finis ex laborioſa vita poteſt illis eſſe, qui remuneratorem Chriſtum ſubſtulerunt?* Et præter antiquos, etiam Scriptores noſtri ſæculi, qui hæreticorum cathalogum faciunt, Eſſenos indicant, vt Gabriel Prateolus in Elencho hæreticorum omnium, & Ferbadentius in annotationibus ad Sanctum Irænæum cap. 5.

199 Fateor aliquos moderniores Eſſenos extollere, vitamque eorum, & inſtitutum ſummis afficere laudibus; vt doctiſsimus Magiſter Soto in 4. diſtinct. 3. artic. 1. qui eorum caſtitatem laudat, & D. Ioannem Baptiſtam ſui inſtituti Sequacem facit. Idem ſcripſit Singlerus in Deſcriptione Paleſtinæ; ſed Magiſter Sotus votum virginitatis, & religioſum ſtatum in veteri teſtamento negat, vt conſtat ex relatis in 1. p. Diſc. 3. §. 6. Educatio D. Ioannis Baptiſtæ inter Eſſenos, nec laudabilis eſt, & contra Eccleſiæ laudes, quos in eius Officio intonat omnis Eccleſiaſticus Chorus in Hymno ad Matutinum:

Antra deſerti teneris ſub annis,
Civium turmas fugiens petiſti,
Ne levi poſſes maculare vitam
Crimine linguæ.

Et conſonat D. Chryſoſtomus de Baptiſta Homil. 38. in Matth. ibi: *Ioannes nulli hominum ante quam ad Baptiſmum accederet, Deo autem ſoli ſemper offerebat colloquia, neminem vidit vnquam converſorum, neque ab aliquo viſus fuit:* ergo educatio, & inſtitutio Ioannis Baptiſtæ à Deo immediatè fuit, & Eſſenorum conſortium, nec laudabile, nec decens Præcurſori Domini eſt, & ſine fundamento ab adverſarijs inter Generales veteris teſtamenti ſui Ordinis cõnumeratur Baptiſta, vel primus in lege gratiæ collocatur. Ex his, & ex dictis ſupra loco citato de Eſſenis, Rechabitis & Nazaræis nullum certum, nec probabile fundamentũ poſſunt

ſummere adverſarij, vt in Synagoga Iudæorum verum ſtatum religioſum fundent, & ab Elia inſtitutum fuiſſe probent contra communem SS.PP. & Doctorum doctrinam, & omnium religionum conſenſum, quia firmiter, & conſtanter tenent cum Angelico Magiſtro, quod vita religioſa in obſervantia conſiliorum in Deipara Dña noſtra aliquando incepit, & in Chriſto Domino ſtatum perfectum habuit in Dei Eccleſia, de cuius origine per Sanctos Apoſtolos omnes religiones in Cruce Domini noſtri Ieſu-Chriſti, quam in hoc evangelico ſtatu amplectuntur, cum Apoſtolo Paulo gloriantur.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Adverſariorum traditiones examinantur.

§. I.

Ab Elia vſque ad Chriſtum Dominum impoſsibilis oſtenditur continuata traditio Monachatus veri circumciſsi.

200 VEri Monachatus ſucceſsionem non interruptam ab Elia vſque ad Chriſtum Dominum, & per Sanctos Apoſtolos ſuos vſque ad noſtrum ſeculum in eodem ſtatu religioſo perſuadere conantur adverſarij per traditionem, quã Apologiſta hic ſtabilire intendit §. 12. à num. 191. ſed hæc traditio nullo antiquo monumento reperitur enixa, ideòque ab omnibus ſcriptoribus, qui ſerio hanc controverſiam examinarunt, contemnitur, & reijcitur; & licèt aliqui eam recipiant Ioannis Ieroſolymitani libro ducti, vel ſeducti, cum in fide Authoris loquantur, fidem Pſeudo-Ioannis merentur, quæ nulla eſt ex dictis in hac 2.p. Diſc. 5. §. 5. & nunc addimus iudicium Ioannis Maria Magiſtri Sacri Palatij in Indice librorum expurg. Romæ impreſſo anno 1607. tomo 1. à Bibliotheca VV. PP. pag. 291. apud Petrum Creſcentium in Præſidio Romano lib. 1. nu. 158. ibi; *Ex quibus, & Author huius libri fuiſſe Ioannes 44. Hieroſolymorum Epiſcopus facilè refellitur, & liber ipſe fide vacillare deprehenditur.* Et proſequitur ibi: *Denique ſtylus ipſe totus Latinus, multa ſine maiorum authoritate, & fide ambigua huic operi inſerta ſatis arguunt alium Authorem, quam Ioannem, & quidem recentiorem.* Et paulò poſt: *Putamus*

eſſe

eſſe opus Authoris Latini, & recentioris etiam Ioanne 57. Hieroſolymitano Epiſcopo, nec eſſe ex omni parte ſinceræ, ac integræ fidei.

201 Eadem cenſura legitur ab omnibus Doctoribus huius, & præteriti ſæculi, & in Bibliotheca VV. PP. indicatur: in hoc primo teſte, tota Monachatus Eliani traditio nititur. Cum enim Author Latinus, & recentior ſit ſine authoritate maiorũ, fideque ambigua, nec ex omni parte integræ, & ſinceræ fidei, traditio Eliana nullo fundamento fulcitur, fide caret, & ipſa ſua novitate ruit. Videtur etiam ſacris Annalibus repugnare; nec ſatis conſtat quomodò tempore captivitatum populi Iſraelitici ſtatus ille religioſus continuari potuit in Carmelo, & quomodò poſt illas, inſtauratus fuerit nulla facta in antiquis Hebræorum hiſtorijs mentione, vt advertit eruditus Aſcanius Tamburinus tom. 1. de Iure Abbatum, diſput. 2. quæſit. 3. num. 1. Cum ergo nihil certum ſit de tempore illo captivitatum, idcircò traditio fundari non poteſt, nec continuatio probari inter vmbraticum Monachatum Elianum, & verum Chriſtianum, quod vt probent, teſtes affirmativos; & idoneos illorum ſæculorum producere debent adverſarij.

202 Interim ex Sacra Scriptura contrarium probatur ex 4. Reg. cap. 17. in quo prævaricatio, & captivitas Regni Iſrael referuntur, & peccata populi, verſ. 17. ibi: *Reliquerunt præcepta Domini Dei ſui, fecerunt conflatiles duos vitulos, & Lucos, & adoraverũt vniverſam militiam Cœli, ſervieruntque Baal, & conſecraverunt filios ſuos, & filias ſuas per ignem, & divinationibus inſerviebant, & augurijs, & tradiderunt ſe, vt facerent malum coram Domino, vt irritarent eum: iratuſque eſt Dominus vehementer Iſraeli, & abſtulit eos à conſpectu ſuo, & non remanſit niſi tribus Iuda tantummodò: ſed nec ipſe Iuda cuſtodivit mandata Domini Dei ſui, verumtamen ambulavit in erroribus Iſrael, quos operatus fuerat.* Errores in quos inciderat Iſrael refert Sacer textus ibidem verſ. 10. ibi: *Feceruntque ſibi ſtatuas, & Lucos in omni colle ſublimi, & ſuper omne lignum nemoroſum, & adolebant ſibi incenſum ſuper aras in morem gentium.* Vt veri Dei cultum deleret Aſſyriorum Rex, Iſraeli capto, & Babylonem ducto, de Civitatibus Aſſyriorum adduxit in regnum Iſrael populatores, & collocavit eos in Civitate Samariæ pro filijs Iſrael, & fabricaverunt in excelſis fanis Deos ſuos iuxta gentem ſuam, quos Iſraelitæ adorabant in fanis ſublimibus. Conſtat igitur ex verbis relatis, mõtes Samariæ ſacrilegis Idolorum aris profanatos fuiſſe ab Aſſyrijs, & Iſraelitis cum eis degentibus poſt captivitatem. Mons

Carmelus præcipuus eſt intra Samaritanos limites: ergo inter profanatos colles eſt anumerandus ſecundum Sacram Hiſtoriam cap. 17. 4. Reg. relatam; & vniverſo Iſrael prævaricante, montibuſque aris profanatis idolatricis, ac excelſis Deis ſuis dicatis, vbi erant Monachi illi, & Monaſteria in quibus inſtitutum Elianum permanſit? In civitatibus ſubſiſtere non poſſunt, quia pro filijs Iſrael collocati fuerunt Aſſyrij Idolatræ: In montibus, & excelſis minimè; quia in ſublimibus Deorum fana erecta fuerunt, aræque conſtitutæ augurijs, & divinationibus dicatæ: ergo nullus invenitur locus in Samaria, in quo continuari poſſet inſtitutum illum propheticum in Monaſterijs, vero Dei cultui dicatis, cuius legem, & ritus deſtruere pro viribus conabantur Aſſyrij Hebręis lege, & religione contrarij.

203 Diſcurſus ex Sacra Hiſtoria manifeſtus eſt, & libro Tobiæ confirmatur cap. 1. ibi: *Denique cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat rex Iſrael, hic ſolus fugiebat conſortia omnium; ſed pergebat in Ieruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſrael, omnia primitiva ſua, & decimas ſuas fideliter offerẽs.* Hæc faciebat Tobias in eadem captivitate populi Iſrael ſub Salmanaſar rege Aſſyriorum, vt refertur 4. Reg. loco citato: Si ergo ſolus Tobias, vel paucisſimi cum eo in vera religione permanſerunt in regno Iſrael, & Samaria, vbi erant Monaſteria, & Communitates Monachorum, de quibus Sacra Scriptura nullam mentionem facit? Immo Monaſteria, & religioſos excludit à Carmelo Hiſtoria Sacra, quæ ſolum Tobiam enumerat in vera religione permanentem, templumqueHieroſolymitanum venerantem, omnibus alijs Iſraelitis vitulis Ieroboam ſacrificantibus: nec credibile eſt, quod Sacra Hiſtoria integrum librum de fide, & virtutibus Tobiæ nobis relinquens ad exemplum, religioſorum Monachorum verum Deum adorantium, & vota ſua offerentium, memoriam relinqueret intactam, & nullam faceret in ſacribus Annalibus mentionem illius religionis Elianæ per tot ſæcula permanentis, & in Monaſterijs vtriuſque ſexus continuatæ in Salamanaſaris captivitate, ſicut pietas, devotio, fides, & cultus Tobiæ in Sacris litteris celebrantur.

204 Nec deſunt in Sacris litteris Carmeli prævaricationis vaticinia, & monumenta; nam Ieremias deſertum Carmelum deploravit cap. 4. ibi: *Aſpexi, & ecce Carmelus deſertus.* Amòs ariditatem eius prænuntiavit cap. 1. ibi: *Exicatus eſt vertex Carmeli.* Nahum infirmitatęm eius pręvidit cap. 1. *Infirmatus eſt Baſſan, &*

Car-

Carmelus. Quę quidem Prophetarum vaticinia deplantarum arborumque, & fontium ariditate, & ſiccitate non ſunt tantummodo intelligenda; ſed de incolarum prævaricatione in veri Dei cultu, moribus, & religione, quæ facta fuit in Aſſyriorum captivitate, & inter Samaritanos colles Carmelum celebriorem, & Prophetarum cultu ſanctificatum, profanatum, & deſertum deplorant ſub Aſſyriorum captivitate: ergo in illo mõte dēſerto, infirmato, & ſicco Prophetarum inſtitutio in Monachis, & Monaſterijs continuari non poteſt.

205 Ex Sacroſancto Chriſti Domini evangelio non levè conficitur argumentum ad probandum idolatricum cultum in Carmelo continuatum vſque ad Salvatoris noſtri tempus; nam certum eſt apud omnes, Carmelum in Syria Phenice ſitum eſſe, in qua Tyrus, & Sidon præcipuè civitates ſunt, & in illa Provincia extolli Carmelum; Tyri, & Sidonij, & incolæ Cananæi habitatores idolatrę erant, Hebręis ritibus, fidei, legi, & religioni eorum contrarij, quod ex Chriſti Domini verbis Iudæorum perfidiam increpantis conſtat Lucæ cap. 10. verſ. 13. ibi: *Ve tibi Corozaim, ve tibi Betbſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere ſedentes pœniterent.* In quibus verbis, & idolatricum cultum Samaritanum ſupponitur, & ex defectu ſignorum, & veræ religionis prædicatione, aliquam in iudicio excuſſationem Tyros, & Sidonios Samaritanos habituros Chriſtus Dominus proponit; quæ non admitteretur, ſi in Carmelo veri extiterint religioſi propheticum inſtitutum tenentes, qui veram religionem prædicarent, & præcepta legis cum evangelicis votis inter Tyrum, & Sidonem, vel circumcirca intra ſuam Provinciam obſervarent: nullus ergo erat in illo monte cultus religioſi ſtatus permanens in Monaſterijs ſub illa veteri lege. Ex veteri teſtamento colligitur ſecundum explicationem S. P. N. Hieronymi, nam ad illa verba Ioel cap. 3. ibi: *Verum quid vobis, & mihi Tyrus, & Sydon, & omnis terminus Palæſtinorum*, ait Doctor Maximus ibidem: *Et hæc Iudæi adverſum Tyrum, & Sidonem, & Palæſtinorum terminos ſive Galilæam alienigenarum dici arbitrantur, qui tempore captivitatis Iudaicæ, quando victi ſunt à Romanis Dei populum perſecuti ſunt, immo in populo ipſum Deum*: ergo ſecundum explicationem Doctoris Maximi Tyrus, & Sidon, & omnes termini Palæſtinorum, intra quos eſt Carmelus, tempore captivitatis Ro-

S ma-

manorum populum Dei perſequebantur,& inimici illius erant ritibus,cultu,& religione.

206 Profanæ etiam litteræ huic veritati deſerviunt, & ſuis teſtimonijs famulantur; nam Suetonius,& Tacitus,de Veſpaſiano ſcribentes cultum gentilicum,& idolatricam ſuperſtitionem in Carmelo Veſpaſiani temporibus, teſtantur, Suetonius cap. 5. ibi: *Apud Iudæam Carmeli Dei oraculum conſulentem, ita confirmauere ſortes, vt quidquid cogitaret, volueretque animo, quodlibet magnum, id eſſe perventurum policerentur.* Tacitus libro 2. cap. 17. ibi: *Iudæam inter Syriamque Carmelus ita vocant montem, Deumque, nec Simulacrum Deo, aut templum (ſic tradidere maiores) aram tantum, & reverentiam illic ſacrificante Veſpaſiano, cum res occultas verſaret animo, Baſilides Sacerdos inſpectis iridem extis; quidquid eſt (inquit) Veſpaſiane. quod paras, ſivè domum extruere, ſivè propalare agros, ſivè ampliare ſervitia, datur tibi magna ſedes, ingentes termini, multum hominum.* Suetonius igitur, & Tacitus profanationem Carmeli teſtantur; Carmelum, vt Deum veneratum referunt, in eoque aram ſacrilegam, divinationibus, & augurijs dicatam, ſacrificium cruentum pecudis, & vaticinium Baſilidis inſpectis extis, gentilico more, & ritu factum tempore Veſpaſiani ſcripſerunt: ergo tunc nec Monachi, nec Monaſteria religioſorum in illo monte erant, nec ibi Eccleſia Deiparę Dominæ noſtræ dicata reperitur; nec Veſpaſianus Imperator Gentilis Chriſtianos religioſos conſuleret, nec Iudæos, quos deſtruere ſuo exercitu parabat, & vtriuſque teſtamenti inimicus, nec ad Chriſtianas aras, & Iudaicas adiret conſulendas: ergo totus Carmelus profanatus erat, & in eo inſtitutum Elianum continuatum impoſsibile eſt invenire Veſpaſiani tempore.

207 Varijs effugijs intendunt adverſarij, hoc argumentum ex Gentilium teſtimonijs deſumpto infringere. Dicunt aliqui quod, Gentilium teſtimonia non ſunt admittenda, quia eorum Authores Chriſtianæ religioni ſunt contrarij, quod quidem verum eſſet ſi Catholicę fidei eſſent oppoſita, vel aliqui ex noſtris Patribus antiquis contrarium aſſerent; ſed Suetonius, & Tacitus rem facti referunt, quam nullus illius temporis adnotavit, nec contrarium refert vſque ad præſens ſæculum, in quo adverſarij ſua novitate antiquæ, & receptæ hiſtoriæ contradicunt; hi Authores in re-

rebus geſtis ab Imperatoribus in pace, & bello etiam à Sanctis noſtris Patribus laudantur vt veri; & rigidus iſte Theologus Primarius Salmanticenſis Doctor Melchior Cano Cornelium Tacitum inter viridicos profanos Authores enumerat, lib. 2. de locis cap. 6. ibi: *Sunt enim, vt dixi, in profanis Authoribus non pauci, quorum ingenuitas, & verecundia ſic hominum ſermone celebrata eſt, vt nemo illos vmquam mendaces, & in fingendo impudentes exiſtimaverit, quales ſunt Cæſar, Valerius Maximus, Terentius, Varro, Livius, Cornelius Tacitus, &c.* Et paulò ante integritatem ab Authoribus ſervandam in narrationibus ſuis commendans, Suetonium in exemplum proponit, ibi: *Vt neque quid falſi dicere audiat, nè quid veri non audeat, neque ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, neque ſimultatis: quæ cum ad probitatis, integritatiſque efficia pertinere notum ſit, miror ab vno Suetonio ſervata eſſe omnia; à pleriſque noſtris omnia eſſe deſerta.* Hæc Magiſter Cano facilitatem ſimultatemque noſtrorum Authorum in geſtis, & revelationibus Sanctorum arguens; & eadem fide recepti ſunt ab omnibus Scriptoribus Tacitus, & Suetonius in ſuis Annalibus: ergo fruſtra laborant adverſarij fidem eorum labefactare conantes circa ſacrificium, & divinationem idolatricam Veſpaſiani.

208 Sortes illas à Baſilide celebratas deſpiciunt aliqui; ſed Romanorum fuiſſe morem per ſortes divinarè refert Petrus Crinitus lib. 22. cap. 3. ibi: *Nec me latet alium quoque fuiſſe morem Romanis Imperatoribus in aucupanda per ſortes fortuna, verſibus ad eam rem compoſitis, vel ex aliquo Poemate translatis*: & alij referunt ſortibus vſos fuiſſe Caligolam, & Tiberium, apud Petrum Creſcentium loco ſupra citato in ſuo præſidio Romano, pagina 291. Maximè Suetonio, & Tacito fides danda eſt, quia ſacris litteris in facto conſonant, vt ex dictis ex lib. 4. Regum, cap. 17. conſtat, nam aram, ſimulacrum, & fana in collibus ſublimibus, excelſis, & montibus à Sacerdotibus idolatricis divinationibus, & augurijs ſervientibus vidimus diſperſa, & adorata per totam Samariam, & vniverſum Regnum Iſrael ſub captivitate Salmanaſar Aſſyriorum regis, idemque vaticinatum fuit per Prophetas, & tempore Redemptoris noſtri Gentilicum cultum in Provincia Carmeli permanſiſſe ſatis colligitur ex evangelio: at Suetonius, & Tacitus

aram, ſacrificium, augurium, Sacerdotemque Gentilicum ab Imperatore Gentili conſultum in Carmelo referunt: ergo hoc factum vt Sacris Hiſtorijs conſonum non eſt reijciendum, vel contemnendum, ſed admitti debet à Catholicis Scriptoribus vt fide humana verum, & vt intelligentiæ Sacræ Scripturæ deſerviens.

209 Dicunt aliqui ex neotericis adverſarijs; ſacrificium illud fuiſſe Sacræ Euchariſtiæ incruentum, Baſilidem Priorem Carmeli, Eſpin in ruina §. 21. & Fratre Ioſephus à Sancta Thereſia Excalceatus Carmelita in ſuis Floribus Carmeli Hiſpano idiomate impreſſis, & diſperſis, eundem Baſilidem Prophetam Dei, & Chriſti Sacerdotem appellat, & in feſto Omnium Sanctorum ſui Ordinis inter Divos eum enumerat, qua authoritate, & à quo Pontifice fuit Canonicatus adhùc non conſtat, nam de Baſilide ſacrificante in Carmelo nulla alia memoria extat, niſi ex Tacito, & Suetonio, ſacrificium cruentum, & divinationem ſuperſtitioſam referentibus per exta. Periculoſum quippè eſt, & Canonicis diſpoſitionibus contrarium inter Sanctos referre hominem à Gentilibus conſultum, & gentiliter ſacrificantem, & à ſolis Gentilibus in ſuis Annalibus celebratum. Vnde igitur Baſilidis ſacrificium ſanctificari poſſit, neque in ſacris, neque in humanis litteris reperitur, nec inveniri poteſt poſt quindecim ſæcula, quia omnes Taciti, & Suetonij Commentatores Gentilicum illud ſacrificium exponunt, & ipſum montem Carmelum, vt Deum veneratum fuiſſe affirmant: ſic Theodorus Marſilius in Expoſitione eiuſdem Suetonij loci, ibi: *Carmeli autem Dei figmentum paganicum natum inde, quod in Carmelo Sedes Eliæ, & Eliſei.* Iuſtus Lipſius in notis ad Suetonium 88. ibi: *Carmelus Deus.* Ioannes Boſius de idolatria libr. 2. capit. 5. ibi: *Nempè vti nomine Dei Carmeli Suetonius in Veſpaſiano.* Ioannes Saldenius Syntagmate de Dijs Syrijs cap. 5. ibi: *Vti igitur Jupiter Olimpicus, Mercurius Cillenius, & ille Deus fortium Carmelus apud Suetonium à montibus appellati*: & omnes quotquot ſcripſerunt, vel Suetonium, & Tacitum commentantes, vel factum attingentes idolatricum exiſtimarunt Baſilidis ſacrificium,

Deum-

Deumque Carmelum: ergo nulla poteſt fundari traditio veri ſtatus religioſi in illo monte.

210 Nec deſũnt alij, qui ſacrificium illud verè Iudaicum velint, & Baſilidem illius legis vero Sacerdotio prædicent inſignitum, divinationemque illam divinæ illuſtrationis, verèque propheticam. Sed excogiratio nova eſt, & ſacris litteris repugnans, nam prohibitum erat Iudæis extra templum Ieroſolymitanum ſacrificare, vt lege cautum fuit in Levitico conſtat in notum eſt, nec credibile ſit Veſpaſianum conſultorum Sacerdotum Iudęum, qui templum eorum, Sacerdotium, & gentem deſtruere volebat, nec tunc licitum eſſe potuit, nec gratum Deo cruentum ſacrificium Iudaicum poſt prædicationem evangelicam, eſſetque Sacerdos ille ex Nazareis hæreticis, qui Chriſtum credebant, & cæremonias veteris legis obſervabant, vt ſupra diximus ex Patribus illic laudatis: ergo malè in Baſilide in Carmelo Priore Iudæo continuari potuit verus Monachatus Elianus: eſt igitur certa conſtanſque concluſio, quod ſtatus ille Monaſticus vmbraticus, & figurativus, quem in diſcipulis Prophetarum Elias inſtituit, nullatenus continuatus fuit in Carmelo ab Aſſyrijs profanato tempore legis, & captivitatis, & quod profanatis vſque ad tempora Chriſti perduravit, ſicut idolatria in Samaria, & in Carmelo fictam aram Deumque montem ipſum adoratum permanſiſſe divinationibus, & augurijs profanatum vſque ad Veſpaſianum: ergo nullam in illo monte poſſunt adverſarij firmare traditionem pro vero Monachatu Iudaico circumciſſo.

§. II.

Nec à tempore Chriſti Domini, & Apoſtolorum poſſunt adverſarij veram traditionem fundare.

211 POtiſsimum traditionis Elianæ argumentum deſſumunt adverſarij in lege gratiæ ex Officio B. Virginis de Monte Carmelo, quod Sacra Rituum Congregatio approbavit pro regnis, & dominijs regis noſtri Catholici, in cuius lectionibus legitur in 2. Noct. *Cum Sacra Pentecoſtes die Apoſtoli cœlitus afflati, varijs linguis loquerentur, & invocato auguſtiſsimo*

Ieſu nomine, mira multa patrarent: viri plurimi, qui veſtigijs Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei inſtiterant, & Ioannis Baptiſtæ præconio ad Chriſti adventum comparati fuerant, &c. In quibus lectionibus traditionem continuatam inſtituti Eliani aſſerunt adverſarij ſupponi in illis diſcipulis Eliæ præconio Ioannis Baptiſtæ ad fidem Chriſti converſis; vnde noviſsime gloriantur, quod Sancta Mater Eccleſia traditiones ſuas, & inſtitutum Elianum in veteri lege approbavit, ad cuius determinationem captivare omnes debent intellectum, & traditiones ſuas admittere ſaltem vt authenticas.

212 Sed in prædictis lectionibus nil, quod adverſarijs faveat Sacra Congregatio approbavit; quia nullus negare poteſt diſcipulos Eliæ, ſi qui tempore Baptiſtæ permanſerunt veſtigijs Prophetarum inſiſtentes in Eremo, de quibus ſupra 1.p. Diſc.2. §.1. converſos fuiſſe ad Chriſti fidem præconio Magiſtri, quod Sacra Congregatio approbavit, & omnes confitemur: an vero illi, qui tempore Baptiſtæ veſtigijs Eliæ, & Eliſei inſtiterant ab illo Eliano inſtituto continuato in Carmelo deſcendiſſent, hoc opus hic labor eſt, nam captivitas per duo perduravit ſæcula, in quibus prævaricatio regni Iſrael permanſit in Samaria, & tempore Chriſti Domini permanebat, vt conſtat ex dictis ſuperiori §. veſtigijs ergo Sanctorum Prophetarum inſtiterant, & nunc etiam inſiſtere poſſunt, qui ſolitariam vitam amplectentes ſoli Deo vacant, & deſerta penetrant: ergo ex his lectionibuſque Sacra Congregatione approbatis, nullam traditionem inferri poſſunt adverſarij continuatam ab Elia vſque ad Chriſtum Dominum, ſed quod ſpiritu Eliæ ſuſcitato in Baptiſta, aliqui veſtigijs Prophetarum inſtiterant in deſerto.

213 Ex evangelio non obſcurè colligitur Monachorum antiquorum vmbram, quæ in Carmelo Eliæ tempore apparuerat, Baptiſtæ diebus non permanſiſſe in Iudæa, ſed novos tunc eſſe, qui Præcurſoris inſtitutum tenebant, nam Archangelus Gabriel, inter alia magnalia Præcurſoris, quæ parenti ſuo prædixerat in ſpiritu, & virtute Eliæ venturum prænuntiavit, Luc. cap. 1. v. 17. ibi: *Ipſe præcedet ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ*: quod explicans D. Thomas in cap. 1. Ioannis lect. 12. ait ibi: *Secundo: quantum ad vivendi modum, quia Elias in deſertis morabatur, parco vtebatur cibo, & duris veſtibus operiebatur, vt dicitur 3. Reg. 19. & 4. Reg. 1. & Ioannes in deſertis erat, cibus eius locuſtæ, & mel ſylveſtre, & zona eius de pilis Camelorum.* Idem commentatur Venerabilis Beda in Lu-

Lucam: Tum ſic, ſi per tot retro ſæcula inſtitutum Elianum in Carmelo permanſit, & in eo tot Monachi in ſpiritu, & virtute Eliæ florebant, quid novum? Quid mirum prænuntiavit Angelus in Baptiſtà in ſpiritu, & virtute Eliæ veniente? Ergo illi non pauci viri, qui veſtigijs Eliæ inſtiterant, de quibus in Offic. de Monte Carmelo, non erant ex inſtituto Eliæ continuato; ſed diſcipuli Ioannis Baptiſtæ, qui in ſpiritu Eliç venit, & eos ad deſerta, & vitam ſolitariam convertit: hi enim obſervantiam cõſiliorum in Deipara inchoatam à Ioanne acceperunt, quam poſteà die ſacra Pentecoſtes prædicantibus Apoſtolis perfectam, conſummatamque à Chriſto Domino audierunt, & profeſſi fuerunt primi in ſacroſancto evangelio.

214 Confirmatur ex doctrina SS.PP. à qua Sacra Congregatio nunquam recedit, quia S.P.N. Hieronymus ſupra laudatus 1.p.diſc.2.§.4. expreſsè aſſerit, quod in prædicatione Chriſti Domini: *Tunc primum auditum eſt: ſi quis vult venire poſt me, &c.* Et D. Baſilius Magnus 2.p.Diſc.3. §. 3. Et D. Bernardus ibidem videndus 1.p.Diſc.2.§.5. ibi; *Antiquorum ſanè Patrum diebus donec in terris videretur, & converſaretur inter homines Deus Maieſtatis non erat evangelicæ forma perfectionis, &c.* Et D. Auguſtinus, §. 4. citato expreſsè aſſerit, ibi: *Vnde illi centum viginti, qui ſimul erant in vno loco poſt reſurrectionem Domini, & Aſcenſionem in Cælum, quibus in vno loco conſtitutis, ſupervenit Spiritus Sanctus in die Pentecoſtes miſſus de Cælo, ſic miſſus ſicut promiſſus? Omnes inde erant, & ipſi primo habitaverunt in vnum, qui omnia, quæ habebant vendiderunt, rerumque ſuarum prætia ad pedes Apoſtolorum poſſuerunt, ſicut in Actis Apoſtolorum legitur.* Et ibidem paulò poſt: *Ergo ipſi prius audierunt: ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum, primi audierunt, ſed non ſoli audierunt, non enim vſque ad illos iſta dilectio, & vnitas fratrum: venit enim, & ad poſteros illa charitatis exultatio, & votum Deo.* Hæc Auguſtinus: ergo illi non pauci viri, qui veſtigijs Eliæ inſtiterant, & ſacra die Pentecoſtes varijs linguis loquentes Apoſtolos audierunt ante hunc ſacrum diem, & Apoſtolicam prædicationem vitam communem Monaſticam, & votum Deo non audierant: ex illis ergo viris adverſariorum traditio veri ſtatus religioſi cũ votis ex veteri teſtamento ab Elia continuari non poteſt, ſiquidem illi primi audierunt: *Ecce quam bonum, & quam iucundum, &c. & votum Deo.* Tum etiam, quia in eodem Diſcurſu 1. part. §. 1. probavimus, quod diſcipuli S. Ioannis Baptiſtæ ante converſionem ad Chriſtum vota religioſa non emiſſerunt, quia propria

 ha-

habebant, quæ Chriſto Domino prædicante reliquerunt.

215 Poſt Spiritus Sancti adventum impoſsibile eſt adverſariorum traditio continuari in Carmelo, quia præter dicta de illius montis profanatione tempore Veſpaſiani ex Suetonio, & Tacito: S.P.N. Hieronymus in vita S. Hilarionis, quam approbavit Gelaſius Papa in Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum, his ſupremæ authoritatis verbis, ibi: *Item vitas Patrum Antonij, Pauli, Hilarionis, & omnium Eremitarum, quas tamen vir beatiſsimus ſcripſit Hieronymus, cum omni honore ſuſcepimus.* In hac igitur vita ait Doctor Maximus de Sancto Hilarione, ibi: *Nondum Monaſteria erant in Palæſtina, nec quiſquam Monachos in Syria noverat: ille fundator, & eruditor huius converſationis, & ſtudij fuit.* Quid clariùs contra continuatam traditionem in Carmelo ab adverſarijs noviter adinventam? Nam Div. Hieronymus P. noſter, qui totam Syriam, & Paleſtinam peragravit, tantoque ſtudio Monachorum vitas ſcripſit, cellulas, & eorum ſpeluncas deſcripſit, ignotos Monachos in illis Provincijs fuiſſe affirmat vſque ad Sanctum Hilarionem in eius vita, quam cùm omni honore ſuſcepit Gelaſius Papa cum ſeptuaginta Epiſcopis congregatis in illa Sacroſancta Synodo. Eminentiſsimus Cardinalis Baronius, teſtibus omnibus antiquitatis examinatis, nullum invenit illius Hieronymi ſæculi Scriptorem, qui mentionem de Carmelitis faceret, & ad annum 444. num. 18. ait ibi: *Vel quæ apud huius temporis Scriptores mentio de cultu Carmeli à vitæ Monaſticæ profeſſoribus? Etenim apud Hieronymum, Paladium, Evagrium, Caſianum, Theodoretum, Cyrilum, Monachum, & alios ſæculi huius Scriptores mentio fit de Monachis in Paleſtina degentibus, nuſquam penitus de Monachis Carmelitanis.* Eminentiſsimus Cardinalis Bellarminus in Ioanne Ieroſolymitano inauditum planè Carmelitanum nomen in illo ſæculo fuiſſe affirmat. Magiſter Sacri Palatij ſuperiori §. laudatus in eadem ſententia eſt: ergo traditio adverſariorum à nullo antiquo eſt tradita, ſed noviter ab illis adinventa in noſtro ſæculo.

216 Quod quidem, ipſa prima Bulla confirmationis Ordinis Carmelitani probatur, quæ ſic ſe habet: *Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filijs Priori, & fratribus Eremitis de Monte Carmelo ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Vt normam vivendi regulariter à bonæ memoriæ Hieroſolymitano Patriarcha editam, quam ante generale Concilium vos dicitis humiliter ſuſcepiſſe, in poſterum vos, & Succeſſores veſtri, quantum cum Dei adiutorio poteritis, obſervetis,*

tis, in remiſsionem iniungimus peccatorum. Datum Reatæ tertio Kalendis Februarij, &c. In hac Bulla reflectēdum eſt, quod illi primi Carmelitæ ſupplicantes Pontifici propoſuerunt, ſe ante Concilium Lateranenſe formam vivendi à Patriarcha Hieroſolymitano ſuſcepiſſe, & ſub eadem poſtulant in poſterum vivere Apoſtolica confirmatione fulciti. Motivum huius recurſus ad ſedem Apoſtolicam in lectionibus Officij de Monte Carmelo explicatur in 2. lect. ad 2. Noct. ibi: *Ac demum, cum olim in Europa Ordo eſſet ignotus, & ob id apud Honorium Tertium non pauci pro illius extinctione inſtarent, aſtitit Honorio noctu pijſsima Virgo Maria, planeque iuſſit, vt inſtitutum, & homines benignè complecteretur.*

217 Ex quibus rectè colligitur primo; quod hic ordo nullam habuit ante Honorium approbationem à Sede Apoſtolica, nec eiuſdem ſedis vllis fuit munita privilegijs, vt adverſarij oſtendunt, quia ſi tot gratijs Sedis Apoſtolicæ gauderet, nec Ordo eſſet ignotus in Europa, nec multi inſtarent pro extinctione. Secundo etiam infertur; nullum in Europam perveniſſe librū, vel Scriptorem antiquum, qui huius Ordinis memoriam, & cōtinuationem in Carmelo traderet ante Honorium, quia alias hic ordo tot ante ſæculis inſtitutus, de eius origine, tàm in veteri, quàm in novo teſtamento, quam plurimi Græci, & Latini ſcripſiſſent, vt adverſarij prætendunt, quod ſi verum eſſet, Pontifici ſupplicantes propoſuiſſent originem ex veteri teſtamento, approbationem Chriſti in novo, ac continuationem in Carmelo poſt Chriſtum; ſed nihil horum ſupplicantes propoſuerunt Romano Pontifici pro confirmatione ſui ordinis in vltimis ſuæ extinctionis anguſtijs conſtituti: ergo illi primi Carmelitæ ſupplicantes ſuam antiquitatem ignorabant, privilegia primævo inſtituto conceſſa ignota erant in Carmelo, & in tota Europa non inveniebantur libri, & antiqui Scriptores, in quibus adverſarij ſuam antiquitatem legunt, & traditionem confirmant. Ex ſua igitur prima confirmatione manifeſtè colligitur, quod in Carmelo non fuit continuata prætenſa traditio.

218 Oponitur etiam adverſariorum traditio, quam plurimis decisſionibus Rotalibus, & Decretis Pontificijs, quia ſi illi, qui veſtigijs Eliæ inſtiterant, eſſent veri Monachi in vero ſtatu religioſo cum votis, ſtatus Monaſticus antiquior eſſet ſtatu Clericali, qui poſteà inſtitutus fuit in Apoſtolis, ſed contrarium cenſuit Sacra Rota coram Veroſpio apud Pignatelli tom. 4. Conſult. 26. num. 7. ibi: *Ex quo Clericorum cœtus vti dignitate*

præſtantur, & tempore antiquior ordini Monaſtico in publicis functionibus debet eum præcedere iuxta diſpoſitionem iuris: ergo illi, qui veſtigijs Eliæ inſtiterant non erant veri Monachi cum votis in vero ſtatu Monaſtico ante ordinationem Apoſtolorum poſt Chriſtum. Tum etiam, quia in Cappella Pontificia Abbas Generalis S. Baſilij omnibus religionum Generalibus præcedens poſt vltimum ſedet Epiſcopum, ortaque quæſtione inter Baſilianum, & alios Generales; cæremoniarum Magiſter præcedentiam pro Generali S. Baſilij declaravit, eo quod eſſet omnium Monachorum antiquiſsimus, vt conſtat ex diario eiuſdem Magiſtri cæremoniarum apud eundem Pignatellum tom. 1. conſult. 105. quo audito à Sanctiſsimo Domino noſtro, annuit declarationi Magiſtri: ergo ab illis, qui veſtigijs Eliæ inſtiterant prout in Officio de Monte Carmelo, non deſcendunt Carmelitæ per continuatam traditionem, & ſucceſsionem in vero ſtatu religioſo Monaſtico, quia alias primam ſedem haberet Generalis ſui ordinis inter Generales omnium religionum, quia antiquior omnibus Monachis Eliæ, & Ioannis Baptiſtæ eſſet ſucceſſor in Generalatu ſui ordinis per continuatam ſucceſsionem, & traditionem in Monte Carmelo.

219 Vtcumque autem ſit, illi qui veſtigijs Eliæ, & Eliſei inſtiterant ante Chriſti Domini adventum veri Monachi cum votis non extiterunt, nec Sacra Rituum Congregatio in vero ſtatu religioſo extitiſſe approbavit, nam in celeberrima illa cõtroverſia inter Lateranenſes Canonicos, & Monachos Caſinienſes, toties in Romana Rota repetita, & in Sacris Congregationibus propoſita, præcipuus articulus fuit ſuper antiquitatem ſtatus Clericalis, & Monaſtici, in qua Caſinienſes, antiquitatem Ordinis Monaſtici ab Elia in veteri teſtamento inſtituti allegarunt: Lateranenſes Canonici dixerunt, Eliam, & Ioannẽ Baptiſtam, ceteroſque veteris teſtamenti eiuſdem inſtituti non Monachos, ſed Eremitas tantum fuiſſe, & differentiam inter Monachos novi teſtamenti, & Eremitas veteris erudite probarunt in allegatione apud Tamburinum tom. 1. de iure Abbatum diſputat. 25. à num. 127. partibuſque auditibus tàm in Rota, quã in Sacra Congregatione, iudicatum fuit, Canonicos præcedere debere Monachis tàm ex antiquitate, quàm ex alijs iuris principijs, & Em.mi Cardinales in relatione huius cauſæ facta SS.mo inter alia, pręcipuè propoſuerunt num. 292. ibi: *Secundo hanc cõcluſionem noſtram confirmat Bulla quadam Eugenij Quarti in actis produ-*

ſta pro parte Canonicorum regularium, quæ dirigitur Canonicis pijs regularibus, tunc temporis erant in Monaſterio Sanctæ Mariæ de Friſonaria, illoſque Eugenius appellat ſuis verbis, divinam in terris familiam Clericorũ, qui vitam religioſam ducerent, & ad exemplum naſcentis Eccleſiæ ſanctam ſervarent inſtitutionem Clericorum, quos Canonicos appellamus. Et paulò poſt: *Huius profectò ſacri ordinis, & ſancti propoſiti poſt Sanctos Apoſtolos primus in Alexandrina Eccleſia Marcus Petri diſcipulus fuit inſtitutor, & Conditor, & glorioſus Doctor Auguſtinus eos divinis regulis decoravit, ex quibus verbis Eugenij arguitur manifeſte iſtius ordinis antiquitas & inſtitutio.* Hæc Em.mi Domini Cardinales in relatione ad Sanctiſsimum, in quibus manifeſte conſtat veri ſtatus Monaſtici inſtitutionem in veteri teſtamento, vt inſubſiſtentem, & improbabilem contempſiſſe, & religioſum ordinem in vita evangelica cum votis, poſt Sanctos Apoſtolos D. Marcum in Alexãdrina Eccleſia inſtituiſſe ex verbis Eugenij Quarti ſecundum communionem Sanctorum Patrum doctrinam: ergo illi qui ante adventum Chriſti Domini veſtigijs Eliæ inſtiterant, nec in vero ſtatu religioſo fuerunt, nec conſilia evangelica emiſſerãt; nec ex Sacra Congregationis approbatione verus illorum Monachatus inferri poteſt.

220 Confirmatur, quia Pius Quartus Pontifex Maximus, auditis partibus, præcendentiam pro Canonicis Lateranenſibus declaravit, cuius ſententiam refert Tamburinus vbi ſupra num. 293. quam confirmavit motu proprio, & ex certa ſcientia, apud eumdem Tamburinum num. 294. & inter alia motiva in Brevi Apoſtolico, ibi: *Qui quidem Cardinales, partibus earumvè Procuratoribus, & advocatis pluries auditis, dubijſque emergentibus ad plenum diſcuſsis, & reſolutis, comperto ſatis per eos ex pluribus litteris Apoſtolicis diverſiſque alijs, alijs documentis, rationibus, & probationibus, quod ipſi Canonici fuerunt, & ſunt de illis Clericis à Sancto Auguſtino, quinimò à Sanctis Apoſtolis inſtitutis eoſdemque Canonicos tàm ſuæ inſtitutionis huiuſmodi, quàm etiam dignitatis Clericalis, & c.* Cum vero in hac controverſia præcipuus articulus fuerit ſuper antiquitatem ordinis Clericalis, & Monaſtici, & Caſianenſes pro antiquiori origine, & exordio inſtitutionem Monachatus Eliæ produxerint ex veteri teſtament o, & ex novo Ioannis Baptiſtæ ante promulgationem evangelij, & his auditis, Summus Pontifex ex antiquiori origine per Sanctos Apoſtolos præcedentiam pro Canonicis declaravit, & confirmavit motu proprio, & ex certa ſcientia, partibus auditis, dubijſque diſcuſsis, & reſolutis: ergo Romanus Pon-

Pontifex ſenſit,& declaravit, illos veteris teſtamenti Eliæ, & Ioannis Baptiſtæ diſcipulos nullomodo fuiſſe Monachos in vero ſtatu,& ordine Monaſtico,ſed ſimplices Eremitas; ergo ex illis, qui veſtigijs Eliæ inſtiterant ante promulgationem evangelij nulla poteſt continuari traditio veri ſtatus Monaſtici abſque iniuria ſententiæ Summi Pontificis,& pluriumRomanæ Rotę deciſionum,& Sacræ Congregationis declarationum,quę factę, & propoſitę fuerunt Sanctiſsimo Pio Quarto pro prædictę litis declaratione.

221 Militat etiam contra prædictam continuatam ſucceſsionem,& traditionem Carmelitanam: quòd Carmelitæ ſuper pręcedentiam, litem excitarunt contra amiciſsimos Patres Dominicanos in Opido, ſeù Villa turris Gręcæ Neapolitanæ Diœceſis anno 1624. vt reffert noviſsimè Illuſtriſsimus Iacobus Pignatelli tom.1. Conſult. 138. num. 14. & Neapolli anno 1628.vt ipſe teſtatur tom.4.Conſult.198.num. 28. & inter alia,ad probandum maiorem antiquitatem allegarunt Patres Carmelitani contra Religionem Dominicanam,antiquam ſui Ordinis inſtitutionem,& confirmationem in lege gratiæ ſub regula Sancti Baſilij; & tandem,quod nunc militant,ſub regula ab Elia ſcripta, à Ioanne 44. Patriarcha Hieroſolymitano recepta,& explicata. Quibus pro Religione Dominicana reſpondet Pignatellus vbi ſupra tom.4.Conſult.citata num. 18. & 19. ibi: *Carmelitas vero,quòd militaverint ſub regula D.Baſilij, nonnulli affirmarunt. Sed hoc eſt imprcpriè dictum, eſtque ſolum veriſimile, quod, vt notat Azor,p.1.lib.12.cap.23.& Theatrum vitæ humanæ, litt. R. Carmelitarum Religio ex parte fuit ex regula D. Baſilij compoſita. Ipſi enim Patres Carmelitæ profitentur,ſe etiam nunc militare ſub regula ab Elia ſcripta, vel traditione antiquitùs recepta, & à Ioanne 44. Patriarcha Hieroſolymitano in ſcriptis redacta, aut etiam ex regula D.Baſilij reparata,& ab Alberto Patriarcha Hieroſolymitano explicata, vt tradit Philippus à Sanctiſs.Trinit.p.3.diſp.7.dub.2.ad 5.& habetur in Theatro vit. hum.loc.cit.Baronius contra ad annum 1181.& alij tradunt, Carmelitas incepiſſe ab Aymenio Patriarcha Antiocheno ſub eundem annum 1181. Ex quibus conſtat, nunquam eos ſub regula D.Baſilij militaſſe. Sed, quidquid ſit de regula,ſub qua aliquandò præfati Ordines vixerint,obiectio deficit in iure. Nam,vt de Carmelitis expreſsè ait Suarez d.tom. 4.tr. 9. lib. 2.cap.1.ex hoc tranſitu, ſi verus eſſet, è Regula D.Baſilij ad Regulam D. Auguſtini, vel Alberti Patriarchæ,& ad modum proprium vivendi harum Religionum, tanta facta eſt mutatio,etiam in ſubſtantialibus, vt ſint*

aliæ Religiones ab illis, quæ olim erant, & noſtra lis non eſt cum Monachis Baſilianis, ſed cum mendicantibus. Et Sacra Epiſcoporum, & regularium congregatio declaravit præcedentiam pro Patribus Dominicanis, anno 1628. ex eo quòd primò fuerit hæc Religio confirmata à Sede Apoſtolica: ergo Sacra Congregatio contempſit antiquam ſucceſsionem ab Elia, & alia antiquiora ex Regula Sancti Baſilij, Ioannis Hieroſolymitani, & Eliæ; & nullum fundamentum ſecurum habent Carmelitani ſuę antiquitatis ante Aymenium, ſeù Aymericum Antiochenum: vnde cautè animadvertere debent P.P. Dominicani, ne ſibi, Religioni, & Angelici Doctoris Doctrinæ præiudicium cauſent ſilentio, & domeſticis teſtimonijs; quia varij ſunt eventus Belli, & habent ſua ſydera lites.

§. III.

Revelatio Beati Petri Thomæ examinatur, & diplomata Pontificia ab Authoribus producta prætenſæ traditioni non favere oſtenditur.

222 AD altiſsimum revelationum reffugium recurrunt adverſarij, vt ſucceſsivam traditionem ſuam divinis ſtatuant teſtimonijs, & viſum Beati Petri Thomæ ab Eccleſia, vt aſſerunt, approbatum proponunt, cui B. Virgo MARIA apparuit, & dixit, proùt in Officio Carmelitano refertur, ibi: *Confidito Petre, religio enim Carmelitarum in finem vſque ſæculi eſt perſeveratura: Elias namque eius inſtitutor, tam olim etiam à filio meo id impretavit.* Sed hæc revelatio à nullo antiquo Authore eiuſdem Beati coetanæo refertur; nam Philippus Mazerius, vel de Mazarijs eiuſdem Sancti individuus comes, qui vitam, infirmitatem, & mortem ſcripſit, viſum de Ordine Carmelitano non refert. Ioannes de Faventia in Cypro Guardianus, qui eiuſdem Beati tempore vixit, vitam, & eius geſta prælo mandavit, & revelationis prædictę non meminit. Nullus antiquus Scriptor Deiparæ Dominæ noſtræ apparitionem commemorat: eſt ergo contemnenda ſecundùm iudicium Cardinalis Baronij tom. 1 Ann. num. 12. ibi: *Quod à recentiore Authore de rebus adeò antiquis ſine alicuius vetuſtioris authoritate profertur, contemnitur.*

Nec

Nec refert aliquos Scriptores eam recepiſſe, nam etiam eis opponitur Eminentiſs. Cardinalis Baronius tom. 8. ad annum 604. num. 40. ibi: *Accidere interdum ſolet, vt aliquid vulgo allatum, ſi quis certos velit examinare teſtes, an verum ſit, neminem id ſerio teſtantem inveniat, fiatque, vt quod ab omnibus dici iactatur, aſſeratur à nemine, ramoſque ille evaneſcat in auras.* Teſtes igitur huius revelationis moderniores Carmelitani ſunt: quæ igitur fides eis danda ſit ex Baronio conſtat, & decretorio iudicio explicuit inſignis Theologus Melchior Cano lib. 11. de locis, cap. 6. ibi: *Illud etiam in his Gelaſij verbis equidem animadverto novellas revelationes, ſic eas vocat, nos admirari, & ſuſpicere non oportere, iam enim paſsim non pro Eccleſiæ neceſsitate, ſed pro hominum affectu exponuntur.* Et paulò poſt: *Eccleſiæ igitur Chriſti hi vehementer incommodant, qui res Divorum præclare geſtas non ſe putant egregie expoſituros, niſi eas fictis, & revelationibus, & miraculis adornarint.*

223 Audiendus etiam eſt Cardinalis Bellarminus, qui Eccleſiaſticas controverſias contra hæreticos eruditiſsimè pertractavit, & multa in fidei Catholicæ defenſionem firmiſsime ſtatuit, & ad rem de verbo Dei non ſcripto, lib. 5. cap. 9. ibi: *Non enim novis revelationibus regitur Eccleſia, ſed in ijs permanet, quæ tradiderunt illi, qui miniſtri fuerunt ſermonis.* Omnes Patres, & Doctores antiqui, & Concilium Meldenſe, vt conſtat in 1. p. Diſc. 2. per totum concorditer teſtantur, verum ſtatum religioſum cum votis incepiſſe à Chriſto Domino, quod etiam Eugenius Quartus declaravit, vt ſupra oſtendimus ſuperiori §. cui declarationi adhæſit etiam Pius Quartus, vt ibidem conſtat: ergo non eſt recipienda nova hæc revelatio, in qua adverſarij prætendunt Deiparam Dominam noſtram B. Petro Thomæ revelaſſe ſtatum religioſum ab Elia fuiſſe inſtitutum cum votis. Obſtat etiã prætenſę revelationi, quod moderni Authores illam ſcribentes in facto non conveniunt, nam aliqui vigilanti Beato factam fuiſſe dicunt, aliqui dormienti, alij plura addunt, alij demunt: ergo prædicta revelatio nullo ſtabili nititur fundamento.

224 Sunt, & alia, quæ prędictam revelationem inſubſiſtentem faciunt, & inter alia Martyrium eiuſdem Sancti; nam Philippus de Mazerijs ſupra citatus, qui vitam, infirmitatem, & mortem ſcripſit, in lectulo ſuo ſe, morientem Beatum Petrum vidiſſe teſtatur. Ioannes quoque de Faventia, qui Beatum Petrum Thomam viventem vidit, & poſt mortem vitam eius ſcripſit, Martyrium non refert, & victoriam, triumphumque

Bea-

Beati non omitteret. Breviaria, & Miſſalia Ordinis Carmelitani de annô 1509. 1544. 1551. & Kalendarium eiuſdem Ordinis editum ex præcepto Capituli generalis anno 1564. inter Sanctos Confeſſores Beatum Petrum adſcribunt, & Officium Cōfeſſorum præcipitur recitandum in eius feſto, vt notatur apud Bolandum: poſteà vero Martyr apparuit in Altaribus Carmelitanis contra Canones Eccleſiæ Africanæ, in quibus Decretum invenitur, num. 83. ibi: *Omninò nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi vbi Corpus, aut aliquæ reliquiæ ſunt, aut origo alicuius habitationis, vel poſſeſsionis, vel paſsionis fidelíſsima origine traditur, nam quæ per ſomnia, vel per inanes quaſi revelationes quorumlibet hominum vbicumque conſtituuntur altaria omninò improbentur*: ergo quoadvſque Martyrium, & revelatio Beati Petri Thomæ ab Eccleſia examinentur, & fidelíſsimam originem adverſarij tradant non ſunt inter Doctores admittenda vt vera, vt ex eis firma traditio poſsit fundari.

225 Nec valet dicere, quod Officia Carmelitana, inter quæ Officium B. Petri Thomę legitur, approbata fuerunt ab Eccleſia; nam inter Officia huius ſacri ordinis ſub Paulo V. approbata, & recognita à Cardinali Bellarmino: Officium Beati Petri fuit approbatum, ſed ſine proprijs lectionibus, quæ nunc leguntur: poſteà vero in vltima editione Breviarij Carmelitani Officia, Sacra Congregatio non vidit, ſed indulgentia Cardinalis de Torres appoſita fuerunt generali permiſsione eiuſdem Congregationis, quæ ex conſuetudine recitabantur, donec ſtrictius à Sacra Congregatione examinarentur, quæ quidem approbatio in forma communi Pontificiam authoritatem non inducit, vt notum eſt. ergo Sacra Congregatio numquam ex certa ſcientia, prædictam revelationem cōfirmavit, & approbavit: quod ſi aliquando Sacra Congregatio eam approbaverit, & legi permiſſerit in aliqua religione, vel Provincia, hæc approbatio recipienda eſt iuxta doctrinam Ioānis Gerſon de his, quę credenda ſunt de neceſsitate ſalutis, ibi: *Reſpicit iſte gradus legendas, & miracula Sanctorum, vitas Patrum, viſiones devotarum perſonarum, recitationes, & opiniones Sanctorum Doctorum, quæ omnia ſuſcipit Eccleſia, legique permittit, non quod determinet talia de neceſsitate ſalutis eſſe credenda, ſed quia proficiunt ad commovēdos affectus pios fidelium, & in ædificatione ipſorum, dum in talibus nihil de certitudine ſcitur eſſe falſum.* Et ſecundum hoc iudicium quam plurima geſta, & acta quæ in officijs, & lectionibus Sanctorum

Ll 4 pro-

proponebantur antiquitus, re meliùs inſpecta, reformavit Eccleſia, vt conſtat in noviſsimis reformationibus Breviarij Romani. Expectamus igitur iudicium Eccleſiæ ſuper hac revelatione Carmelitana, & quid nobis proponet dubitamus, quia in Offic. S. Ceciliæ in Homil. S. Ioannis Chryſoſtomi, quam ex præcepto proponit recitandam ab vniverſali Eccleſia approbavit, & confirmavit, quod virginitas in veteri lege cultum non habuit, quod inſtitutioni Eliani inſtituti cum votis religioſis in veteri lege opponitur, vt prætēditur ab adverſarijs in prædicta revelatione, nec credibile eſt, quod in hoc ſenſu Sacra Congregatio prædictam revelationem confirmet contra doctrinam ferè omnium Sanctorum Patrum dicentium ſtatum religioſum cum votis in Chriſto incepiſſe, ſed his non obſtantibus, iudicio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & fidei Cenſorum dictum ſubmittimus.

226 Circa prædictam revelationem plura aſſerunt adverſarij vt inſtitutionem Eliæ revelatam B. Petro Thomæ explicent. Primi Authores, qui præterito, & noſtro ſæculo ſcripſerunt, ex Ioanne Ieroſolymitano dixerunt, quod Elias ſuam religionem inſtituit in Carith ex Dei expreſſo mandato: poſteà dixerunt, quod ex inſtinctu divino: Magiſter Lumbier prius dixerat, quod vota emiſsit Elias in Thabor, vel in paradyſo, quod retractavit tom. 2. Miſcell. Moral. 3. §. 1. Magiſter Eſpin ſcripſit quod Elias vota emiſsit in Carith, & religionem approbavit in Thabor Chriſtus Dominus; quam poſteà confirmavit in nocte Sacratiſsimæ Cœnæ, in qua divinam ſumpſit Euchariſtiam Elias de manu Chriſti, & iterùm hanc religionem Elianam, & inſtitutum Monaſticum in die Sancto Pentecoſtes Spiritus Sanctus confirmavit, quæ ſi vera eſſent, inſtitutum Elianum datum à Deo eſſet in veteri teſtamento, approbatum à Chriſto in novo, confirmatum à Spiritu Sancto, & promulgatum in die Sancto Pentecoſtes ſicut evangelium, parumque, aut nihil differret à lege gratiæ, quæ omnia improbabilia, & incredibilia videntur, & cum ipſi domeſtici non conveniant, nulli dubium eſt, quod nullum habent ſuę traditionis principium certum, ac per conſequens, quod nullus prædictam revelationem intelligit.

227 Tandem Bullas Pontificias producunt pro ſua antiquitate, & origine ex veteri teſtamento, ſed omnia Pontificia diplomata Honorio Tertio antiquiora nullus ſcriptor admittit,

quia

quia vel ſuppoſititia ſunt, vel ad rem non pertinent, quia Eccleſijs, antequam in Europa Carmelitę viderentur conceſſa fuerunt, vt in Romana S. Martini de Montibus notum eſt omnibus, cui conceſſæ fuerunt quam plurimæ indulgentiæ, antequam hic ordo in Europa agnoſceretur, vt in officio de Monte Carmelo legitur ibi: *Cum olim in Europa hic ordo eſſet ignotus, &c.* Quomodò eſſet ignotus hic ordo tempore Honorij III. ſi tantis fuiſſet à Romanis Pontificibus gratijs inſignitus ſæculis præteritis? Quomodò pro illius extinctione non pauci inſtarent, ſi tot eſſet Apoſtolicis munitus privilegijs? Hæ igitur Pontificię Bullæ, quas nec Baronius vidit, cui Romana Archivia manifeſta fuerunt, nec alius Scriptor antiquus invenit, ſuppoſititiæ exiſtimari debent, & noſter Petrus Creſcentius Italus falſitatem earum probat in ſuo Præſidio Romano lib. 1. à numero 158. vſque ad 166. His ergo Bullis relictis vt apocryphis, alias poſt Honorium Tertium datas producunt, in quibus ſequentia continetur verba: *Succeſsionem hæreditariam Eliæ, & Eliſei tenentes*: quę ſecundum inſtitutionem vitæ religioſæ intelligunt per alia verba in Bullis reperta: *Tanquam religionis ſpeculum, & exemplar.* Ex quibus dicunt ſucceſsionem hęreditariam tenentes tanquam religionis ſpeculum, & exemplar proponuntur à Summis Pontificibus Sancti illi Prophetæ: ergo in vero ſtatu religioſo ſenſerunt Romani Pontifices ſucceſsionem hæreditariam tenere.

228 Ex his Pontificijs Bullis parum, vel nihil colligi poteſt, quod prætenſæ traditioni faveat; nam vt rectè obſervant Patres, & Doctores, omnia quæ ſecundum Datariæ, ſtylum in præambulo Bullarum inſeruntur, ad diſpoſitionem Pontificiam non pertinent; ſed in ſua fide relinquuntur, vnde verba illa: *Succeſsionem hæreditariam Eliæ, & Eliſei tenentes*: propoſita fuerunt, & relata à Procuratore Generali Carmelitarum, vel à Generale eiuſdem ordinis, vt conſtat in Bulla Sixti Quarti, ibi: *Sanè ſicut exhibita nobis nuper pro parte Chryſtophori Martignoni dicti Ordinis Generalis Magiſtri petitio continebat, &c.* Et qui his relationibus opponitur, non tàm Pontifici, quàm ijs, qui rem Pontifici expoſuerunt cōtradicit. Tū etiam: quia ſæpè Sac. Rota declaravit intentionē Pontificis deficere in Bullis, & Expeditionibus, quæ præiudicium cauſant tertio ſecundum certiſsimam regulam Chancellariæ: itaque Summus Pontifex non declaravit, quod ſucceſsionem hæreditariā ab Elia, & Eliſeo tenebant,

ſed quod ita propoſitum fuit à Magiſtro Generali Ordinis,& vt rectè advertit Cardinalis Bellarminus contr.3.lib.4.de Summo Pontifice cap.2.in controverſijs facti, quæ ex informatione,teſtimonijſque hominum maximè pendent, falli poteſt Romanus Pontifex,quod etiam omnes Theologi tenent: ergo ex his, & ſimilibus Bullis Pontificijs nullum poteſt inferri ſuæ traditionis argumentum.

229 Impoſsibilitatem ſucceſsionis per diſcipulos Eliæ in Carmelo perſiſtentes ſupra oſtendimus ex captivitate,& prævaricatione regni Iſrael,& ex alijs principijs ex divinis,& humanis litteris collectis;ſed nunc dato,& non conceſſo;ſucceſsio prędicta in Bullis præcitatis reperta intelligi non poteſt in vero ſtatu religioſo cũ votis,nam Elias,in cuius ſpiritu Præcurſor Dñi venit,& alij inſtitutum eius tenentes in veteri teſtamento, ſimplicem vitam Eremiticam duxerunt, vt de Ioanne Baptiſta conſtat cap.Epiſcopi 2. quæſt.7. ibi: *Item Ioannes Baptiſta cum duceret Eremiticam vitam , &c.* & Eremitæ teſtare poterant, & poſſunt Cap. *Perlatum 19. quæſt. 3. ibidem Gloſſa verbo Eremita*, poterantque Matrimonium contrahere: *Capite ex parte*, el ſecundo ibidem Gloſſa verbo *Conſtitutus*, & obedientiam nulli præſtabant Cap. *Nulla* diſtinct. 93. ibidem *Gloſſa verbo Azephalos*; ex quibus conſtat, quod Eremitæ illi, qui tempore Ioannis Baptiſtæ inſtitutum vitæ Eliæ tenebant, ſimplices erant in Eremo Anachoretę, virtutes, ſcilicèt, paupertatem, caſtitatem, & aliquam obedientiam obſervabant, ſed ſine votis: in hac igitur vita Carmelitæ ſucceſſerunt: igitur hæreditariam ſucceſsionem, quam in prædictis Bullis Romanis Pontificibus expoſſuerunt, in ſimplici vita Eremitica intellexerunt, non vero in ſtatu religioſo Monaſtico cum votis, vt manifeſtè colligitur ex Aſchanio Tamburino tom. 2. de iure Abbatum Diſput. 24. quęſit. 3. numero 2. ibi: *Prius ergo fuit S. Baſilius, qui Monachos ad tria eſſentialia vota obedientiæ, Caſtitatis, & paupertatis adſtrinxit, cum anteà non emitterentur talia vota, ſed vnuſquiſque abſque alia approbata regula vitam, prout ſibi magis placebat, honeſtam eligebat. Hoc ſalutiferum tanti Doctoris præceptum acceptatum deinde fuit ab omnibus religionum fundatoribus, & à Sancta Romana Eccleſia approbatum.*

230 Hanc veram fuiſſe antiquorum Carmelitarum intelligentiam manifeſtum eſt in Bulla Sixti IV. in Maremagnum Carmelitarum contenta, in qua confirmatio Alberti reperi-

peritur apud Rodriguez Bulla 37. tom. 1. ibi: *Albertus Dei gratia Hieroſolymitanæ Eccleſiæ vocatus Patriarcha, dilectis in Chriſto filijs Brocardo, & cæteris Eremitis, qui ſub eius obedientia iuxta fontem Eliæ in monte Carmeli commorantur, in Domino ſalutem. Quia requiruiis à nobis, vt iuxta propoſitum veſtrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in poſterum debeatis; illud in primis. Statuimus, vt vnum ex vobis habeatis Priorem, qui ex vnanimo omnium conſenſu, vel maioris, vel ſavioris partis ad hoc Officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum.* Circa quam Bullam obſervavit Azorius lib. 12. cap. 23. §. alijs vero, & §. ex his, ibi: *Et cum ſparſim circa montem habitarent, tandem coivere ad fontem qui Eliæ dicitur, in cacumine montis fanum, & Monaſterium conſtruxerunt vni qui honeſta præcipiebat humiliter parendo, ſine tamen certo inſtituto, ſine peculiari cultu, ſine cæremonijs. Albertus Patriarcha, & Legatus certas obſervationis regulas illis præſcripſit.* Manifeſtum eſt igitur ex præcitata Bulla, quod ante confirmationem Alberti, primi illi Carmeli Coloni ſimplicem vitam Eremiticam tenebant ſine regula, inſtituto, & Monaſticis cæremonijs: ergo ſucceſsio illa hæreditaria non poteſt intelligi de vero inſtituto Monaſtico cum votis.

231 Neque in hoc genere vitæ ab Elia initium habebant, vt expreſsè dicit S. Antoninus Florentinus 3. part. Hiſt. titulo 20. cap. 5. in Honorio, ibi: *Eo tempore cum Fratres Ordinis Carmelitarum deferrent babitum, qui minus convenire videbatur viris religioſis, ſcilicèt, cappam circulatam, quam aſſerebant habitum fuiſſe Eliæ, quod tamen neque in ſacra, neque in authentica ſcriptura reperitur: Papa Honorius propter honeſtatem mandavit habitum illum dimittere, & deſuper cappas ex toto albas, & tunicas ſubtus griſſeas cum Scapularibus aſſumere: hi habuerunt initium ſub quodam Patriarcha Hieroſolymitano, cum in Syria babitabant Chriſtiani.* Et poſt pauca concludit. *A Carmelo Carmelitæ dicuntur, non quod ab Elia habuerint initium.* In eadem ſententia eſt, & circa originem, eiſdem vtitur verbis Caſaneus in Cathalogo gloriæ mundi, de hoc ſacro ordine ibi: *Aliqui tamen referunt, quod Soldanus Sarracenorum, qui prius eos habebat in reverentia propter Eliam Prophetam, mutato habitu, fecit eos expelli de Monte Carmelo, vnde Carmelitæ dicuntur, non quod ab Elia habuerint principium.* In hac ſententia conveniunt omnes Scriptores Eccleſiaſtici, Latini, Hiſpani, & Itali: Liacconius Apoſtolicus Pœnitentiarius Sacri Ordinis Dominicani inſignis Hiſtoricus in Honorio IV. Bzovius ad annum 1215. Pe-

 trus

trus Maturi Ieſuita in Hiſt. Eccleſiaſt. not. A. Antonius Poſſevinus in Apparatu, litt. A. Iacobus Philippus Auguſtinianus in Supplemento Chronicæ. Vvernus Carthuſianus in Faſciculo temporum. Miranda Franciſcanus in Manual. Prælat. tom. 1. q. 4. art. 7. Paulus Morigia de Origine Religionum, cap. 25. Cardinalis Baronius locis ſupra citatis. Maurcolus in Occeano Religionum lib. 4. Franciſcus Bordonus, qui de origine Sacræ religionis Carmelitanæ diſputavit tom. 5. cap. 1. per totum, & cruditè prædictam traditionem ſucceſsivam impugnat: & traditio maniſeſtè convincitur ex mutatione habitus, quia primi illi Montis Carmeli coloni poſt Albertum cappam circulatam deferebant exiſtimantes habitum fuiſſe Eliæ; quod in nulla authentica ſcriptura reperitur, vt docet D. Antoninus, quapropter Honorius habitum circulatum præcepit dimittere: ergo inſtitutum Elianum non fuit continuatum in Carmelo à tempore Eliæ, quia continuata ſucceſsione authēticè, eſſet notus habitus Elianus, & Summus Pontifex non præciperet, vt dimitteretur in religione à Sancto Propheta inſtituta, quia experientia nos docet qua ſolicitudine Summi Pontifices invigilant, vt religiones conſerventur in habitu ſui primęvi inſtituti.

§. IV.

Viſus Beati Simonis Stochij refertur, & veritas eius examinatur, notæque ſuſpitionis, & falſitatis proponuntur.

252 DEiparam Dominam noſtram Pontifici Maximo Ioanni XXII. apparuiſſe referunt adverſarij, & inter alia præcepiſſe ordinem ſuum Carmelitanum ab Elia, & Eliſeo inchoatum, & ab Innocentio confirmatum iterùm approbare, & alijs gratijs, de quibus infra, munire: ex quibus non ſolum Pontificia, ſed etiam Dei Genitricis authoritate exordium ſuum ex Elia docent, & prædicant divino, & Pontificio teſtimonio roboratum, & fulcitum. Adinventa fuit hæc Bulla, quæ vulgo dicitur Sabbatina, vt viſum B. Simonis Stochij confirmaret Ioannes XXII. quem quidem viſum variè referunt adverſarij, & vt magis veritas elucceſcat ex littera, vt in Carmelitanis invenitur Stochianam viſionem referam.

233 Petrus Suvaingtonus Carmelita Anglus in vita B. Simonis apud Cheronium in vinditijs viſionem refert ibi : *Cum effunderem animam meam in conſpectu Domini, quamvis ſim pulvis, & cinis, & in omni fiducia Dominam meam Virginem Mariam deprecarer, quod ſicut volebat, nos appellari fratres ſuos, monſtraret ſe Matrem eripiendo nos de caſu tentationum, & aliquo ſigno gratiæ nos recommendando erga ipſos, qui nos perſequebantur, dicendo illi cum ſuſpirijs: Flos Carmeli, vitis florigere, ſplendor Cæli, Virgo puerpera, ſingularis Mater mitis, ſed viri neſcia, Carmelitis da privilegia, Stella maris; apparuit mihi cum grandi committatu, & tenendo habitum Ordinis dixit: hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis privilegium, in hoc moriens æternum non patietur incendium, & quia ſua glorioſa præſentia me lætificabat vltra captum, nec ego miſer Maieſtatem eius ſuſtinere poteram, diſparendo dixit, quod mitterem ad Dominum Innocentium benedicti filij ſui Vicarium, qui de gravaminibus remedium præſtaret.* Hæc Suvaingtonus inter alia quæ omittuntur. Ioannes Groſſus Toloſanus in Secunda Viridarij ſui clave, Stochianam viſionem brevius refert, & inter alia ibi : *Cui Sancta Virgo cum multitudine Angelorum apparuit Scapulare Ordinis ſui, in benedictis ſuis manibus tenens, & dicens: Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis privilegium quod in hoc moriens æternum non pati tur incendium, id eſt, in hoc moriens ſalvabitur.* Anonymus quidam Scriptor vitæ Simonis Stochij in Bibliotheca Vaticana, ibi : *Beata MARIA Virgo cum multitudine Angelorum ipſi Beato viro apparuit Scapulare Ordinis ipſius in manibus tenens, & dixit: Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis privilegium, in hoc moriens æternum non patietur incendium, in hoc moriens ſalvabitur.* Ioannes Paleonidorus Carmelita Batavus lib. 3. antiquit. Ordinis ſui cap. 7. viſionem refert, & Deiparæ allocutionem ibi: *Dilectiſsime meus, recipe hoc tui Ordinis ſcapulare meæ confraternitatis ſignum, tibi, & cunctis Carmelitis privilegium, in quo moriens, æternum non patietur incendium: ecce ſignum ſalutis, ſalus in periculis, fœdus pacis, & pacti ſempiterni.*

234 Ex hac revelatione ſecundum relationem Suvaingtoni Beata Dei Genitrix MARIA Simoni Stochio dixit, quod mitteret ad Innocentium benedicti filij ſui Vicarium, vt de gravaminibus remedium præſtaret; an Beatus Stochius ad Innocentium miſerit non dum conſtat; ſed ex hac Stochiana revelatione Sabbatinam Bullam ortum habuiſſe ſatis colligitur, nam in ea alia refertur apparitio Dei Genitricis

Ioanni XXII. prolixe alloquentis, & in hac apparitione privilegium ſalvationis Stochio conceſſum iterùm repetit Virgo Deipara, religionemque ab Elia inchoatam ſub regula Alberti ab Innocentio confirmatam fuiſſe, & approbatam teſtatur Domina noſtra: vnde, vt veritas ab origine perſcrutetur primum, viſus Simonis Stochij eſt examinandus, quia plurima continet, quæ ſuſpectas reddunt Deipara apparitionem, allocutionem, & proviſionem: aliqua tantum referam quæ apud eruditos viros veritati adictos adnotantur.

235 Et primum eſt, quod antiquiores Carmelitani Scriptores, qui paulò poſt mortem B. Stochij floruerunt, & de ſuę religionis origine, inſtitutione, antiquitate, gratijs, & privilegijs ſcripſerunt, Stochianæ viſionis non meminerunt, quę ſi facta fuiſſet, non omitterent ſingulare hoc æternæ ſalutis privilegium, qui de privilegijs, gratijs, & indulgentijs ſui ordinis ſcribebant: aſſerere autem, quod ad notitiam eorum non pervenit, ineptum quidem effugium eſt; nam Cheronius Carmelitanus ſupra citatus, & alij eiuſdem ordinis conformiter aſſerunt, quod noluit Deus tantum Reginæ cœleſtis donativum occultum, ſed omnibus notum; quare ſtatim apparitio illa cepit multis prædicari miraculis, ſic laudatus Carmelitanus in vindiſijs pag. 167. Quomodo ergò domeſticis ignotum eſſe potuit, quod publicis prædicabatur miraculis orbi Chriſtiano? Opponitur etiam ſilentium Vvaldenſis Angli, qui in ipſa Anglia, in qua revelatio facta fuit Simoni Anglo, librum, vel tractatum de Sacramentalibus edidit pium, & eruditum, & titulo 20. cap. 93. de participatione meritorum, ſuffragiorum ſui ordinis, exprofeſſo diſputat, formulamque qua Carmelitani vtuntur ad hanc participationem communicandam tradit: nulla excogitari poteſt diſputatio proprior, & aptior, quæ viſo Stochiano, & Mariano æternæ ſalutis privilegio confirmaretur, & nullum verbum de hac viſione habetur in Vvaldenſi: ergo viſio Stochiana tempore Vvaldenſis ignorabatur in Anglia, vel ſi à Carmelitis prædicabatur, vt aſſerunt, vir doctus, & pius, eam exiſtimavit ſuſpectam, fictitiam vel falſam. Philippus Ribotus Catalanus, & in illo Principatu Provincialis decem compoſuit libros de inſtitutione, & geſtis Carmelitarum, in quibus multa incredibilia in ſui ordinis laudem expreſſit, & viſio Stochiana in Riboto deſideratur.

236 Ioannes Chimitenſis Magiſter Carmelitanus duos

cla-

elaboravit libros, quorum vnus inſcribitur: *Speculum hiſtoriale declaratiuum ſtatus fratrum Ordinis B. Mariæ Genitricis Dei de Monte Carmelo*, & alterum: *Speculum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo*, & in nullo Speculo vmbra vlla huius revelationis Sthochianæ apparet. Anonymus quidam Carmelita compendium hiſtoriæ, & iurium pro defenſione inſtitutionis, & confirmationis Ordinis ſcripſit, & de viſo Sthochiano nihil. Quidam Prior Generalis eius Ordinis Opuſculum aliud publicæ luci dedit de Succeſsione, & inſtitutione Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, cui multum faveret Stochianus viſus, & intactum reliquit, & quod mirum eſt Ioannes Baptiſtæ Mantuanus Generalis ordinis Apologiam pro Carmelitis intrepido calamo ſcripſit, quantum profeceret Stochiana viſio notum eſt omnibus, & verbo non attigit. Tritemius etiam, vel Carmelitanus ille, qui librum de Laudibus Carmelitarum compoſuit, & viſionem Stochianam à Paleonidoro iam narratam omiſsit, quam vel incertam, vel fabuloſam exiſtimaſſe credendum eſt in hoc Authore, qui levi calamo pro Carmelitis ſcripſit. Sunt, & alij quam plurimi Angliæ Hiſtorici, qui illius regni Hiſtorias Eccleſiaſticas ſcripſerunt, & hanc inſignem revelationem memoriæ non tradunt, quamvis de Purgatorio, & de alijs mirabilibus Sanctorum illius regni plura referant: ergo hic viſus Stochianus planè inauditus erat in Anglia inter extraneos, & domeſticos, & etiam apud viros doctos eiuſdem religionis in alijs provincijs ignotus.

237 Revelationis Stochianæ defenſores reſpondent ex ſilentio Scriptorum argumentum tantum negativum confici, quod non concludit; ſed notum eſt omnibus quantum valeat, & probet argumentum negativum in rebus facti magni momenti, maximè cum aſſumptum Scriptorum validiſsime confirmant, & præcipuè ex teſtibus illius provinciæ, regni, & religionis, in quibus factum affirmatur, quorum ſilentium argumento æquivalet poſsitivo, quia factum non creditur, niſi probetur: afferant ergo adverſarij aliquem Scriptorem idoneum teſtem, qui tempore Stochij viſum in Anglia referat, vel credibili fundamento eum probet teſtimonio illius provinciæ, & temporis; nam ſecundum regulam ab omnibus admiſſam, & traditam, quod à recentiore Authore de rebus antiquis ſine alicuius antiquioris authoritate profertur, contemnitur: vnde argumentum negativum efficax eſt in rebus facti ad Eccleſiaſticam diſciplinam, & dogmata fidei pertinentibus, quia alias, ſi

Sanctorum Patrum ſilentium, linguas, & hominum calamos nō refrenaret, multa circa Chriſti Domini facta, & Apoſtolorum fingi poſſent, quæ orbis Chriſtianus hucuſque ignoravit.

238 Inſuper opponitur varia huius revelationis narratio, nam aliqui Beatum Simonem prolixius orantem proponunt, alij ſuccinte deprecantem. Suvaingtonus miſsionem Deiparæ ad Innocentium Papam explicat. Groſſus vero Anonymus, & Paleonidorus eam non tangunt: at ſi vera eſſet allocutio Deiparæ Dominæ noſtræ, verba omnia illi Patres Carmelitani qui ea à B. Stochio acceperunt, in corde conſervarent, memoriæque traderent, vt poſteris de verbo ad verbum relinquerent teſtimonium inſignis privilegij vitæ æternę: vix enim conveniunt in teſtimonijs; nam Suvaingtonus ſic refert, ibi: *Apparuit mihi cum grandi comitatu, & tenendo habitum ordinis dixit: hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis privilegium, in hoc moriens æternum non patietur incendium.* Ioannes Groſſus aliter viſionem narrat vbi ſupra: *Cui Sancta Virgo cum multitudine Angelorum apparuit, ſcapulare ordinis in benedictis ſuis manibus tenens, & dicens, hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis privilegium, quod in hoc moriens æternum non patietur incendium, id eſt, in hoc moriens ſalvabitur.* In primis diſcrepat à primo, præcipuè quia Suvaingtonus dixit Deiparam apparuiſſe cum grandi comitatu, tenendo habitum ordinis. Groſſus ait cum multitudine Angelorum ſcapulare Ordinis in benedictis ſuis manibus tenens. Suvaingtonus in hoc moriēs æternum non patietur incendium. Groſſus addidit, id eſt, in hoc moriens ſalvabitur. Groſſus etiam in aliquibus etiam diſcrepat ab Anonymo, vt videri poteſt ſupra relatus. Paleonidorus aliter ſe habet, & vix cum citatis convenit; vt patet vbi ſupra confraternitatem explicans, & addens: *Ecce ſignum ſalutis, ſalus in periculis, fœdus pacis, & pacti ſempiterni*, quæ nullus alius refert. Ex his rectè colligitur, quod nullus habuit huius revelationis viridicum teſtimonium, quod ſi habuiſſent, in verbis Deiparæ Dominę convenirent, & de verbo ad verbum narrarent hoc magnum æternæ ſalutis privilegium, vide modicæ fidei eſt privilegium, in quo domeſtici ipſi, quibus verbis indulgentia à pœnis inferni fuit conceſſa, & gloria æterna promiſſa ignorant in allocutione Deiparæ.

239 Ipſa quoque privilegij indulgentia Stochianam viſionem ſuſpectam reddit, nam conceſsit Deipara Domina noſtra omnibus portantibus Scapulare Ordinis Carmelitani vi-

tam

tam æternam, vnde ſecundum litteram, authoritate B. Mariç Dominæ noſtrç Scapulare Ordinis Carmelitani eſſet ſignum indeficiens prædeſtinationis, quo promittitur pœnitentia finalis omnibus Fratribus, Confratribus, & Monialibus huius Sacri Ordinis: Hæc igitur abſoluta promiſsio, vt refertur in Stochiana viſione; divinum decretum ſupponit, quo auxilium efficax connectitur infalibiliter cum habitu Carmelitano, vel Sacrç Virginis Scapulari, quod Paleonidorus intendere videtur in illis verbis: *Ecce ſignum ſalutis, ſalus in periculis, fœdus pacis, & pacti ſempiterni.* Quod quidem nulli ſtatui conceſſum fuit ex habitu; ſed omnibus Chriſti fidelibus divinam legem cuſtodientibus, & obſervantibus. Ex Apoſtolis à Chriſto vocatis, & electis, Iudas fuit proditor, & in æternum damnatus: ex Apoſtolorum Diſcipulis, qui primi religioſi fuerunt Anania, & Saphira à vocatione receſſerunt, & pœna plectuntur æterna: ergo hoc ſalvationis privilegium à B. Virgine abſolutè conceſſum, vt in Stochiana viſione refertur, incredibile eſt, & ſuſtineri non poteſt: Si vero intelligatur, quod Deipara Domina noſtra portantibus habitum, & Scapulare Carmelitanum faveat, auxilietur, & protegat, verum quidem eſt, quod etiam omnes Sacræ religiones ex ſuo patrocinio obtinent, quia ſpecialiter Mater eſt omnium Eccleſiæ religionum, & in ea ſtatus religioſus fuit inchoatus, vt ſæpè diximus ex D. Thoma, ideòque Deiparam Dominam noſtram, Matrem, & Fundatricem omnes Sacræ religiones implorant, & venerantur. Dicta, & dicenda procedunt ſine prçiudicio Sacræ Confraternitatis B. Mariæ de Monte Carmelo, quæ Deiparæ Dominæ noſtræ mirabili protectione munitur, & plurimis gaudet Sedis Apoſtolicç privilegijs iuxta Bullam Clementis VII. & Decretum Pauli V. de quibus infra.

§. V.

§. V.

Ioannis XXII. Bulla, quæ vulgo dicitur Sabbatina, refertur, & ſuſpitioſis animadverſiones proponuntur.

240 AD Innocentium Pontificem Maximum miſsit Deipara Domina noſtra Beatum Simonem in ſua manifeſtatione, vt de remedio provideret. De hoc Pontifice, qui ſecundum Chronologiam temporum fuit Innocentius IV. nullum vidi relatum teſtimonium, privilegium Marianum Simoni conceſſum confirmans, & approbans, ſed poſteà Bulla illa Sabbatina apparuit, in qua alia revelatio Dei Genitricis refertur Ioanni XXII. facta cum allocutione B. Mariæ dicentis Ordinem Carmelitanum ab Elia fuiſſe inchoatum, confirmatum ab Innocentio ſub regula Alberti, & ipſam Deiparam Dominã noſtram primo Sabbato poſt mortem Confratrum deſcenſuram in Purgatorium, vt eorum animas à pœnis liberaret, fratreſque eiuſdem Ordinis, qui in obedientia, caſtitate, & paupertate perſeveraverint, vel qui ſanctũ intrabunt ordinem ſalvari; ſed quia ex Bullæ ipſius contextu inveriſimilitudo eius apparet, eam ad litteram producimus, vt ab ipſis Carmelitanis refertur ex exemplaribus authenticis, vel fide dignis (vt aſſerunt) translata.

241 Gregorius Naziancenus à Sancto Baſilio in opere Galicè inſcripto de adoptione filiorum Virginis, &c. eam his verbis refert ibi: ¶ IOANNES EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, vniverſis, & ſingulis, Chriſti fidelibus, &c.
,, Sacratiſsimo vti culmine paradiſi Angelorum ſuavis reperi-
,, tur melodia, &c. Hic mihi flexis genibus ſupplicanti Virgo
,, viſa fuit Carmelita ſequentem aſſata ſermonem: O Ioannes,
,, O Ioannes Vicarie mei dilecti filij, veluti tuo te eripiam ad-
,, verſario, te Papam facio ſolemni dono Vicarium meis coad-
,, iuvantibus ſupplicationibus dulciſsimo meo Filio petens, quod
,, gratioſè obtinui ita, & amplam meo Sancto, ac devoto Car-
,, melitarum Ordini confirmationem debeas præconcedere
,, per Eliam, & Eliſeum in Monte Carmeli inchoato, quod
,, vnuſquiſque profeſsionem faciens, regulam a meo Servo Al-
,, berto Patriarcha ordinatam obſervavit, & inviolatam obti-
,, nebit, & per meum dilectum filium Innocentium approba-

„ tam, vt verus mei filij Vicarius debeat in terris aſſentire, quod
„ in Cœlis meus ſtatuit ſemel, & ordinavit filius, quod qui in
„ ſancta perſeveravit obedientia, paupertate, & caſtitate, vel
„ qui ſanctum intrabit ordinem, ſalvabitur: & ſi alij devotio-
„ nis cauſa in ſanctam ingrediantur religionem, ſancti habitus
„ ſignum ferentes, appellantes ſe Confratres, & Conſorores
„ mei ordinis prænominati liberentur, & abſolvantur, tertia
„ eorum peccatorum portione à die quo præfatum ordinem
„ intrabunt, caſtitatem, quæ vidua eſt, promittendo, virginita-
„ tis, quæ virgo eſt, fidem præſtando, ſi coniugata, inviolati
„ obſervationem Matrimonij adhibendo, vt Sancta Mater im-
„ perat Eccleſia. Fratres profeſsi dicti Ordinis ſupplicio ſolvā-
„ tur, & culpa, & die quo ipſi ſæculo recedunt, ac properato
„ gradu accelerant Purgatorium, ego Mater gratioſè deſcen-
„ dam Sabbato poſt eorum obitum, & quot inveniant in Pur-
„ gatorio liberabo, & eos in montem ſanctum vitæ æternæ re-
„ ducam: verum quod ipſi Confratres, & Conſorores tenean-
„ tur horas dicere Canoniales, vt opus fuerit ſecundum regu-
„ lam datam ab Alberto: illi qui ignari ſunt, debeant vitam ie-
„ iunam ducere his diebus, quos ſacra iubet Eccleſia, niſi ne-
„ ceſsitatis cauſa alicui eſſent traditi impedimento; Mercurio,
„ & Sabbato debeant à carnibus abſtinere, præterquàm in mei
„ filij Nativitate: & hoc dicto evanuit hæc Sancta Virgo. Iſtam
„ ergo indulgentiam accepto, roboro, & in terris confirmo, ſi-
„ cut propter merita Virginis Matris gratioſè Chriſtus conceſ-
„ ſit in Cœlis: Nulli ergo hominum liceat hanc paginam no-
„ ſtræ indulgentiæ, ſeù ſtatuti, & ordinationis irritare, vel auſu
„ temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſump-
„ ſerit indignationis Omnipotentis Dei, & BB. Apoſtolorum
„ Petri, & Pauli ſe noverit incurſurum. Datum Avenioni die
„ Martij tertia Pontificatus noſtri anno primo.

242 Marcus Antonius Caſſanate in ſuo libro, quem de-
cor Carmeli nominavit Bullam refert ibi: Ioannis verba ſunt
„ hæc. ¶ Mihi flexis genibus ſupplicanti Virgo viſa fuit Car-
„ melita ſequentem affata ſermonem: O Ioannes Ioannes Vi-
„ carie mei dilecti filij, audi, & cito verbum meum comple, ſi
„ te à tuo vis, vt eripiam adverſario, & te ſolum Papam, atque
„ Chriſtianorum Vicarium meis coadiuvantibus ſupplicationi-
„ bus faciam, & ſi quid à meo dulciſsimo Filio petieris, gratio-
„ ſè, ac benignè impetrabis. Ita ergo, vt gratiarū amplam meo

ſan-

„ ſancto, ac devoto Carmelitarum ordini per Eliam, & Eliſeum „ in Monte ſancti Carmeli inchoato debeas confirmationem „ piæ concedere: quod vnuſquiſque profeſsionem faciens, & „ regulam à meo ſervo Alberto Patriarcha Hieroſolymitano „ ordinatam, & obſervandam traditam cuſtodierit, & inviola- „ tam obtinuerit, & per meum dilectum filium Innocentium „ verè filij mei dignè Vicarium approbatam, ita debeas in ter- „ ris aſſentire ijs, quæ in Cœlis ſemel ſtatuit, & ordinavit ipſe fi- „ lius meus, quod qui in ſancta perſeveraverint obedientia, pau- „ pertate, & caſtitate, vel qui ſanctum intrabunt ordinem, ſal- „ vabuntur: & ſi alij devotionis cauſa, ſacram ipſam ingredi- „ tur religionem ſancti habitus mei ſignum ferentes, & appel- „ lantes ſe Confratres, ac Conſorores mei ordinis prænomina- „ ti, liberentur à tertia parte peccatorum à die quo præfatum „ ordinem intrabunt, caſtitatem, ſi vidua eſt, promittendo, ſi „ virgo eſt, virginitatem ſervando, & fidem præſtando, ſi con- „ iugata eſt, inviolatamque conſervationem Matrimonij adhi- „ bendo, vt Sancta Mater imperat Eccleſia. Fratres dicti ordi- „ nis à ſupplicio abſolventur, & culpa, & à die quo iſti recedēt „ ab hoc ſæculo, & properato gradu Purgatorium accelera- „ bunt, ego Mater gratioſè deſcendam Sabbato poſt eorum „ obitum primo, & quos in Purgatorio invenero, qui habitum „ meum portaverint, & meo amore religionem, vel Confra- „ triam, vel ſocietatem meam intraverint, & in hoc ſæculo „ laudabiliter vixerint à pœnis Purgatorij liberabo, & eos in „ montem ſanctum vitæ æternæ glorioſè reducam. Sed volo, „ quod iſti fratres, vel Sorores teneantur dicere horas Cano- „ nicas quotidiè ſecundum regulam datam ab Alberto: & viri, „ ac mulieres ſæculares, qui, vel quæ ingreſsi, & ingreſſæ fue- „ rint, prædictas horas dicere neſcientes, teneātur dicere quo- „ tidiè tot Pater noſter, quot tenentur converſi Ordinis mei, „ ſicut in regula ſcripta reperiuntur, debeantque ieiunare Vi- „ gilias, & omnia alia ieiunia quæ imperat Sancta Mater Eccle- „ ſia, niſi neceſsitatis cauſa, vel legitimo impedimento: Feria „ quarta, & Sabbato debeant ſe à carnibus abſtinere præter- „ quam in mei Filij Nativitate. Ex his mihi territo dictis ac ſtu- „ pefacto ab oculis meis felici, ac mirabili ſplendore Virgo co- „ ruſcans diſparuit, & Cœlos aſcendit. Et ego Ioannes Servus „ Servorum Dei hiſ inuſitatis dictis exterritus ſubito illius mel- „ lifluis ſermonibus aſſenſi, & manefacto ore proprio ſanctife-

rum,

„ tum, ac ſplendiferum Carmelitarum Ordinem per ſanctiſsi-
„ mos Patriarchas Eliam, & Eliſeum in Monte Carmelo iam
„ diù nutu divino inchoatum coram fratribus confirmavi, &
„ eſſemptum, ac liberum feci, necnon multis privilegijs decora-
„ vi, & iterùm confirmo, religionemque hanc antiquiſsimam
„ Genitricis Dei Mariæ, & ſingularem conceſſam indulgentiam
„ illi ab ea ſic roboro, & confirmo in terris, ſicut propter amo-
„ rem glorioſiſsimæ Matris ſuę Ieſus Chriſtus conceſsit, ac ro-
„ boravit in Cœlis. Nulli ergo hominum liceat, &c. Hucuſque
„ Caſſanate, & in margine habet: Bullam datam anno Pontifi-
„ catus ſexto ex authentico exemplari, & ſub eodem anno da-
„ tam refert Carthagena in ſuis Homilijs de B. Virgine de
„ Monte Carmelo.

243 Placuit Bullam proùt in Nazianceno, & Caſſanate reperitur ante oculos ponere, vt ex ipſa littera verborum varietate, & ſenſuum in clauſulis, evidenter appareat eius falſitas, & figmentum, quod aliquibus reflexionibus demonſtratur; & ſupponendum primum eſt, quod Authores referentes Ioannis Bullam teſtantur ſe ab exemplari authentico accepiſſe inſtrumentum. In tranſumpto Nazianceni notatur duplex, *&c.* inuſitatum in Bullis Pontificibus; in illis verbis: *Devoto Carmelitarum ordini Confirmationem de beas præconcedere*, ly *præconcedere* nō facit ſenſum: in clauſula: *Horas dicere Canoniales*, notatur quod *Canoniales* alienum eſt ab ſtylo Bullarum: etiam in eadem Bulla notatur ibi: *Mercurio, & Sabbato debeant à carnibus abſtinere* ly *Mercurio*, quia antiquiſsimo Decreto prohibetur nominibus planetarum in Eccleſiaſticis vti pro diebus, & quod feriarum nominibus indicentur: in data: *Dei Martij tertia*, notatur, quod omnes huius Pontificis Bullæ nonis, & idibus indicantur: notandum eſt etiam, quod in primo exemplari dicitur *anno 1. Pontificatus* in 2. *anno 6.*

244 Reſpondent aliqui: vtrūque inſtrumentum verum eſſe; in anno primo conceſsionis; in ſexto confirmationis, ſed ex ipſa Bulla falſitate convincitur effugium, quia Bulla data anno ſexto Pontificatus deberet eſſe confirmationis: at anno 6. Pontificatus alloquitur Deipara Ioāni XXII. ibi: *Te ſoliū Papā, atq; Chriſtianorum Vicarium, meis coadiuvantibus ſupplicationibus faciam*: ergo anno 6. ſui Pontificatus non dum erat Papa Ioannes XXII. Quomodo ergo futurus Papa poterat confirmare privilegiū in anno 6. ſui Pontificatus? Notabile etiam eſt in hoc exēplari ſecundū Caſſanate Virgo Deipara ſic Pōtifici alloquitur: *O Ioannes Ioannes,*

Vi-

Vicarius dilecti filij mei, hic Vicarium Chriſti Ioannem appellat Deipara, in quo ſupponit iam eſſe Papam, & immediatè proſequitur: *Te ſolum Papam, atque Chriſtianorum Vicarium faciam*, in quibus ſupponit nondum eſſe Papam; prius Ioannem Vicarium Chriſti appellat Deipara,& poſteà aſſerit,quod Vicarium Chriſtianorum ſuis ſupplicationibus faciet, & Pontifex numquam dicitur Chriſtianorum Vicarius ſed Chriſti: ergo numquam ſic locuta fuit Virgo Deipara; ſed hæc revelatio cum Bulla Ioannis ſuppoſititia eſt,& falſo adinventa,& Deiparæ Dominæ noſtræ indecens locutio, & indecoroſa apparitio. Animadverſione dignißimum eſt,quod in Bulla data anno ſexto ſui Pontificatus. Ioannes XXII. ait ibi: *Et ergo Ioannes Servus Servorum Dei his inuſitatis dictis exterritus ſubito illius mellifluis ſermonibus aſſenſi, & manè facto ore proprio ſanctiferum, ac ſplendiferum Carmelitarum Ordinem per ſanctiſsimos Patriarchas Eliam, & Eliſeum in Monte Carmelo iam diù nutu divino inchoatum coram fratribus confirmavi*: Ex quibus; ergo iam Papa erat,& coram fratribus Cardinalibus Ordinem confirmavit, quod repugnat cum verbis Deiparæ: *Te ſolum Papam, & Vicarium Chriſtianorum, meis coadiuvantibus ſupplicationibus, faciam*. Repugnat etiam cum Bulla anni primi Pontificatus, in qua ſupponitur viſio Deiparæ revelatis inſtitutum Ordinis Carmelitarum ab Elia,& Eliſeo in Carmelo,& in Bulla anni ſexti textatur Pontifex, quod manè facto poſt viſionem inuſitatis dictis Deiparæ exterritus *ſubito* coram fratribus hanc antiquiſsimam religionem confirmavit: ergo anno primo Pontificatus non fuit facta revelatio, niſi vellint,& Virginem apparuiſſe in primo anno Pontificatus ad conceſsionem,& in ſexto ad confirmationem; ſed hoc eſt multiplicare revelationes,& viſiones Deiparæ abſque neceſsitate,quod falſum eſt; nam ſi anno primo virgo Deipara iam Ioanni apparuiſſet,& cum Papam ſuis ſupplicationibus feciſſet, vt ibi dicitur; anno ſexto non ei promitteret, quod eiſdem ſupplicationibus eum ſolum Papam faceret, ad quod neceſſarium eſſet, quod virgo Deipara Ioanni, facto Pontifice in anno primo Pontificatus apparuiſſet, & poſteà ſe revelare eidem Ioanni ſuis precibus futuro Pontifici in anno ſexto ſui Pontificatus. His, & alijs incompatibilitatibus implicantur exemplaria Bullæ Sabbatinę,quoad tempus, & factum viſionis Deiparæ.

245 Sunt etiam,& alia quamplurima contenta in Bulla Sabbatina,quæ repugnare videntur,quia concedit, confirmat, &

& declarat incredibilia. Concedit privilegium iuxta viſum Stochianum, de quo ſupra: & in Bulla Sabbatina explicatur, ibi: *Quod, qui in ſancta perſeveraverit obedientia, paupertate, & caſtitate, vel qui in ſanctum intrabit ordinem ſalvabitur.* Si hæc clauſula intelligatur copulative, ſcilicèt, qui ſanctum intrabit ordinem, & in ſancta obedientia, paupertate, & caſtitate perſeveraverit ſalvabitur, hoc privilegium conceſſum fuit à Chriſto Domino omnibus, qui conſilia hæc ſervaverint, quia in illis conſiſtit perfectio vitæ Chriſtianæ, & evangelicæ, vt conſtat ex Sacroſancto evangelio: *Si vis perfectus eſſe, &c.* & ita apparitio, & allocutio prolixa Deiparæ Dominæ noſtræ ſuperflua eſſet, & nihil concederet Carmelitis: Si vero dicant, quod eſt disiunctiva, vt in littera explicatur ibi: *Vel qui Sanctum intrabit Ordinem ſalvabitur,* maximum privilegium erit ingreſſui Ordinis gloriam æternam promittere, & portantibus habitum ab æterno incendio liberare, vt in viſione Beati Simonis narratur: ex vi huius revelationis, & privilegijs, divina auxilia, & pœnitentia finalis connexa eſſent cum ingreſſu Ordinis, & habitu Carmelitano, eſſetque religio prædeſtinatorum ad gloriam: hoc privilegium nulli ſtatui hominum invenitur conceſſum: ex Apoſtolis, & Diſcipulis Domini cecidit Iudas, fuit proditor, & in æternum damnatus: ex primis Diſcipulis Apoſtolorum Anania, & Saphira in æternum plectũtur, vt ex actibus Apoſtolorum conſtat: in omnibus religionibus legis gratię vita æterna promittitur religioſis iuxta regulã, & conſtitutiones viventibus; ſed an omnes voccati ſint electi, Deus ſcit, quia licèt voccatio ad religionem ſit effectus prædeſtinationis, non eſt infalibile ſignum illius inexcrutabilis decreti.

246 Nec difficultate carent verba illa Deiparæ, ibi: *Ita gratiam, & amplam meo ſancto, ac devoto Carmelitarum Ordini confirmationem debeas præconcedere*: Et poſteà: *Vt verus mei filij Vicarius debeat in terris aſſentire, quod in Cælis meus ſtatuit, & ordinavit filius.* In prima clauſula Virgo Deipara alloquitur Pontifici, vt gratiam, & amplam confirmationem Ordini Carmelitano præconcedat. In ſecunda ſupponit gratiam, & confirmationem factam à Chriſto in Cęlis, quod ordinem, & promiſsionem factam Vicario Chriſti in evangelio invertit; nam Chriſtus ait Petro: *Quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatũ, & in Cælis, &c.* id eſt: Quodcumque conceſſeris in terris, erit confirmatum in Cęlis. Prius Pontifex concedit in terra, & poſteà Chriſtus confirmat in Cę-

lo:

lo: in hac Bulla, Pontifex confirmat in terris, quod Chriſtus conceſſerat in Cęlis: hæc igitur gratia alia fuit conceſſa providentia. Notari etiam oportet in illis verbis Pontificis: *Iſtam ergo indulgentiam accepto, roboro, & in terris confirmo, ſicut propter merita Virginis gratioſè Chriſtus conceſſit in Cœlis*, quod, confirmare conceſſum, Superioris, vel æqualis in poteſtate eſt, nam nullus inferius audebit dicere, quod ſui ſuperioris conceſsionem confirmat. Roborare eſt, vim, ſtabilitatem, & maiorem firmitatem conceſsis tribuere, vnde ſi hæc gratia in Cęlis fuiſſet conceſſa à Chriſto Domino, & per hanc viſionem, & allocutionem fuiſſet Deiparę teſtimonio revelata Vicario Chriſti; numquam Summus Pontifex dixiſſet, quod eam confirmabat, & roborabat, quia conceſſa à Chriſto non indigent confirmatione Pontificia; ſed hanc gratiam conceſſam fuiſſe à Chriſto Carmelitis, authentice diffiniret, & declararet, ſibique fuiſſe revelatam teſtimonio Deiparæ, & hoc divinum privilegium proponeret fidelibus, vt illum lucrifacerent ex meritis B. Virginis.

247 Tum etiam: quia ſi hæc gratia conceſſa fuiſſet à Chriſto Domino in Cęlis, & revelata Ioanni XXII. qui vt Pontifex in ſua Bulla de revelatione, & teſtimonio Deiparę fidem faceret omnibus, & ſingulis fidelibus, nullus Pontifex eam limitaret, vel in contrarium declararet, vel prohiberet, quod in revelatione, & Ioannis XXII. Bulla continetur, vt revelatum à Deipara; ſed Paulus V. Pontifex Maximus indulgentiam Sabbatinam aliter declaravit, & imagines cum deſcenſione B. Virginis ad animas in Purgatorio liberandas fieri omninò prohibuit, vt ex Decreto conſtat: ergo hæc viſio facta Ioanni, & eius Bulla Sabbatina expuriam, & falſam exiſtimavit; Decretum Pauli V. datum anno 1613. ſic ſe habet ibi: *Fratribus Ordinis Carmelitarum permittimus prædicare, quod populus Chriſtianus poſsit piè credere de adiutorio animarum fratrum, & Confratrum ſodalitatis Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, Beatiſsimam Virginem animas fratrum, & Confratrum in charitate decedentium, qui in vita habitum geſtaverint, & caſtitatem pro ſuo ſtatu coluerint, officiumque parvum recitaverint, vel ſi recitare neſciant Eccleſiæ ieiunia obſervaverint, & feria quarta, & Sabbato à carnibus abſtinuerint, ſuis interceſsionibus continuis, pijſque ſuffragijs, ac ſpeciali protectione poſt eorum tranſitum, præcipuè in die Sabbati, qui dies ab Eccleſia eidem Beatæ Virgini Mariæ dicatus eſt, adiuturam. Itaque imagines, quæ à devotis de hac re ſolent fieri, vel depingi cum deſcenſione B. Virginis ad animas in Purgatorio liberandas, minimè fiant, ſed per in-*

ter-

tercesſionem eiuſdem Virginis à tanto periculo per manus Angelorum in Cælo collocari. Hæc Paulus V. Pontifex Maximus, orto dubio ſuper prædicationem deſcenſionis B. Virginis, & ſuper alia contenta in Bulla Ioannis, viſis inſtrumentis à Carmelitanis productis, ſtatuit, & declaravit, & depingi deſcenſionem Virginis ad Purgatorium vetuit: ergo prædictam Bullam Ioannis XXII. ſuppoſititiam expuriam, & falſam exiſtimavit, nam alias Vicarius Chriſti non auderet contra verba Matris Chriſti declarare, & præcipere; nè imagines cum eius deſcenſione promiſſa fierent à ſuis devotis, nec promiſsionem eiuſdem Dei Genitricis à prædeceſſore ſuo Ioanne teſtificatam ex viſu proprio limitaret, vnde hæc Bulla Sabbatina Sedis Apoſtolicæ Iudicio ſuſpecta viſa fuit, & contemptibilis.

248 Suſpectam etiam reddit prædictam Bullam approbatio Innocentij Papæ Ordinis Carmelitani ab Elia in Carmelo inchoati, quia in contrarium ſtat authoritas Sanctorum Patrum præcipuè Hieronymi, Auguſtini, & Bernardi, qui vitam Monaſticam cum votis in abnegatione rerum temporalium inauditam fuiſſe docent in veteri lege, & revelationes contra communem Doctorum ſententiam non facilè admittit Eccleſia, & conſtat ex Officijs Breviarij Romani, vt infra 3. p.

§. VI.

Circa Bullam Alexandrinam, fit reflexio.

249 HAnc Bullam, ſeù tranſumptum, accepiſſe affirmat Naziancenus iſte, ex Notariorum Maioricæ inſtrumento, in quo Notarij illius Inſulæ teſtantur, & fidem faciunt, quod ad ſuam præſentiam accedens venerabilis Frater Alphonſus de Tharamo Anglus, quamdam Bullam illis præſentavit, & publicè legi fecit Alexandri felicis recordationis Papæ IV. Caſſanate citatus eamdem Bullam refert, & in ea de verbo ad verbum Bulla Ioannis XXII. continetur confirmata ab Alexandro V. apud Sanctam Mariam Maiorem primo Pontificatus anno. Le o à Sancto Ioanne in pictura religioſæ veſtis ſect. 91, eamdē Bullam Alexandrinam tranſcribit ſub

Alexandro III. datam Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem anno primo Pontificatus. Evidens eſt falſitatis ſuppoſitio; quod eadem Bulla Alexandrina Tertio, Quarto, & Quinto Alexandro tribuitur ab ipſis Scriptoribus domeſticis Carmelitanis. Reſpondent, qui Alexandro V. Bullam adſcribunt alios erraſſe calamo, & pro Quinto Tertium potuiſſe, vel Quartum; ſed gratis dicitur, quia omnes teſtantur ex authentico inſtrumento Bullam Alexandrinam accepiſſe, & niſi originali, vero, & authentico conſtet cui tranſumpto ſit fides danda; omnia inſtrumenta inutilia ſunt. In primis certum eſt, quod Alexander Tertius, & Quartus Sabbatinam Bullam Ioannis XXII. nec confirmarunt, nec potuerunt confirmare, quia Alexander Tertius fuit creatus Romę die 5. Septembris anno 1159. Alexander Quartus Neapoli die 25. Decemb. anno 1254. Ioannes XXII. creatus fuit die 7. Auguſti anno 1316. ergo Alexander Tertius, vel Quintus, non potuerunt confirmare Bullam Sabbatinam Ioannis XXII. qui tot annis poſteà ſedit: eſt ergo falſum inſtrumentum Notariorum Maioricæ, qui fidem faciunt publicè legiſſe Bullam Alexandri Quarti confirmativam privilegij Ioannis XXII.

250 Nec Alexander Quintus Sabbatinam Bullam confirmavit, vt ex varietate referentium conſtat. Apud Caſſanate data fuit Romæ apud Sanctam MARIAM Maiorem primo anno Pontificatus. Apud Carthagenam in Homilijs B. MARIÆ de Monte Carmelo in vrbe veteri ex die quo data fuit etiam redditur ſuſpecta, nam aliqui datam fuiſſe in primo Pontificatus anno referunt, & dies deſideratur: Alij die ſeptima Decembris anno primo, & alij decimo ſeptimo eiuſdem menſis in eodem anno, & Alexander V. Piſijs fuit creatus die nona Iullij, ſedit menſes vndecim, & dies octo, Bononiæ obijt quinto nonas Maij 1410. in toto menſe Decembris Romam non vidit, ſed, ex Scriptoribus, & alijs eiuſdem Pontificis decretis Piſtorij erat: ergo Bulla Alexandri ſub data Romæ, vel in vrbe veteri ſuſpecta eſt.

251 Feſaytus Carmelitanus reſpondet Alexandrum V. Romam adijſſe, & quod, Bullam infœudationis Neapolitani regni, & confirmationem Sabbatinæ expedivit, & ſubito Piſtorium redijt; ſed quis credet ſubitaneos acceſſum, & re-

receſſum Summi Pontificis ad vrbem in menſe Decembri? in quo Summi Pontifices nec à ſuo Palatio recedunt propter ſtationis intemperiem? Nullus Hiſtoricus, vel Scriptor Romanus, vel Italus acceſſum hunc ad vrbem narrat, vel commemorat, ſunt etenim Romani Polytici, & motuum Pontificum, & cogitationum obſervantiſsimi, cauſamque ſubitanei acceſſus referrent, & ad receſſum reflectere ſuis obſervationibus polyticis. Tum etiam: quia ſi Alexander V. Romam accederet poſt electionem, publicam, & ſolemnem poſſeſsionem in Lateranenſi Baſilica celebraret ſolito comitatu Pontificio, & pompa regia, vt moris eſt in coronatione Summi Pontificis, notaque eſſet incoronatio Summi Pontificis populo Romano, & in vniverſo orbe celeberrima; nullus Scriptor nec publicum nec incognitum acceſſum ad vrbem refert: ergo non ſit credibilis confirmatio Sabbatinæ in vrbe.

252 Alij dicunt: quod Hiſtorici de rebus Alexandri verbis expreſsis non negant Romam adijſſe, & licèt adijſſe non referant, argumentum negativum eſt, quod non probat; ſed certum eſt quod in rebus facti dubij, onus probandi affirmantibus incumbit: in rebus antiquis argumentum negativum ex communi ſilentio ſcriptorum æquivalet poſsitivo vniverſali. Quis vmquam dixit expreſsis verbis Sanctum Damaſum in Hiſpaniam non adijſſe, quis vmquam expreſſis verbis negat adventum Chriſti Domini in Hiſpaniam? Poſſumus nè dicere, quod Damaſus in Hiſpaniam venit, & Toleti ſedit, Romamque redijt? Licitum ne eſt, poſt tot ſæcula, quod Chriſtus Dominus in carne paſsibili in Hiſpaniam peragravit, & Iudæis qui morti eius non conſenſerunt prædicavit, & his peractis ſubito Hieroſolymam redijt? Ex vniverſali ſilentio ſacrorum ſcriptorum, & antiquorum Doctorum firmiter credimus Chriſtum, Hiſpaniam viſu corporali non vidiſſe, licèt expreſsis verbis non inveniatur in antiquis hæc propoſitio; Chriſtus Dominus in Hiſpania non fuit dum in humanis vitam agebat inter mortales; nam ſi Patrum antiquorum ſilentium in rebus, & actis Eccleſiaſticis nobis ſilentium non indicit, multa poſſunt commentare nova, quæ Eccleſia non audivit, & quamplurima figmenta introducere ex defectu argumenti poſsitivi. Ex dictis demonſtratur prædictam Bullam Alexandrinam Sabbatinæ Ioannis XXII.

confirmativam, ſivè Tertio, ſivè Quarto, ſivè Quinto Alexandro tribuatur ſuppoſititiam eſſe, quia Alexander III. ſedit in Pontificatu antequam Ioannes natus fuiſſet, & præceſsit in ſede ſæculum, & dimidium. Alexander IV. præceſsit Ioanni XXII. annis 54. Alexander V. poſt aſſumptionem Romam non vidit: Data Bullæ neque in loco neque in die apud teſtes eam producentes concordat: ergo in his Bullis nulla poteſt fundari traditio ſucceſsionis Ordinis Carmelitani ab Elia in veteri lege inchoati.

§. VII.

Clementis VII. aliam producunt Bullam Ioannis XXII. & Alexandri V. confirmativam, & ex ea nullam traditionem fundari poſſe oſtenditur.

253 CLementinę Bullæ verba ſunt: Sanè pro parte dilectorum filiorum Nicolai Audet Generalis ac Provincialium, & Priorum domorum Ordinis B. MARIÆ de Monte Carmelo, necnon Confratrum vtriuſque ſexus confraternitatum in Eccleſijs domorum eiuſdem Ordinis inſtitutarum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias felicis recordationis Ioannes XXII. & Alexander V. Romani Pontifices prædeceſſores noſtri vniverſis, & ſingulis Chriſti fidelibus, qui Confraternitatem de Monte Carmelo ingredi, ſeù Confratrum confraternitatum huiuſmodi numero adſcribi, ipſiuſque ordinis ſtatuta obſervare, ac habitum dicti Ordinis deferre ſeque fratres, & ſorores dicti ordinis appellare, ita quod ſi mulier virgo caſtitatem, vidua vero continentiam, coniugata autem Matrimonij iura, proùt Sancta Eccleſia præcipit à tempore ingreſſus eorum inviolabiliter ſervare velle promitterent, & obſervarent, tertiam partem ſuorum peccatorum in Domino relaxarunt. Ac ipſa glorioſiſsima Dei Genitrix Virgo ſemper Maria ipſorum Confratrum, ſeù religioſorum, ac Sororum animas poſt eorum tranſitum, ſuis interceſsionibus continuis, pijs ſuffragijs, & ſpeciali protectione adiuvabit; quodque Confratres ipſi gratiarum eorumdem prędeceſſorum participes fieri volentes horas Canonicas iuxta formã ab Alberto Patriarcha dicto ordini cõceſſam & ordinatam recitare, ignari vero litterarum diebus quibus

Sancta Eccleſia ieiunare præcipit, ieiunare necnon feria quarta, & Sabbato toto tempore vitæ eorum, præterquam die qua aliquam ex ferijs prædictis in Nativitate Domini noſtri Ieſu-Chriſti occurrere contigerit, à carnibus abſtinere debeant.

254 In hac Bulla Clemens VII. Pontifex Maximus indulgentias à Ioanne XXII. & Alexandro V. conceſſas, confirmat, & roborat, & maxima reflexione dignum eſt quod Nicolaus ſtudet Generalis nomine Provincialium, & domorum Ordinis, ac Confratrum pro indulgentijs tantum ſupplicavit, & celebre illud privilegium deſcenſionis B. Virginis MARIÆ in Purgatorium, & allocutionem eiuſdem Dei Genitricis cum Ioanne XXII. in petitione non commemorat, nec inchoationem ſui Ordinis ab Elia in Bulla Ioannis contenta propoſuit confirmandam: vnde vel Generalis Ordinis has Bullas Ioannis, & Alexandri Clementi præſentavit, vel non; ſi eas Pontifici præſentavit inquirimus: qua ratione Clemens eas in ſua Bulla inſeri noluit, vt moris eſt in Bullis confirmationis, præcipuè videns Bullam Ioannis de verbo ad verbum relatam in Alexandrina, in qua viſio Deiparæ, initium Elianæ religionis, promiſsio vitæ æternæ cum deſcenſione Sabbatina confirmantur: nulla alia excogitari poteſt ratio, vt à communi ſtylo recederet Clemens; niſi quia inſtrumenta non erant fide digna, vel quia, quæ non confirmavit ſuppoſititia, & falſa eſſe exiſtimavit; nam ſi Pontifex credidiſſet Deiparæ apparitionem veram fuiſſe, & Ioannis Bullam authenticam, & Alexandrinam confirmationem legitimam ſine dubio eas de verbo ad verbum referret in laudem, & honorem Deiparæ Dominæ noſtræ; & nullum potuit deſiderare excellentius teſtimonium, quam Dei Genitricis ſuo prædeceſſori alloquentis: ergo quod Pontifex non confirmavit, vt falſum contempſit.

255 Nec credibile fit, quod Generalis Ordinis, alijs omiſsis, pro indulgentijs tantum ſupplicavit Clementi, nam culpabilis eſſet omiſsio in totius religionis Capite, ſi revelationis Deiparæ certior inſigne hoc privilegium, in quo antiquitas ſui Ordinis continetur, Pontifici non propoſuiſſet confirmandū cum ipſa indulgentia, vnde magis veroſimilius videtur, quod vel Ioannis, & Alexandri Bullas non vidit, vel ſi eas vidit, nul-

nullius, vel modicæ fidei exiſtimavit inſtrumenta, quæ Romani Pontificis iudicio non fuit auſus exponere Generalis audet.

256 Denique obſervare oportet, ampliſsimam indulgentiam ex ore Virginis Carmelitis conceſſam, & à Ioanne XXII. & Alexandro V. confirmatam, & quod Generalis audet eam limitatam propoſuit Clementi VII. nam nec deſcenſio B. Marię ad Purgatorium, nec ſalvationis privilegium, nec inchoationem ſui Ordinis ab Elia propoſuit, ſed quod ipſa glorioſa Dei Genitrix Virgo animas fratrum & Confratrum ſpeciali protectione adiuvabit: vnde igitur hæc limitatio in precibus Generalis nomine totius religionis ſupplicantis ortum habere potuit, niſi ex dubio, vel contemptu aliorum privilegiorum, quæ in Ioannis XXII. Bulla continetur? Quia ſi Generalis Bullas Ioannis, & Alexandri authenticas haberet, & in eis contentis fidem dediſſet, Clementi propoſuiſſet, vt ſua munirentur authoritate. Conſtat igitur ex dictis in hoc diſcurſu ex Bullis Ioannis XXII. Alexandri Tertij, Quarti, vel Quinti nullum poſſe fundari probabile argumentum pro antiquitate Ordinis Eliani in veteri teſtamento: Cęterum confraternitatem prædicti Ordinis cum ſuis gratijs, & privilegijs à Sede Apoſtolica conceſsis laudamus, & cõmendamus Sanctiſsimamque Dei Genitricem MARIAM ſemper Virginem Dominam noſtram ſpeciali quadam protectione huic venerabili confraternitati auxiliari, fratribuſque quamplurimum prodeſſe in vita, & poſt mortem firmiter credimus iuxta Pauli V. Decretum.

TER-

TERTIA PARS.

VENERABILES, AC DOCTISSIMI PATRES Salmanticenſes Carmelitæ Excalceati longam interſerunt diſputationem de vero ſtatu religioſo veteris teſtamenti, & fundamenta Hiſtorici Prophetici, & Apologiæ varijs exemplis, paritatibus, & reflexionibus Scholaſticè confirmant more ſuo tom. 8. in Curſ. Theolog. trat. 20. quam quidem diſputationem, completa fere hac controverſia, & in duas partes diviſa, non dum videram, in qua licèt eadem ſint fundamenta præcipua, neceſſarium exiſtimavi novis confirmationibus ex dictis ſatisfacere propter authoritatem huius ſapientiſsimi Collegij Salmanticenſium, & tertiam addere partem.

DISCURSUS PRIMUS.

De his quæ pertinent ad verum ſtatum religioſum.

§. I.

Diſcrimina inter Statum Eccleſiæ præſentis, & Statum Eccleſiæ veteris teſtamenti aſsignantur, & ſuper ſuppoſitis à Salmanticenſibus fit reflexio.

1 PRimum dubium proponunt Patres Salmanticenſes diſputandum: *Vtrum in Eccleſia ante legis gratiæ tempus fuerint aliqua conſilia, & vota*, & ſub hoc ſpecioſo Eccleſiæ no-

nomine omnes difficultates, quæ ad ſtatum veteris legis, & Synagogam pertinent, diſputant, in hoc tract. 20. diſput. 4. per totum, vt Synagogæ nomine è medio ſublatæ, ſtatum verum religioſum evangelicum præſentis Eccleſiæ in veterem Synagogam conſtituant, ſub communi, & vniverſali nomine Eccleſiæ: vnde cum numquam Eccleſia ſine determinato ſtatu fuerit ab aliqua lege illum conſtituente; vt ſine æquivocatione in hac diſputatione procedamus, neceſſarium eſt vnitatem Eccleſiæ ſecundum diverſos eius ſtatus ex nomine explicare; nam Eccleſia vna, & eadem permanens ab origine mundi, ſtatum mutavit, & quam plurima habet in hoc ſtatu legis novæ, quæ ſtatui veteris legis repugnabant, ſecundum quod nobis conſtat ex Scripturis Sacris; itaque Eccleſia conſtituitur vna vnitate fidei, & diverſi eius ſtatus diſtinguuntur ex diverſitate legum, quia ſtatus à lege ligante, vel ſolvente conſtituitur.

2 Vnde ſupponimus cum Salmanticenſibus hic, quod Eccleſia vna eſt ab origine mundi vnitate fidei, & quod fideles temporum legis naturalis, ſcriptæ, & gratiæ ad Corpus Chriſti pertinebant, vnamque Eccleſiam conſtitui ex omnibus Deo vero, Optimo, Maximo credentibus: ſed hic etiam advertendum eſt, quod ad Eccleſiam veram conſtituendam non ſufficit fides interna, ſed neceſſariò requiritur aliquod ſignum externum à Deo revelatum, quod fidei internæ proteſtatio ſit, quia Eccleſia eſt corpus myſticum ſenſibile, & ſignis viſibilibus conſtituitur in vero Dei cultu, vt optimè hic notant Salmanticenſes: vnde ſignis viſibilibus mutatis, & lege, mutatur ſtatus Eccleſiæ: ergo licèt omnes fideles ab origine mundi vnam conſtituant Eccleſiam ex fide vera, ex lege vera, & exterioribus ſignis, in diverſis fuerunt ſtatibus, quos quidem ſtatus diverſos, ſupponunt Eccleſiam habuiſſe Patres Salmanticenſes ſecundum perfectum, & imperfectum ſine mutatione eſſentiæ Eccleſiæ, ſicut idem homo prius eſt infans, deinde vir, ſola ſtatuum variatione, ſine immutatione eſſentiæ; & quod nunc Eccleſia habet perfectiſsimum ſtatum.

3 Hæc doctrina veriſsima eſt, ſed nimis generalis, & in quo conſiſtat perfectio, & imperfectio ſtatuum Eccleſiæ non totaliter explicant Salmanticenſes: in homine prius infante, & poſteà viro; quia Abraham duos filios habuit

buit vnum de ancilla,& vnum de libera,& ſecundum Apoſtolum duo filij Abraham ſignificant duos ſtatus Eccleſiæ, in veteri,& in novo teſtamento: itaque ſtatus Eccleſiæ ſub veteri lege non ſolum fuit puerilis, ſed etiam ſervitutis, at vero ſtatus præſentis Eccleſiæ non ſolum eſt virilis: ſed,& libertatis; itaque diſtinguuntur ſtatus Eccleſiæ ſicut infans, qui natus eſt ſervus,& deinde fit vir liber à ſervitute, quapropter quamplurimas gratias,privilegia,dona,& hæreditates poteſt habere in ſtatu virili libero, quæ habere non poterat in ſtatu infantiæ ſervitutis,& omnia quæ propria ſunt legis, qua conſtituitur vir in ſtatu libertatis, repugnabant legi qua conſtituebatur infans in ſtatu ſervitutis,vt notum eſt.

4 Ex his patet, quomodo intelligendum ſit, aliud ſuppoſitum Salmanticenſium numero 5. in quo gratiam novi,& veteris teſtamenti ſua generalitate confundere videntur. Supponunt quod ante Chriſti Domini adventum, ipſius meritis, & fide iuſtificatos fuiſſe eadem gratia quoad naturam, & ſpeciem, qua iuſtificamur in lege gratiæ in ſanguine ipſius; iuſtoſque illos eamdem fidem, ſpem, & charitatem habuiſſe, & eaſdem virtutes morales, & eiſdem Spiritus Sancti donis fruitos fuiſſe, quibus in lege gratiæ iuſti exornantur. Sed ſuper hanc nimis latam, & generalem doctrinam reflectendum eſt, quantum Synagogam, & veterem legem exaltat; quia licèt, illi iuſti eamdem gratiam fidem, ſpem,& charitatem habuerunt quoad naturam ſpeciem,& eſſentiam, non habebant prædictas virtutes in ſtatu libertatis; ſed in ſtatu ſervitutis, nec illas habebant in ſtatu, quem ipſe virtutes habent in lege gratiæ ex plenitudine Chriſti præſentis,& paſsi, quod patet; quia iuſtificatio, fides, ſpes, & charitas in veteri lege fuerunt in ſtatu figurativo illius,& ſtatum mutaverunt in lege gratiæ: ergo licèt eamdem eſſentiam, & naturam habuiſſent ex meritis Chriſti futuri in ſtatu ſervitutis illius legis, gratia, fides, ſpes,& charitas non habuerunt in illa lege illam perfectionem eſſentialem propriam ſtatus libertatis, quam habent ex plenitudine gratiæ Chriſti præſentis, & paſsi in ſtatu præſentis Eccleſiæ.

5 Secundũ hanc doctrinā ſicut Eccleſia ſtatum mutavit in novo teſtamento,ita virtutes illę mutaverũt ſtatum in lege gratię:

gratia

gratia illa veteris legis fuit tranſiens, & gratia evangelij permanens eſt, vt ex D.P.N. Hieronymo diximus 1.p. Diſc.2. §. 5. & ibidem ex D. Thoma fides etiam ſtatum mutavit, & ratione probatur; quia ſubiectum virtutum in veteri lege erat corpus illud myſticum Eccleſiæ veteris teſtamẽti, ſed corpus illud myſticum Eccleſiæ mutavit ſtatum infantiæ, & ſervitutis in ſtatum virilitatis, & libertatis ex plenitudine gratiæ Chriſti præſentis, & paſsi: ergo virtutes mutaverunt ſtatum in lege gratiæ.

6 Hæc mutatio, ſeù novitas Eccleſiæ multis in locis veteris teſtamenti prophetata fuit, & in novo expreſius revelata, & prædicata continetur, præſertim in Apocalypſi cap. 2. 3. 5. & 21. & in Apoſtolo Paulo paſsim reperitur; ſed cauſam, effectus, naturam, & perfectionem huius mutationis, & novitatis ſtatus præſentis Eccleſiæ radicitus explicavit 2. ad Corinth. cap. 5. v. 17. ibi: *Si qua ergo in Chriſto nova creatura, vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia nova, omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis myſteriũ reconciliationis*: ergo Eccleſia quoad omnia facta fuit nova in hoc ſtatu virilitatis, & libertatis legis gratiæ per reconciliationem à Deo per Chriſtum, & myſterium reconciliationis: ergo eſſentiam, & naturam perfectionemque novi ſtatus Eccleſię, quæ facta eſt nova creatura, non habebant virtutes fidei, Spei, & Charitatis, & gratia in ſtatu ſervitutis veteris teſtamenti; deinde virtutes, gratias, caracteres, dona Spiritus Sancti, inſtrumenta media, conſilia, & vota, quę ſunt propria, & eſſentialia ſtatus præſentis Eccleſiæ per renovationem legis gratiæ, & myſterium reconciliationis ex plenitudine gratiæ Chriſti pręſentis, & paſsi, nec fuerunt, nec potuerunt eſſe in ſtatu illo Eccleſiæ imperfecto ſervitutis, quia licèt non repugnent Eccleſiæ ſecundum ſe, repugnat hìc ſtatus, illi ſtatui.

7 Inſtant Patres Salmanticenſes pro Synagoga, vel pro Eccleſia in illo ſtatu ſervitutis, & dicunt, quod gratia adoptionis, qua conſtituimur Filij Dei in præſenti Eccleſia, & hæredes gloriæ, eadem fuit in Synagoga, qua iuſti illi filij Dei erant, & hæredes appellantur in Sacris litteris; ſed hæc doctrina nimis etiam generalis eſt, & ſic dicta quamplurimum Synagogam exaltat, & multas habet limitationes, vt catholicè vera ſit, & affirmari poſsit; nam hæreditas patriæ cœleſtis, vt pręmium nõ fuit revelata in veteri teſtamento, vt oſtendimus in 1.p. Diſc. 1. §. 3. & 4. & alibi; nec adoptio, vel filiatio ſpiritualis per gratiam fuit revelata explicitè vſque ad Transfigurationem Domini, vt

cor-

conſtat ex dictis 2.p.Diſc.3.§.2. nec ius ad cœleſtem hæreditatem fuit datum vſque ad redēptionem generis humani in ſanguine Chriſti; itaque licèt ex meritis Chriſti futuri iuſti illi veteris legis filij Dei aliquomodo dici poſsint, & hęredes, vſque ad redemptionem in ſtatu ſervitutis permanſerunt, quia in veteri lege non fuit ſtatus filiationis, nec adoptionis, quia ſtatus conſtituitur à lege,& ante legem gratię nullus fuit ſtatus iuſtificationis, nec filiationis in veteri illa lege ſervitutis,& timoris.

8 Differentiam inter filiationem,& adoptionem iuſtorum veteris,& novi teſtamenti eleganter, & profundè aſsignavit D. Ambroſius lib.9.Epiſt.73.ad Clementiarum, ibi: *Non ex lege igitur hæreditas data eſt, ſed ex repromiſsione. Etenim Abrahæ dictæ ſunt repromiſsiones, & ſemini eius, quod eſt Chriſtus. Lex itaque prævaricationum gratia poſita eſt, donec veniret ſemen cui repromiſſum eſt,& ideò concluſa ſunt omnia ſub peccato, vt repromiſsio ex fide Ieſu-Chriſti daretur credentibus. Poſtquam venit autem fides, iam non ſub lege, hoc eſt, ſub pædagogo ſumus, quia ſumus filij Dei,& omnes ſumus in Chriſto Ieſu. Si autem omnes ſumus in Chriſto Ieſu, ergo Abrahæ ſemen ſumus ſecundum promiſsionem hæredes. Hæc eſt Apoſtolicæ concluſio ſententiæ, ſed occurrit adhùc ei, quod poterat etiam Iudæus dicere, & ego hæres ſum; quoniam ſub lege ſum. Lex autem, vetus dicitur teſtamentum; vbi autem teſtamentum, ibi hæreditas. Et licèt ad Hebræos ipſe dixerit, quia teſtamentum non valet, niſi mors intercedat teſtatoris, id eſt, quoniam teſtamentum non valet quandiù vivit teſtator; ſed eius morte firmatur: tamen quia in Hieremia Dominus locutus eſt de Iudæis,& ait: Facta eſt hæreditas mihi ſicut leo, hæredes eos negare noluit: Sed ſunt hæredes ſine re, ſunt, & cum re; & dicuntur hæredes teſtatore vivente, qui ſcripti ſunt, ſed ſine re. Sunt etiam hæredes parvuli, qui nihil differunt à ſervulo, quoniam ſub curatoribus ſunt,& actoribus. Ita, inquit, & nos eramus Iudæi ſub elementis mundi huius ſervientes: poſtquam vero venit plenitudo temporis, & Chriſtus advenit, iam non ſumus ſervi, ſed liberi, ſi credamus in Chriſtum: ergo dedit illis ſpeciem hæreditatis, poſſeſsionem negavit. Habent nomen hæredis, vſum non habent, quia ſicut parvuli hæredes nomen nudum hæreditatis, non authoritatem vſurpant, iubendi ius, & vtendi non habent, quia plenitudinem ſuæ ætatis expectant, vt à curatoribus liberentur. Sicut ergo parvuli, ita, & Iudæi ſub pædagogo ſunt. Lex pædagogus eſt, pædagogus ad Magiſtrum ducit: Magiſter noſter ſolus eſt Chriſtus. Nolite dicere vobis Dominum,& Magiſtrum, quia Dominus,& Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus.* Et poſt pauca ibi: *Si igitur vbi fides, ibi libertas: vbi libertas, ibi gratia: vbi gratia ibi hæreditas; Iudæus autem littera nō*

ſpi-

gratia illa veteris legis fuit tranſiens, & gratia evangelij permanens eſt, vt ex D.P.N.Hieronymo diximus 1.p. Diſc.2. §. 5. & ibidem ex D.Thoma fides etiam ſtatum mutavit, & ratione probatur; quia ſubiectum virtutum in veteri lege erat corpus illud myſticum Eccleſiæ veteris teſtamẽti, ſed corpus illud myſticum Eccleſiæ mutavit ſtatum infantiæ, & ſervitutis in ſtatum virilitatis, & libertatis ex plenitudine gratiæ Chriſti præſentis, & paſsi: ergo virtutes mutaverunt ſtatum in lege gratiæ.

6 Hæc mutatio, ſeù novitas Eccleſiæ multis in locis veteris teſtamenti prophetata fuit, & in novo expreſius revelata, & prædicata continetur, præſertim in Apocalypſi cap.2.3.5. & 21. & in Apoſtolo Paulo paſsim reperitur; ſed cauſam, effectus, naturam, & perfectionem huius mutationis, & novitatis ſtatus præſentis Eccleſiæ radicitus explicavit 2.ad Corinth.cap. 5.v.17.ibi: *Si qua ergo in Chriſto nova creatura, vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia nova, omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis myſteriũ reconciliationis*: ergo Eccleſia quoad omnia facta fuit nova in hoc ſtatu virilitatis, & libertatis legis gratiæ per reconciliationem à Deo per Chriſtum, & myſterium reconciliationis: ergo eſſentiam, & naturam perfectionemque novi ſtatus Eccleſię, quæ facta eſt nova creatura, non habebant virtutes fidei, Spei, & Charitatis, & gratia in ſtatu ſervitutis veteris teſtamenti; deinde virtutes, gratias, caracteres, dona Spiritus Sancti, inſtrumenta media, conſilia, & vota, quę ſunt propria, & eſſentialia ſtatus præſentis Eccleſiæ per renovationem legis gratiæ, & myſterium reconciliationis ex plenitudine gratiæ Chriſti pręſentis, & paſsi, nec fuerunt, nec potuerunt eſſe in ſtatu illo Eccleſiæ imperfecto ſervitutis, quia licèt non repugnent Eccleſiæ ſecundum ſe, repugnat hic ſtatus, illi ſtatui.

7 Inſtant Patres Salmanticenſes pro Synagoga, vel pro Eccleſia in illo ſtatu ſervitutis, & dicunt, quod gratia adoptionis, qua conſtituimur Filij Dei in præſenti Eccleſia, & hæredes gloriæ, eadem fuit in Synagoga, qua iuſti illi filij Dei erant, & hæredes appellantur in Sacris litteris; ſed hæc doctrina nimis etiam generalis eſt, & ſic dicta quamplurimum Synagogam exaltat, & multas habet limitationes, vt catholicè vera ſit, & affirmari poſsit; nam hæreditas patriæ cœleſtis, vt pręmium nõ fuit revelata in veteri teſtamento, vt oſtendimus in 1.p.Diſc.1. §.3.& 4.& alibi; nec adoptio, vel filiatio ſpiritualis per gratiam fuit revelata explicitè vſque ad Transfigurationem Domini, vt con-

conſtat ex dictis 2.p.Diſc.3.§.2. nec ius ad cœleſtem hæreditatem fuit datum vſque ad redēptionem generis humani in ſanguine Chriſti; itaque licèt ex meritis Chriſti futuri iuſti illi veteris legis filij Dei aliquomodo dici poſsint, & hęredes, vſque ad redemptionem in ſtatu ſeruitutis permanſerunt, quia in veteri lege non fuit ſtatus filiationis, nec adoptionis, quia ſtatus conſtituitur à lege,& ante legem gratię nullus fuit ſtatus iuſtificationis, nec filiationis in veteri illa lege ſeruitutis,& timoris.

8 Differentiam inter filiationem,& adoptionem iuſtorum veteris,& novi teſtamenti eleganter, & profundè aſsignavit D. Ambroſius lib.9.Epiſt. 73.ad Clementiarum, ibi: *Non ex lege igitur hæreditas data eſt, ſed ex repromiſsione. Etenim Abrahæ dictæ ſunt repromiſsiones, & ſemini eius, quod eſt Chriſtus. Lex itaque prævaricationum gratia poſita eſt, donec veniret ſemen cui repromiſſum eſt,& ideò concluſa ſunt omnia ſub peccato, vt repromiſsio ex fide Ieſu-Chriſti daretur credentibus. Poſtquam venit autem fides, iam non ſub lege, hoc eſt, ſub pædagogo ſumus, quia ſumus filij Dei,& omnes ſumus in Chriſto Ieſu. Si autem omnes ſumus in Chriſto Ieſu, ergo Abrahæ ſemen ſumus ſecundum promiſsionem hæredes. Hæc eſt Apoſtolicæ concluſio ſententiæ, ſed occurrit adhùc ei, quod poterat etiam Iudæus dicere, & ego hæres ſum; quoniam ſub lege ſum. Lex autem, vetus dicitur teſtamentum; vbi autem teſtamentum, ibi hæreditas. Et licèt ad Hebræos ipſe dixerit; quia teſtamentum non valet, niſi mors intercedat teſtatoris, id eſt, quoniam teſtamentum non valet quandiù vivit teſtator; ſed eius morte firmatur: tamen quia in Hieremia Dominus locutus eſt de Iudæis,& ait: Facta eſt hæreditas mihi ſicut leo, hæredes eos negare noluit: Sed ſunt hæredes ſine re, ſunt, & cum re; & dicuntur hæredes teſtatore vivente, qui ſcripti ſunt, ſed ſine re. Sunt etiam hæredes parvuli, qui nihil differunt à ſervulo, quoniam ſub curatoribus ſunt,& actoribus. Ita, inquit, & nos eramus Iudæi ſub elementis mundi huius ſervientes: poſtquam vero venit plenitudo temporis, & Chriſtus advenit; iam non ſumus ſervi, ſed liberi, ſi credamus in Chriſtum: ergo dedit illis ſpeciem hæreditatis, poſſeſsionem negavit. Habent nomen hæredis, vſum non habent, quia ſicut parvuli hæredes nomen nudum hæreditatis, non authoritatem vſurpant, iubendi ius, & vendi non habent, quia plenitudinem ſuæ ætatis expectant, vt à curatoribus liberentur. Sicut ergo parvuli, ita,& Iudæi ſub pædagogo ſunt. Lex pædagogus eſt, pædagogus ad Magiſtrum ducit: Magiſter noſter ſolus eſt Chriſtus. Nolite dicere vobis Dominum,& Magiſtrum, quia Dominus,& Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus.* Et poſt pauca ibi: *Si igitur vbi fides, ibi libertas: vbi libertas, ibi gratia: vbi gratia ibi hæreditas; Iudæus autem littera nō*

ſpi-

ſpiritu in ſervitute eſt, qui non habet fidem, non habet ſpiritus libertatem: vbi autem nulla libertas, nulla gratia: vbi nulla gratia, nulla adoptio: vbi nulla adoptio, nulla ſucceſsio: tanquam clauſis ergo tabulis cernit hæreditatem, non poſsidet, authoritatem non habet lectionis. Ex hac doctrina D. Ambroſii, quæ catholica eſt, manifeſtum eſt, quod iuſti illi veteris legis erant ſicut filij parvuli, & ſervi hæredes ſine re ſecundum ſtatum ſervitutis illius legis: iuſti legis gratiæ ſunt filij Dei viri perfecti, & hæredes cum re, in qua conſiſtit vera, & perfecta adoptio ad filiationem, & hæreditatem: ergo gratia adoptionis, & filiationis ex plenitudine gratiæ Chriſti in ſtatu præſentis Eccleſię maximè differt à gratia illa iuſtificante in veteri lege in ſtatu ſervitutis, quia illa gratia, quę non fuit ex lege non conſtituit ſtatum filiationis, nec adoptionis, nec iuſtificationis, itaque iuſti illi ante redemptionem, & legem gratię fuerunt filij, & hæredes ſine re, & ſine ſtatu filiationis perfectæ ex lege gratiæ conſtituente ſtatum filiorum, amicorum, & hæredum ex plenitudine gratiæ Chriſti præſentis, & paſsi.

9 His ſuppoſitis, certum eſt: quod in his controverſijs, quæ ad differentiam veteris, & novæ legis pertinent, vel inter Catholicos, vel contra Iudæos, & Hereticos Pelagianos, non comparantur perſonæ perſonis, ſed ſtatus ſtatui, quia in lege naturali, & ſcripta fuerunt aliqui perfecti, iuſti, & perfectiſsimi ſecundum ritum, & ſtatum legum, & tamen non fuerunt in ſtatu perfectionis, nec iuſtificationis, nec filiationis, quia hic ſtatus conſtitutus fuit à lege gratiæ, quæ ex ſe iuſtificat, adoptat, & perficit, & illa quæ eſſentialiter conſtituunt ſtatum evangelicæ perfectionis, & libertatis repugnant cum ſtatu illo ſervituris veteris legis; aliqua vero quæ communia ſunt vtrique legi potuerunt eſſe in veteri ſecundum illum ſtatum, quia in tempore veteris legis non repugnabant gratia, & iuſtificatio in perſonis ex fide, ſed in aliquo ſtatu ex lege, qua homines iuſtificari poſſent ex illa: vndè conſtat, quam neceſſarium ſit in his controverſijs, ſuppoſita vnitate Eccleſiæ ex fide, dubia proponere ſub terminis, & vocibus explicantibus diſtinctos ſtatus Eccleſiæ, quos ſub diverſis legibus Eccleſia habuit; nam ante Chriſti mortem, & redemptionem fuit ſerva ſub lege ſervitutis, vmbratica, & figurativa in alio fidei, & ſpei ſtatu in littera occidente, & vacuis elementis conſtituta, & ſignis externis materialibus ſecundum ritum illius legis Deum colebant, & Redemptorem fu-

futurum ſperabant: in ſtatu legis gratiæ Eccleſia præſens eſt redempta, & libera, nata ex latere Chriſti regina vndequaque perfecta in ſpiritu vivificante, nova creatura, ſignis ſpiritualibus gratiam, conferentibus, exornata, & munita, & habet legem iuſtificantem, iuvantem, & perficientem ex plenitudine gratię Chriſti, & ex hac plenitudine omnes ſtatus evangelici præſentis Eccleſiæ participant ſubſtantiam, & eſſentiam, gratiam, perfectionem, veritatem, ſpiritum, dona, auxilia, media, conſilia, & Sacramenta legis gratię.

10 Sic ſtatibus Eccleſiæ ſecundum differentiam temporum, & legum explicatis, ad intentum principale huius controverſię reflectendum eſt, vt, omni æquivocatione ſublata, punctum difficultatis palam fiat. Itaque ne ſub nomine Eccleſiæ, vt à Salmanticenſibus diſputatio introducitur, veritas confundatur: quia ſtatum Eccleſiæ non explicant, qui in præſcindibilis eſt in hac diſputatione; in qua ſtatus Eccleſiæ comparantur, & ex eis vera reſolutio pendent, ideò verus, & proprius ſenſus diſputationis aperitur, ſcilicèt, An in ſtatu ſervitutis veteris legis vmbraticus, & figurativus in littera occidente conſtitutus fuerit ſtatus verus religioſus, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam inſtitutus in ſpiritu vivificante legis gratiæ, conſilijs evangelicę perfectionis conſtitutus vnus, & idem quoad eſſentiam, & ſubſtantiam ſtatus cum ſtatu religioſo præſentis Eccleſiæ, quod idem eſt, ac quærere, an ſtatus vmbraticus, & verus; figurativus, & evangelicus; ſervitutis, & libertatis in littera occidente, & ſpiritu vivificante potuerit eſſe ſimul, & in ſenſu compoſito in Synagoga ante adventum Chriſti, & legem gratiæ: & primum de conſilijs iuxta ordinem Salmanticenſium ſit diſputatio.

§. II.

§. II.

An in ſtatu veteris legis, vel Synagogæ fuerint aliqua conſilia, vel vota?

11 PRimum dubium proponunt Salmaticenſes, & ſub nomine Eccleſiæ inquirunt: an in illa ante legem gratiæ fuerint aliqua conſilia, vel vota, non determinando, quæ, vel qualia fuerint vota veteris legis, & Sacræ Scripturæ teſtimonijs probant vota in veteri teſtamento, quod nullus catholicus negare poteſt, quia vota expreſſe continentur in divinis litteris veteris legis; ſed hoc dubium impertinens eſt ad præſentem controverſiam, in qua de determinatis votis & cōſilijs diſputatur: itaque claritatis gratia iuxta dicta ſuperiori §. dicimus, quod ante Legem Gratiæ fuerunt aliqua conſilia & vota proportionata & convenientia ſtatui illi ſervitutis & imperfecto ſecundum legem, non verò perfecta vota & conſilia propria ſtatus libertatis, & inſtituta in præſenti Eccleſia.

12 Hæc diſtinctio votorum & conſiliorum ratione fulcitur; nam conſilia dantur ad obſervantiam legis ſecundum ſtatum reipublicæ cui lex imponitur; ſed adventu Chriſti Domini Eccleſia mutavit ſtatum & lege nova facta ſunt omnia nova, vt patet, ex dictis: ergo diſtincta conſilia dedit Eccleſiæ in ſtatu libertatis, ac in ſtatu ſervitutis & ſecundum diverſitatem conſiliorum alia fuerunt vota veteris legis ac novæ. Confirmatur, quia Synagoga & ſtatus fidelium illius comparantur ſtatui parvulorum, & ſtatus Eccleſiæ præſentis & Chriſtianorum comparatur ſtatui virorum perfectorum, vt conſtat ex D. Paulo; ſed leges & conſilia quæ dantur viris perfectis non conveniunt parvulis, vt docet D. Thomàs, & certum eſt: ergo alia conſilia dedit Chriſtus in ſtatu præſentis Eccleſiæ, quæ non fuerunt data Synagogæ in illo ſtatu.

13 Quænam igitur conſilia & votà data fuerunt in ſtatu ſervitutis & imperfecto Synagogæ expreſſe docet Angelicus Magiſter, & ad pleniorem intelligentiam votorum, teſtimonium Angelici Doctoris proponitur, ex Opuſc. 18. cap. 15. ibi: *Si enim aliquis ſe Deo, vel homini obliget ad aliquid faciendum ſpirituale, & pro aliquo tempore, non ſimpliciter libertatem amiſit, ſed ſolum ſecundum illud ad quod ſe obligavit. Si autem ſe totaliter in pote-*

ſtate

ſtate alicuius ponat, ita quod ſibi nihil libertatis retineat, ſimpliciter conditionem mutavit factus ſimpliciter ſervus. Sic ergo dum aliquis Deo vovet aliquod particulare opus, puta peregrinationem, aut ieiunium, aut aliquod huiuſmodi non ſimpliciter conditionem, vel ſtatum mutavit, ſed ſecundum aliquid tantum. Si verò totam vitam ſuam voto Deo obligavit, vt in operibus perfectionis ei deſerviat, iam ſimpliciter conditionem, vel ſtatum perfectionis aſſumpſit. Hæc D. Thomàs, in quibus nos docet: quod vota alia ſunt de aliquo particulari opere ſpirituali, & pro tempore determinato: alia ſunt, quibus homo totaliter ſe Deo offert nihil ſibi libertatis retinens: Prima ſunt, peregrinationis, ieiunij, vel alia huiuſmodi operis, quæ ſtatum ſimpliciter non mutant: Secunda vota ſunt, quibus homo totam ſuam vitam Deo obligat, & ſimpliciter ſtatum mutant, & conditionem; & ideo hæc vota ſunt perfecta, & illa imperfecta.

14 Iuxta doctrinam Angelici Magiſtri ad dubium Salmaticenſium dicimus, quod in ſtatu ſervitutis & imperfecto Synagogæ fuerunt vota illa imperfecta, quæ ſtatum non mutant & conditionem, & hoc convincunt teſtimonia Sacræ Scripturæ adducta à PP. Salmantic. at verò vota perfecta, quibus homo totam ſuam vitam Deo obligat, & ſimpliciter ſtatum & conditionem mutant, ſunt propria ſtatus perfectæ Eccleſiæ, & in veteri nec fuerunt data nec revelata ſtatui illi ſervitutis imperfecto. Teſtimonia Angelici Magiſtri expreſsiſsima ſunt & ad litteram, & in hac controverſia plurima ad rem referuntur 1. p. diſc. 1. §. 1. & hic aliqua tantum reproducuntur, quæ in terminis terminantibus noſtram concluſionem docent: in primis illud ex 1. 2. q. 108. artic. 4. in corpore, ibi: *Dicendum quod hæc eſt differentia inter conſilium, & præceptum, quod præceptum importat neceſsitatem, & ideò convenienter in lege nova, quæ eſt libertatis, ſupra præcepta ſunt addita conſilia, non autem in veteri lege quæ erat lex ſervitutis.* Et ibidem quæ nam fuerint hæc conſilia, quæ in lege ſervitutis non fuerunt data, obedientiam, paupertatem, & caſtitatem deffinit, & ait, ibi: *In quibus etiam tribus fundatur omnis religio, quæ ſtatum perfectionis profitetur.* Et quæſtione præcedenti de ad impletione veteris legis in nova diſputās, art. 2. in corp. ait ibi: *Tertio ad implevit Dominus præcepta legis ſuper addendo quædam perfectionis conſilia, vt patet, Matth. 19.*

15 In hac ſententia ſemper fuit Angelicus Magiſter in Summa, in ſententiarijs, in Evangelia & in Epiſt. D. Pauli, vt patet ex teſtimonijs adductis in hac controverſia, & nunc re-

fle-

ſtectendum eſt ad illud relatum in 2.p.Diſc.6. §. 1. ex lect. 2. in cap.8.ad Hebræos, vbi differentiam miniſterij veteris, & novi teſtamenti explicans ex promiſsis, & præceptis, ait Angelicus Magiſter, ibi: *In novo autem adduntur conſilia præceptis, quæ dantur perfectis, qui capaces ſunt ſpiritualium.* Idem docet in cap.9.eiuſdem Epiſt. lect.2.in fine,ibi: *In veteri lege ea,quæ ſpectant ad imperfectionem inſtituta ſunt, ſed quando venit tempus perfectum tunc debuerunt inſtitui illa,quæ ducunt ad perfectionem.* Et hic explicat Div. Thomas quomodo inſtructus fuit populus in Synagoga ſub pædagogo legis, & quomodo in tempore gratiæ inſtruitur preſens Eccleſia in ſtatu perfecto libertatis. Senſit evidenter D.Thomas,quod in ſtatu ſervitutis inſtituta fuerunt, quæ ad perfectionem ſpectant, in lege gratiæ,quę ad perfectionem ducunt,expreſsè docet,quod illa,quæ ad perfectionem ducunt, ſunt conſilia, quę dantur perfectis,qui ſunt capaces ſpiritualium: ergo hæc conſilia non fuerunt inſtituta,nec data in ſtatu imperfecto ſervitutis,& Eccleſiæ, ſeù Synagogæ, ſed in ſtatu perfecto libertatis præſentis Eccleſiæ. Ex his,& alijs teſtimonijs D. Thomæ nullus Thomiſta ab hac ſententia declinavit, & omnes Doctores, & Magiſtri omnium Scholarum,qui de ſtatu religioſo,ſivè de origine illius ſcripſerunt,Angelicum Magiſtrum pro hac ſententia laudant in vniverſo Orbe litterario.

16 PP. Salmanticenſes extra Scholam Div.Thomæ in hoc tractatu diſput. 3.§.1.n.83. Angelicum Magiſtrum nova diſtinctione interpretantur ſub hac forma: conſilia evangelica, & perfectionis iuxta D.Thomam non fuerunt obſervata in veteri lege,ex ipſa lege concedunt,non fuerunt obſervata ab aliquibus per gratiam datam in fide in Chriſtum futurum negant, & hac interpretatione intellecta teſtimonia D.Thomæ non premere aſſerunt.

17 Sed hæc diſtinctio, ſeù explicatio novum figmentum in via D.Thomæ eſt, vero ſenſui Angelici Magiſtri repugnans, & valdè impertinens ad teſtimonia prædicta; nam in teſtimonijs expreſsè docet D.Thomas,quod hęc conſilia in veteri lege non fuerunt data; quod in veteri lege fuerunt inſtituta, quę pertinent ad imperfectionem,& in nova,quę ad perfectionem ducunt,quę debuerunt inſtitui in tempore perfecto,& dari perfectis,qui capaces ſunt ſpiritualium; ſed ad hoc,vt obſervarentur per gratiam deberent eſſe inſtituta conſilia, & data: ergo hęc diſtinctio Salmanticenſium non eſt ad rem,quia diſtinguűt ob-

obſervantiam conſiliorum,& teſtimonia Div. Thomæ negant eorum inſtitutionem,vt repugnantem ſtatui imperfecto & ſervitutis Synagogæ,quantumque diſtet obſervantia legis ab eius inſtitutione notum eſt omnibus.

18 Tum etiam: quia in hac interpretatione ſupponunt Salmanticenſes in veteri lege,quod D. Thomas ſupponit non fuiſſe in illa,vt conſtat in teſtimonio ex 1.2.q.107.art.2. in quo docet D.Thomas,quomodo Chriſtus veterem legem adimplevit,& à ratione,ait ibi: *Omne perfectū adimplet,quod imperfecto deeſt, & ſecundum hoc lex nova adimplevit veterem legem in quantum ſupplet quod veteri deerat.* Et ibidem in Corpore: Primo, gratia Spiritus Sancti,ſecundo manifeſtatione ſenſus ſpiritualis ſcripturarum, tertio additione,ſeù inſtitutione Conſiliorum adimpletam fuiſſe veterem legem concludit: Hæc in veteri lege deerant;at Patres Salmanticenſes in ſua interpretatione ſupponunt conſilia hæc in veteri lege: ergo ſupponunt in ſtatu imperfecto illius legis,quod D.Thomas ſupponit non fuiſſe in illo ſtatu legis, quia imperfectus erat.

19 Aliud effugium adinvenerunt Salmanticenſes loco citato,vt vim teſtimoniorum D.Thomæ effugerent diſtinguētes conſilia,& vota in ſtatu conſumato,& perfecto, vt nunc in Chriſti Eccleſia obſervantur in ſtatu religioſo,& in ſtatu minus perfecto,& non conſumato,& hoc modo præceſſiſſe in veteri teſtamento,aſſerunt.Sed hæc intelligentia manifeſtam implicationem in doctrina D.Thomæ continet,nam in 4. diſtinct. 30. q.2.art.1.ad 2.ait ibi: *Quod perfectio conſiliorum quantum ad conſumationem incipere debuit à Chriſto, ſed quantum ad aliquam inchoationem à Matre eius incæpit.* Idem repetit 3.p.q.28.art.4.ad 2. ibi: *Sicut plenitudo gratiæ perfectè quidem fuit in Chriſto, & tamen aliqua eius inchoatio præceſſit in Matre, ita etiam obſervatio conſiliorum, quæ per gratiam fuit, perfectè quidem incæpit in Chriſto; ſed aliquo modo fuit inchoata in Virgine Matre eius.* Quid clariùs, & expreſſius in Angelico Præceptore contra Salmanticenſium noviter excogitatam interpretationem? Angelicus Magiſter ſuis adhærens principijs, & Sanctorum Patrum doctrinæ, perfectam, & conſumatam obſervantiam, & inſtitutionem Conſiliorum in Chriſto Domino incepiſſe docet, & quantum ad aliquam inchoationem in Virgine Matre eius. Patres Salmanticenſes totis ſuis viribus contendunt hanc gloriam, & originem Conſilio-

liorum, quoad inchoationem à Deipara Domina noſtra auferre,& Sancto Prophetæ Eliæ tribuere, in quo dogmatè manifeſtè D. Thomæ,& omnibus eius diſcipulis opponuntur, vt conſtat evidenter in allatis teſtimonijs.

20 Ratione etiam probatur, nam conſilia dantur ad obſervantiam legis ſecundum ſtatum Reipublicę, cui lex imponitur; ſed Chriſtus Dominus dedit novam legem gratiæ,novumque ſtatum Eccleſię inſtituit: ergo aliqua conſilia dedit ſecundum hanc legem huic novo ſtatui, quæ non erant in veteri, qui fuit mutatus, & cum lege translatus. Confirmatur, quia Synagoga, & fideles illius populi comparantur parvulorum ſtatui, & Eccleſia, & fideles Chriſtiani ſtatui virorum perfectorum, vt docet D. Paulus; ſed conſilia, quæ dantur viris perfectis non conveniunt parvulis: ergo aliqua conſilia addidit Chriſtus Dominus Eccleſię Chriſtianorum, quæ non dedit circumciſsis fidelibus in Synagoga Iudæorum.

22 Ex doctrina Angelici Magiſtri aliam deducimus rationem; quia hęc conſilia evangelica cum votis in lege evangelica ſtatum mutant, à perfecto ex lege gratiæ ad magis perfectum ex conſilijs evangelicis; ſed ſtatus magis perfectus legis gratię non poteſt concedi in ſtatu imperfecto Synagogæ: ergo nec conſilia, & vota, quibus homo totam vitam ſuam totaliter Deo offert, & obligat, & ſimpliciter conditionem, & ſtatum mutat à perfecto legis gratiæ ad perfectiorem eiuſdem legis.

22 Multis alijs Sanctorum Patrum teſtimonijs hanc noſtram concluſionem fulciri poſſemus, quæ per totam hanc controverſiam ſunt adducta, & fideliter relata, præſertim 1. p. Diſc. 21. & infra etiam aliquos Sanctos Patres laudabimus; nunc autem ſufficiat D. Ambroſij teſtimonium ex Epiſt. 72. ad Irenęum, ibi: *Non enim otioſè dixit Apoſtolus, quia lex pædagogus noſter fuit in Chriſto. Pædagogus cuius eſt maturioris, an adoleſcentis, aut pueri, hoc eſt, ætatis infimæ? Pædagogus ergo, ſicut etiam interpretatio latina habet, doctor eſt pueri, qui vtique imperfectæ ætati non poteſt perfecta adhibere præcepta, quæ ſuſtinere non poteſt. Denique per Prophetam Deus legis ait: Dabo vobis præcepta non bona, hoc eſt, non perfecta, quod enim bonum vtique perfectum: idem autem Deus evangelio perfectiora ſervavit, ſiquidem ait: Non veni legem ſolvere, ſed adimplere, quæ igitur iſtius cauſa diſtantiæ, niſi humana varietas? Sciebat duræ cervicis popu-*

lum

lum Iudæorum, lapſum, humilē, perfidiæ prōptiorē, qui aure audiret, & nō audiret, oculis videret, & nō videret, lubrico quodā infantiæ levē, & imme morem præceptorum, & ideò legem tamquam pædagogum mobili plebis ingenio, & menti adhibuit infirmæ, ipſaque legis præcepta moderatus aliud lege voluit, aliud intelligi, vt inſipiens ſaltem, quod legeret cuſtodiret, & à præſcripto litteræ non recederet, ſapiens intelligeret divinæ mentis ſententiam, quam littera non reſonaret, imprudens ſervaret legis imperium, prudens myſterium; ideò lex ſeveritatem gladij habet, tamquam pædagogus baculum, vt imperfectæ plebis infirmitatem pœna ſaltem denuntiatione deterreat: Evangelium autem indulgentiam habet, quo peccata donantur: iure ergo ait Paulus, quia littera occidit, ſpiritus autem vivificat., littera igitur occidit exiguam Corporis portionem, ſpiritus intelligens circumciſionem totius animæ corporiſque cuſtodit, vt ſuperfluis amputatis (quid enim tam ſuperfluum, quàm avaritiæ vitia, libidiniſque peccata, quæ natura non habuit, culpa quæſivit?) caſtimonia teneatur, frugalitas diligatur. Hæc ibi D. Ambroſius; in quibus verbis docet differentiam inter ſtatum Synagogæ, & Eccleſiæ, diſcriminaque inter legem, & legem, præcepta, & præcepta; & quod ſpiritualem circumciſionem per abdicationem rerum temporalium, quę in conſilijs conſiſtit, à Deo non fuerunt data populo illo Iudaico lapſo, & perfidiæ promptiori, ſed reſervata Chriſti Eccleſiæ, & evangelio: ſi ergo perfecta præcepta evangelio Deus ſervavit, potiori iure perfectiora conſilia. Cui conſonat Div. Auguſtinus Tract. 9. in Ioannem in Homilia quę legitur ab Eccleſia Dominica 2. poſt Epiph. & in Sermone de verbis Domini in Monte, quæ habetur in Officio Omnium Sanctorum 2. Noct. & hanc eſſe communem Sanctorum Patrum ſententiam ex infra dicendis de conſilijs in particulari evidenter demonſtrabitur.

()§()

§. III.

Reſpondetur argumentis quibus votum virginitatis probare contendunt Salmanticenſes in veteri lege.

23 HOc votum in Synagoga non fuiſſe in 1.p. Diſc. 3.per totum ex communi Sanctorum Patrum doctrina;& præcipuè ex primatu Dei Genitricis probavimus. Eadem argumenta,quibus vtitur Apologiſta, referunt Patres Salmanticenſes; ſed quia inſufficientiam eorum oſtendimus 2. p.Diſc.1.Illis tantum obiectionibus hic occurrimus, quæ ſpecialiter à PatribusSalmanticenſibus proponuntur,& vt ad punctum difficultatis deveniamus,ſupponimus primo virginitatem poſt multiplicationem ſufficientem generis humani non fuiſſe prohibitam,nec peccaturum,qui eam ſervaret in veteri teſtamento,vt expreſsè docetD.Thomas in 4.diſtinct.33.art.2.Supponimus ſecundo ex eodem D.Thoma eadem diſtinct. & art. ad 4.tres eſſe virginitatis gradus.Primus quem dedit natura in pueris ante Baptiſmum:Secundus in illis,qui ad tempus prædictam virginitatem ſervare volunt cum propoſito ſuo tempore nubendi,qui materialiter tantum dicuntur virgines: Tertius in quo ratio completa virginitatis conſiſtit,& ait D.Thomas, ibi: *Completa ratio virginitatis,prout eſt virtus,non eſt, niſi in illis,qui habent electionem conſervandi virginitatem hactenus cuſtoditam vſque in finem, ſive ſine voto, ſive cum voto,& hæc electio perfecta eſſe non poteſt ſine habitu informante ipſam.* Tertio ſupponendum eſt ex eodem Div. Thoma ibidem diſtinct.49. q. 5. art. 3. in Corp. quod aureola debetur propriè virginibus,quæ propoſito, ſivè ſine voto, ſivè cum voto perpetuam ſervarunt virginitatem. Quarto ſupponendum eſt: virginitatem poſſe perpetuò ſervari in ſtatu, & extra ſtatum. Status virginitatis dicitur,quando aliquis ex aliqua lege,vel voto ligatur ad virginitatem ſervandam:extra ſtatum quando aliquis eam interno aliquo propoſito vſque ad mortem cuſtodit,quod docet D.Thomas vbi ſupra,ibi:*Vnde alij dicunt quod aureola debetur ſtatui,& non actui, vt illæ tantum virgines aureolam mereantur,quæ,in ſtatu perpetuæ virginitatis ſervandæ per votum ſe poſſuerunt; ſed hoc etiam videtur inconveniens,quia aliquis ex pari voluntate poteſt ſervare virginitatem non vovens,ſicut alius vovens. Vltimo ſupponendum eſt; quod aliqui pauci in veteri teſtamento virginitatem*

ſer-

ſervarunt, vt eſſent inditia futurorum, vt ex D. Ambroſio diximus 1. p. Diſc. 3. §. 1. vnde hæc difficultas conſiſtit; an in veteri teſtamento virginitas obſervata fuerit, & cuſtodita cum voto; vel an in illa lege fuerit ſtatus virginitatis.

24 Dignitas virginalis ſtatus maxima eſt in Dei Eccleſia, & virginitatem ſummis laudibus affecerunt Patres eam virtutibus Angelicis coæquantes, & de hac virtute primi Eccleſiæ Doctores ſcripſerunt, cuius celſitudinis ſtatum aliquibus eorum teſtimonijs oportet commendare, vt veritas noſtræ concluſionis magis elueſcat. D. Cyprianus, & ex eo Eccleſia: illuſtriorem portionem Eccleſiæ appellavit ſtatum virginitatis. D. Auguſtinus tract. 9. in Ioannem, & ex eo Eccleſia in Dominica 2. poſt Epiphaniam in Homil. lect. 2. ait ibi: *Nec illæ, quæ virginitatem Deo vovent, quamquam ampliorem gradum honoris, & ſanctitatis in Eccleſia teneant, ſine nuptijs ſunt, nam, & ipſæ pertinent ad nuptias cum tota Eccleſia, in quibus nuptijs ſponſus eſt Chriſtus.* D. Ambroſius, & ex eo Eccleſia in Officio de Communi Virg. in 2. Noct. lect. 2. ibi: *Hæc, nubes, aera, Angelos, ſideraque tranſgrediens, verbum Dei in ipſo ſinu Patris invenit, & toto hauſit pectore.* Et ibidem paulò poſt: *Nemo ergo miretur, ſi Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur.* D. Athanaſius in Exortatione ad Sponſam Chriſti apud Lucam Holſtenium in Codice regulari, ait ibi: *Quantam in cæleſtibus beatitudinem virginitas ſancta poſſideat, præter ſcripturarum teſtimonia, Eccleſiæ etiam conſuetudine edocemur; quia dicimus peculiari illi ſubſiſtere meritum, cuius ſpecialis eſt conſecratio: nam cum vniverſa turba credentium paria gratiæ dona percipiat, & eiſdem omnes Sacramentorum benedictionibus glorientur: iſtæ proprium aliquid præ cæteris habent cum de illo ſancto, & immaculato Eccleſiæ grege, quaſi ſanctiores puriores que hoſtiæ, pro voluntatis ſuæ merito à Sancto Spiritu eliguntur, & per ſummum Sacerdotem Dei afferuntur altario.* Et S. Leander Archiepiſcopus Hiſpalenſis apud eumdem Holſtenium de inſtitutione virginum ad ſororem ſuam Florentiam, ibi: *Vos eſtis prima libatio Corporis Eccleſiæ, vos itaque ex tot a Corporis Chriſti maſſa oblationes Deo acceptæ, & in ſupernis altaribus conſecratæ. Pro veſtro enim propoſito, & pro fide ſua omnis Eccleſia, nomen virginitatis adepta eſt, dum in ea melior pars, & propenſior vos eſtis, quæ animæ corporiſque veſtri integritatem Chriſto dicaſtis.* Hæc, & alia Sancti Patres in laudem ſtatus virginitatis.

25. Hinc quæſtio procedit; an in veteri illa lege in populo illo carnali Iudæorum, ac in imperfecto ſtatu Synagogæ fuerit

fuerit hic ſtatus melior, perfectior,& illuſtrior Eccleſiæ tot laudibus à Sanctis Patribus celebratus? Antiquitatis ſui ordinis cupiditate ducti Patres Salmanticenſes, in Synagogæ laudem, ſtatum publicum virginitatis cum voto, ſtatuere conantur in veteri lege. Nos vero hunc cœleſtem ſtatum proprium Eccleſiæ Chriſti confitemur in Deipara Domina noſtra inchoatum, & à Chriſto Domino inſtitutum: Sic Patres laudati in 1. p. Diſc. 2. per totum,& hac ratione ex dictis fulcitur: virginitas cum voto conſtituit ſpecialem ſtatum perfectiorem, illuſtriorem, nobiliorem,& digniorem in lege gratiæ, poſt adventum Chriſti, mortem,& paſsionem eius, qua gratiam conſumatam dedit Eccleſię; ſed ante adventum Chriſti,& eius paſsionem non poteſt concedi in ſtatu imperfecto, puerili, carnali, & ſervitutis Synagogę, ſpecialis ſtatus perfectior,& dignior Chriſti Eccleſiæ: ergo in Synagoga non fuit virginitas cum voto, nec ſtatus virginitatis.

26 Confirmatur; cum ſtatu imperfecto,carnali,& ſervitutis repugnat ſpecialis ſtatus Maximæ excellentiæ, quo perficitur,& elevatur ad altiorem gradum,ſtatus perfectus communis præſentis Eccleſiæ; ſed virginitas ex voto, ſeù ſtatus virginalis eſt ſpecialis ſtatus ſingularis excellentiæ, & altiſsimæ dignitatis,quo perficitur,& exaltatur ſtatus perfectus communis præſentis Eccleſiæ: ergo hic ſtatus virginitatis præſentis Eccleſiæ non fuit in ſtatu imperfecto,carnali,& ſervitutis Synagogæ ſeù veteris legis: Maior videtur certa,& ex ſe patet: Minor cōſtat ex dictis SS.PP.conſequentia legitimè infertur.

27 Hanc ſententiam expreſsè,& clariſsimè docet Angelicus Magiſter plurimis in locis,& ſine manifeſta impoſtura de mente D.Thomę dubitari non poteſt, vt conſtat ex teſtimonijs ſupra productis in 1.p.Diſc.3.§.4. & quoad conſilium virginitatis in proprijs terminis docet reſervatum fuiſſe legi gratiæ, lib.3.cap.136.in fine,ibi: Sicut autem non expedit, &c. vt in 2. p.Diſc.1.§.5.ad longum teſtimonium refertur.

28 Angelici Magiſtri ſententia approbata eſt à Sede Apoſtolica,& recepta ab vniverſali Eccleſia ex Homilia S. Ioannis Chryſoſt.quæ proponitur in 2.Offic.deCommuni virginum ad 3.Noct.lect.1 ibi: *Dominus noſter, quia ad virginitatem hortari grave eſſe videbatur, à neceſsitate legis de non ſolvendo matrimonio, eos ad cupiditatem illius trahere ſtudet. Deinde, vt eam eſſe poſsibilem oſtendat, ſic inquit: Sunt Eunuchi, qui ex ventre matris, ita nati ſunt, & ſunt,*

qui

qui ab hominibus Eunuchi facti ſunt,& ſunt,qui ſe ipſos caſtraverũt propter regnum Cælorum. Quibus verbis latènter eos a d eligendam virginitatem inducit, dum eam virtutem eſſe poſsibilem aſtr uit. Hæc vniverſalis Eccleſia recitando,& canendo docet,& præ dicat: ergo conſilium virginitatis non fuit inſtitutum ab Elia in veteri lege puro homine; quia non videretur grave Deo,& homini Chriſto ad virginitatem exhortari; nec latenter ad eam induceret,poſsibilitatem eius oſtendens; ſi hic ſtatus fuiſſet tot ante ſæcula ab Elia inſtitutus,in quo ſine lapſu communitates virginum ex voto floruerunt in illa lege.

29 Et ex ipſa natura illius legis,& Synagogæ, & ſtatu illius Eccleſiæ ſuadetur; nam virginitas perpetua ex voto,vel ſtatus virginitatis repugnat cum ſtatu, in quo infœcunditas, ſeu ſterilitas maledicebatur ſecundum legem, & virginitas perpetua erat in opprobrium,& contemptum,& videbatur prohibita in lege; ſed in ſtatu Synagogæ,ſeu illius Eccleſiæ fidelium Iudæorum infœcunditas maledicebatur,& plorabatur ſecundum legem,& virginitas perpetua videbatur prohibita, & in opprobrium,& contemptum habebatur: ergo virginitas perpetua ex voto,vel ſtatus virginalis,& eius conſilium non fuit in ſtatu imperfecto,& carnali Synagogæ,ſeu veteris legis: Maior ex ſe patet: Minor conſtat ex teſtimonijs Sacrę Scripturæ, & SS. PP. relatis in 1.p.Diſc.3.per totum.

30 Specialiter contra Salmanticenſes arguitur, qui docent cum communi ſententia ſuæ familiæ, quod Elias ſtatum virginitatis inſtituit in veteri lege,& aliqui Carmelitani dixerũt, quod Deipara Domina noſtra votum ſuum emiſsit ad imitationem Eliæ; ſed Elias virginitatem non ſervavit in ſtatu cum voto,ſed ex propoſito tantum: ergo tota doctrina Salmanticenſium ruit: Minor probatur apertè ex Div. Thoma diſtinct. & quæſt.art.que ſupra citatis ad 3.ibi: *Etiam tempore legis , quando cultus Dei etiam per carnalem actum propagandus erat, non erat omninò laudabile à commixtione carnis abſtinere; vnde nec tali propoſito ſpeciale præmium redderetur; niſi ex divino proceſſiſſet inſtinctu, vt creditur de Hieremia,& Elia,quorum coniugia non leguntur*: ergo ex mente Div. Thomæ, Elias non ſervavit virginitatem cum voto;ſed ex propoſito, divino interno inſtinctu, nec ſtatum externum publicũ virginitatis in Synagoga inſtituit. Canfirmatur; nam Div.Thomas,vt ſæpè diximus votum virginitatis Deiparæ Dominæ noſtræ conditionatum fuiſſe docet,hac conditione, *ſi Deo placeret*;

 at

at ſi Elias anteà inſtituiſſet ſtatum virginitatis cum voto cognitus,& revelatus fuiſſet DeiparæDominæ noſtræ,& votum ſuum abſolutum emitteret,ſicut Elias: ergo hic ſtatus virginitatis ab Elia inſtitutus cum voto ſubſiſtere nequit in via D.Thomæ, nec in SS.PP. communi doctrina laudantium Dominam noſtram in voto virginitatis primam.

31 Hæc ſufficiant pro noſtra vera concluſione. Videantur,quæ ſupra dicta ſunt 1.p.Diſc.3.§.2.& ſequentibus, & 2.p. Diſc.1. Ad argumenta Salmanticenſium faciliter reſpondetur ex doctrina D.Thomę diſtinguendo virginitatem,& obſervantiam eius,in ſtatu,& extra ſtatum,id eſt,cum voto,& ſine voto: Ex propoſito admittimus omnia teſtimonia Sanctorum Patrum virginitatem Eliæ laudantium,vt verba ſonant,& iuxta verum ſenſum,& ſignificationem,& dicimus: Eliam, & alios veteris teſtamenti virgines fuiſſe ex divino inſtinctu ſine ſtatu, & voto; cum propoſito tantum, vt ſupra vidimus ex D.Thoma in Elia, & Hieremia; quæ quidem intelligentia,ſeù interpretatio neceſſario admittenda eſt, nè ſancti Patres ſibi ipſis videantur contrarijs; nam quamplurimi, qui virginitatem in aliquibus veteris teſtamenti laudant, Deiparæ Dominæ noſtræ celebrant voti Primatum: ergo nè inconſequentia in Sanctis Patribus inveniatur, neceſſe eſt illos in Elia virginitatem ſine ſtatu laudare ex propoſito,& in Deipara Domina noſtra in ſtatu cum voto; nec aliud probant Salmanticenſes teſtimonijs productis exSanctis Patribus antiquis,quia nullus dixit Eliam, nec alios veteris teſtamenti votum emiſiſſe,vt notavit Vazquez, ſed virginitatem obſervaſſe tantum.

32 Arguunt Salmanticenſes in hoc dubio,§.3. num. 24. ex cap.56.Iſaiæ,ibi: *Non dicat Eunuchus,&c.* Sed ex hoc textu nihil probant; quia intelligitur de Eunuchis ſpiritualibus legis gratiæ, vt oſtendimus 1.p.Diſc.3.§.1.& 2.p.Diſc.1.§.2.& nunc reflectendum eſt hic: quod Elias,& Eliſeus, & primi illi diſcipuli præceſſerunt Iſaiæ,qui poſt tranſitum Eliæ natus fuit, & prophetavit: ergo ex vi huius textus,& revelationis non potuerunt votum virginitatis emittere; vnde minus ſubſiſtere poteſt,quod num.41.in hoc dubio aſſerunt,quod veteres illi Patres cognoverunt Beatiſsimam Virginem Deiparam in illis Iſaiæ verbis: *Ecce Virgo concipiet,& pariet*, nam Elias primus virginitatis inſtitutor in illa lege ſecundum Salmanticenſes verba Iſaiæ, nec videre,nec audire potuit,quia poſt tranſitum, & tranſlationem

Eliæ Iſaias prophetavit, neque hoc aſſertum Salmanticenſium admitti poteſt; quia alias myſterium Incarnationis, & Chriſti Nativitatis ex Virgine omnibus eſſet notum, & præcipuè profeſsis Elianis,& revelatum populo ex inſtitutione ſtatus virginitatis in veteri lege,quod eſt falſum,& expreſsè opponitur Sanctis Patribus,& Doctoribus,& præcipuè D.Thomæ, vt ex multis probavimus 1.p.Diſc.1.§.4.per totum, & alibi in tota hac controverſia.

33 . Nec Patres Salmanticenſes conſequenter videntur procedere; nam §.1.n.28.virginitatem,poſt ſufficientem generis humani multiplicationem non fuiſſe prohibitam, cum Angelico Doctore docentes illud teſtimonium ex 3.p.q.28. art.4. ad 1. referentes,ibi: *Ad primum ergo dicendum, quod quia videbatur lege prohibitum non dare operam ad relinquendum ſemen ſuper terram, ideò non ſimpliciter*: (cautè ſequentia omittunt) *Virginitatem vovit Dei Genitrix, ſed ſub conditione, ſi Deo placeret.* Conditionatum votum Dei Genitricis omittunt,quia conditio in DeiparaDomina noſtra abſolutum votum virginitatis Eliæ excludit, & huic teſtimonio reſpondent, quod in verbis Magiſtri illud videbatur eſſe prohibitum,non ſignificat aliquod præceptum, quod revera eſſet in lege, ſed quod adeſſe exiſtimaretur ex communiori opinione obſervantium prædictam legem; qui communitèr multi faciebant, relinquere filios,ita vt ſterilitas,vel vt quædam maledictio exiſtimabatur in populo: hæc Patres Salmanticenſes,& benè ad mentem D.Thomæ,ſed inconſequenter ad ſuam doctrinam,& intentionem.

34 . Nam tota hæc diſputatio dirigitur ad defendendum ſtatum verum religioſum publicum cum votis evangelicis inſtitutum ab Elia in illa lege, & contendunt, quod multa virorum, & fœminarum Monaſteria floruerunt in veteri teſtamento ex inſtitutione Eliæ,& Eliſei. In hoc ſtatu votum virginitatis, vel caſtitatis emittebant profitentes; nunc aſſerunt, quod ex communiori opinione reputabantur maledicti, qui filios non relinquebant ſuper terram: ergò ille ſtatus, vel non fuit inſtitutus ab Elia cum voto virginitatis,vel maledicti exiſtimabantur communitèr in illa lege Monachi,& Moniales vſque ad tēpus Deiparę Dominæ noſtrę, de quo procedit teſtimonium D. Thomæ; nec intelligibile videtur,quod hic error perſeverare potuiſſet in illo populo per tot ſæcula,quia Monachi illi contra vulgi opinionem prædicarent,& Pontifices populo propoſuiſ-

ſent

ſent veritatem; ſed Pontifex, & Sacerdotes voto Deiparæ ſtupefacti dubitaverunt, quid faciendum, vt conſtat 1. p. Diſc. 1. §. 4. ergo ſecundum doctrinam Salmanticenſium, & interpretationem ad teſtimonium D. Thomę, ſtatus virginitatis inſtitutus ab Elia incompatibilis eſt cum opinione populi Iudaici in tempore Beatæ Virginis, & ipſe Salmanticenſium opinioni repugnat.

35 Arguunt etiam Salmanticenſes, §. 2. n. 22. Virginitas licèt obſervari poſsit perpetuò ſine voto, tamen connaturalius ſervatur cum voto ex D. Thoma, & Auguſtino ibi à Salmanticenſibus laudatis. Atqui illi viri ſanctiſsimi in veteri teſtamento perpetuam obſervarunt caſtitatem; illam vt maius bonum elegerunt: ergo voto ſe aſtrinxerunt ad illam: Conſequentiam probant, quia in hominum geſtis illum modum obſervatum fuiſſe credendum eſt, qui in talibus actibus per ſe loquendo cõnaturaliter, & communiter convenire ſolet, alias oppoſitum eſſe divinare, & ſupra hiſtorias ſentire.

36 Hoc argumentum, ex maiori connaturalitate obſervandi virginitatem, votum non probat, niſi vellint Patres Salmanticenſes ſtatum Synagogæ, & Eccleſię confundere; nam quod eſt connaturalius in ſtatu perfecto, non eſt connaturale in imperfecto, vt patet: In ſtatu hominis virilis ſunt magis connaturales, fortes, & robuſti cibi, qui puerili ſtatui non conveniũt, immo ætati repugnant; quod ad rem expreſſum habemus in D. Paulo teſtimonium 1. ad Corinth. cap. 3. v. 2. ibi: *Tanquam parvulis in Chriſto lac potum dedi, non eſcam.* Status Synagogæ erat puerilis, & puerorum, vt ſæpè ex eodem Apoſtolo diximus: ergo illa, quæ conveniunt ad obſervantiam virtutum in lege gratiæ, & cum eis connaturali modo ſervantur in ſtatu perfecto Eccleſiæ non fuerunt connaturalia, nec convenientia in ſtatu puerili, & imperfecto Synagogæ. Hic modus arguendi ex Eccleſia ad Synagogam multis ſubiacet erroribus; nam eodem modo arguere poſſemus: Connaturalius, & convenientius obſervatur virginitas, ſumpto Euchariſtiæ Sacramento; ſed in lege veteri ex Dei ſpeciali inſtinctu, & revelatione virginitatem perpetuam obſervarunt aliqui: ergo ſacram Euchariſtiam receperunt? Cõſequentia non valet; quia hæc pendent ex divina inſtitutione, & voluntate, qua Deus ſecundum ordinatiſsimam providentiam dedit minora præcepta populo, quem adhùc timore alligare oportebat, & maiora præcepta, & conſilia populo, quem iam li-

liberare convenerat, vt ex D. Auguſtino diximus 1. p. Diſc. 1. §. 4. Itaque illa media, ſeù inſtrumenta, quę Chriſtus Dominus morte ſua, & doctrina inſtituit in ſua ſancta Sponſa Eccleſia ad faciliùs, & connaturalius finem legis conſequendum, & ad virtutes cuſtodiendas, & acquirendas in lege gratiæ, & libertatis, concedere in Synagoga Iudaiſmum ſapere videtur, quia vt ſępè diximus ex D. Ambroſio, & Auguſtino, & dogma catholicum eſt, Deus perfectiora ſervavit Eccleſię, tandem meliora conſilia, & Media connaturalia ad virtutes adquirendum iuſtè negata fuerunt in veteri lege in ſtatu ſervitutis, quia nondum genus humanum erat redemptum à peccato: & iuſtè dantur in lege gratiæ ex meritis Chriſti paſsi conſummata redemptione, & remoto impedimento peccati.

37 Aliud proponunt argumentum Patres Salmanticenſes: Beata Virgo in omnium ſententia votum ſuum virginitatis emiſsit ante Annuntiationem; & idem inferiori certitudine dicendum eſt de Sancto Ioſepho; ſed tunc durabat lex vetus: ergo aliqui ante illam votum virginitatis emiſerant in veteri teſtamento, ac perconſequens votum Deiparæ non opponitur ſuę ſententię, immo iuvat ad probandum, quod votum virginitatis non repugnat cum imperfectione veteris legis. Ad hoc argumẽtum facilis eſt ſolutio cum noſtra concluſione, quod Beata virgo fuit prima, quæ votum virginitatis emiſsit, & ex voto Deiparę votum Eliæ inferrè temerarium certè eſt, & hæc conſequentia diſparata. Votum virginitatis Deiparæ non repugnat cum imperfectione veteris legis: ergo nec votum Eliæ, & Eliſei: rationem reddit D. Thomas in 4. diſtinct. 30. q. 2. art. 1. ad 1. ibi: *Dicendum, quod B. Virgo fuit confinium veteris, & novæ legis, ſicut aurora diei, & noctis. & ideo votum eius ſapuit novam legem in quantum virginitatem vovit, & veterem in quantum conditionem oppeſuit.* Et ibidem ad 2. quod obſervatio conſiliorum aliquam inchoationem habuit in Chriſti Matre. Videant ergo Patres Salmanticenſes, quomodò componere poſsint hanc D. Thomæ doctrinam cum voto virginitatis abſoluto Eliæ, & Eliſei, & aliorum Monachorum, & Monialium veteris teſtamenti tot ſæculis emiſſò, antequam aurora legis gratiæ mundo appareret.

38 Arguunt tamen Salmanticenſes ex virginitate Eſſenorum, quorum errores ex Epiphanio, Hieronymo, Nilo, & alijs 2. p. Diſc. 1. §. 3. per totum oſtendimus, & infra aliqua dicemus; ſed quidquid ſit de corũ virginitate, & vita, votum Eſſenorum

non

non conſtat, nec Authores à Salmanticenſibus pro Eſſenis citati votum agnoſcunt, præcipuè Magiſter Sotus, & Carthagena, qui Primatum Deiparæ acerrime defendunt. Abulenſis pro noſtra ſententia militat, & quidquid ſit de aliquibus modernioribus, qui novitati Carmelitarum ſine examine adhærentes, votum virginitatis in veteri teſtamento aliquomodo doceant, tota antiquitas Sanctorum Patrum & Doctorum Primatum temporis in Deipara Domina noſtra confitetur & laudat, quã ſententiam fere omnes theologi propugnant & defendunt in laudem & honorem Sanctiſsimæ Dei genitricis.

§. IV.

De voto paupertatis veteris legis.

39 SVb nomine etiam Eccleſiæ, votum paupertatis in Synagoga quęrunt Salmaticenſes, dub. 3. & mirabilius opus gratiæ Chriſti in populo Iudaico ſtatuere, & ſtabilire intendunt; nil aliud magis Chriſti Domini potentiam explicat, & ſuæ gratię efficaciam, quam ſuper pauperes & nihil habentes republicam inſtituere Chriſtianam contra potentes ſęculi, & mundi divites perſeveraturam incolumem, & omnia regna mundi dominaturam in ſua paupertate. Hoc opus ſola Dei & hominis potentia fecit, & de eo Patres, & Doctores Eccleſię mirantur. D. Thomas lib. 1. contra Gentes, cap. 6. inter mirabilia Religionis Chriſtianæ ait, ibi: *In qua omnem intellectum excedentia prædicantur, voluptates carnis cohibentur & omnia quæ in mundo ſunt habere contemptui quibus animos mortalium aſſentire & maximum miraculum eſt, & manifeſtum divinæ inſpirationis opus, vt contemptis viſibilibus, ſola inviſibilia cupiantur.* Hoc maximum miraculum ab Elia factum in veteri lege, docent Salmaticenſes; nos verò opus Chriſti in Lege Gratię fuiſſe tenemus, & ſtatum paupertatis cum voto in Synagoga negamus.

40 Ad cuius intelligentiam neceſſarium eſt ad dicta reflectere, & ſupponere quod populo illi Iudaico & Synagogæ pręmia terrena fuerunt promiſſa, & nil aliud Iudæi cogitabant, Deum habere quod daret pro præmio, niſi temporalia, & terrena, vt ex D. Hieronymo, Auguſtino, & alijs Patribus oſtendimus 1. p. diſc. 1. §. 3. & alibi paſsim in hac controverſia. Eſt etiam ſupponendum; quod licet aliqui illius legis virtutem

pau-

paupertatis agnoverint,& in divitijs finem non conſtituerent; ſed aliud ſperarent præmium æternum, populo adhærebant, eadem facientes ſecundum illam legem, quia tunc non erat evangelicæ paupertatis exemplar, vt ex D. Bernardo oſtenditur 1.p.Diſc.2.§.5. Tandem ſupponimus: nos non negare aliquos in veteri teſtamento ſpeciali internoque Dei impulſu paupertatem amplexatos fuiſſe,& illam cuſtodiſſe perpetuam voluntariè, quia ad præſentem controverſiam non pertinet huiuſmodi obſervatio paupertatis, ſed quæſtio eſt an in Synagoga Iudæorum fuerit aliquis ſtatus, in quo profitentes ſe ad ſectandam paupertatem aſtringerent voto per abdicationem totalem omnium rerum temporalium, tàm in effectu, quàm in affectu proprietate,& vſu, in quo vera paupertas evangelica conſiſtit, quæ verum ſtatum conſtituit religioſum in Chriſti Eccleſia.

41 Hanc paupertatem voto firmatam in Synagoga negamus,& opus eſſe à Chriſto Domino inſtitutum in eius Eccleſia firmiter tenemus, quam ſententiam multis Sanctorum Patrum teſtimonijs confirmamus in tota hac controverſia, præſertim in 1.p.Diſc.2.per totum,& 2.p. Diſc. 3. §. 3. & Diſc. 4. per totum,& nunc expreſſum addimus teſtimonium D. Auguſtini ex Epiſt.89.ad Hilarium, ibi: *Hic vtique dicunt, ideò Patres antiquos non vendidiſſe omnia, quæ habebant, & dediſſe pauperibus, quia hoc eis non præceperat Dominus; nondum enim revelato teſtamento novo, quod non fieri niſi plenitudine temporis oportebat; nec eorum virtus fuerat revelanda, qua virtute hoc eos facilimè poſſe. Deus in eorum cordibus noverat, qui teſtimonium illis tam inſigne prohibebat, vt cum ſit omnium Sanctorum Deus tamquam de præcipuis amicis ſuis dicere dignaretur: Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, hoc mihi nomen eſt in æternum. Poſteà vero quam magnum pietatis Sacramentum manifeſtatum eſt in carne,& vocandis omnibus gentibus Chriſti adventus illuxit, in quem etiam illi Patres crediderant; ſed huius fidei olivam ſuo tempore manifeſtandam in illius arboris de qua Apoſtolus loquitur tamquam radice ſervabant, dictum eſt diviti: vende omnia, quæ habes,& da pauperibus,& habebis theſaurum in Cælis,& veni ſequere me. Hæc ſi dicant videntur aliquid rationabiliter dicere.* Et paulò poſt Chriſti Domini verba explicans Auguſtinus, ait ibi: *Verumtamen Magiſter bonus mandata legis, ab iſta excellentiore perfectione diſtinxit, ibi dixit: Si vis venire ad vitam ſerva mandata, hic autem: Si vis perfectus eſſe vade,& vende omnia, quæ habes,&c.* Secundum hanc doctrinam D. Auguſtini excellentiorem virtutem paupertatis evangelicæ à mandatis legis diſtin-

diſtinxit Chriſtus Dominus,& antiquis Patribus veteris teſtamēti non fuit revelata rerum temporalium abdicatio;ſed poſtquam vocandis omnibus gētibus adventus Domini illuxit, propoſita,& revelata fuit Eccleſię in ſacroſancto evangelio: ergo iuxta D.Auguſtinum votum paupertatis non fuit revelatum, & cognitum in populo Iudaico.

42 Addimus etiam teſtimonium Venerabilis Bedę receptum,& approbatum ab Eccleſia in Officio Converſionis S. Pauli in 1.lect.Homil.ibi: *Perfectus ille eſt, qui abiens vendit omnia quæ habet,& dat pauperibus,& veniens ſequitur Chriſtum.* Et in 3.lect. ibi: *Sciendum namque eſt, omnes qui ad exemplum Apoſtolorum ſua reliquerunt omnia,& ſequuti ſunt Chriſtum, iudices cum eo venturos.* Et in Homilia, quæ dicitur ab Eccleſia in feſto Sancti Bernabæ Apoſtoli ex D. Ioanne Chryſoſt. poſtquam in 1. lect. ſolicitudinem rerum temporalium à cordibus diſcipulorum eiecerit Dominus,& ab omnibus negotijs ſæcularibus alienatos, ab omniumque temporalium rerum cura liberatos inſtituerit, & docuerit in 2.lect.legitur,ibi: *Iam vero,vt intelligant, novum hoc eſſe belli genus,& inſolitum præliandi morem cum illos nudos mitteret vna indutos tunica ſine calceis, abique virga,& abſque Zona,& pera,& ab excipientibus ali iuberet,&c.* In his ergo Homilijs Sancta Mater Eccleſia nobis proponit novum eſſe,& inſolitum evangelica paupertate præliari in quo Apoſtoli primum exemplar fuerunt: ergo hic prēliandi modus in paupertate non fuit in veteri teſtamento, ſed novus,& inſolitus à Chriſto inſtitutus in ſuis Apoſtolis.

43 Statum paupertatis intelligimus,non qualemcumque, ſed illum in quo omnia propter Deum relinquuntur, & ſimul poteſtas acquirendi voto perpetuo adimitur,& omnia terrena contemptu abdicantur. Mirabilem excellentiam ſtatus evangelicę paupertatis conſideravit D.Thomas 1.contra Gentes cap. 6.& maximum Chriſti gratię miraculum exiſtimavit ad probandam veritatem fidei Chriſtianæ,vt oſtēdimus ſupra in principio huius §. In quibus Angelici Magiſtri verbis maximum miraculum gratiæ Chriſti exiſtimat: quod Chriſtus Dominus terrenis cordibus conſilio ſuo evangelico terrenorum omnium affectum eradicavit,vt cœleſtia promiſſa poſſiderent. Hoc mirabiliſsimum miraculum in ſtatu imperfecto Synagogæ non fuiſſe auditum oſtendimus in 1.p.Diſc.2.§.4.ex Sanctis Patribus Hieronymo,& Auguſtino,& ex D.Bernardo ibidem §.5.

44 Ratione etiam ex dictis confirmatur comparando ſtatum

ſtatum Synagogæ huic ſtatui paupertatis præſentis Eccleſiæ: ſtatus paupertatis ex conſilio conſtitutus per votum, quo omnia terrena abdicantur, & contemnuntur propter præmium promiſſum incompatibilis eſt cum ſtatu imperfecto Synagogæ, in qua ex lege tantum promittebantur terrena pro præmio virtutum; ſed in ſtatu imperfecto, & ſervitutis Synagogæ tantum promittebantur terrena pro pręmio virtutum: ergo cum hoc ſtatu imperfecto Synagogæ incompatibilis fuit ſtatus paupertatis præſentis Eccleſiæ conſtitutus ex conſilio paupertatis evãgelicæ cum voto: Maior eſt certa ex differentia legum, & ſtatuum: Minor conſtat ex dictis in tota hac controverſia, pręſertim 1.p.Diſc.1.§.3.& 4.& alibi.

45 Plurimis D.Thomæ teſtimonijs hæc noſtra concluſio probari poteſt, præſertim ex 2.2.q.108.art.2. ad 3. vbi Angelicus Magiſter docet ex Div. Auguſtino, quod pro illo ſtatu Chriſti viventis in quo ſimul currebant lex, & evangelium, ſuis conceſsit diſcipulis, vt pro tempore illo ante ſuam mortem prędicarent, & peregrinarent in paupertate ſine pera, & baculo, cum poteſtate eleemoſynam petendi ad victum propter prædicationis Officium: ergo ante adventum Chriſti non fuerat inſtitutus ſtatus paupertatis; nec votum illius cognitum, quia alias non indigerent diſcipuli hac conceſsione, ſiquidem ab Elia multis retro ſæculis fuerat inſtitutus ſtatus paupertatis cum voto. Videatur hoc D.Thomæ teſtimonium in 1.p.Diſc.1.§.4.

46 Ex eodem D.Thoma confirmatur; nam in 1. 2. q. 108.art.4.in corp.ſupra citato expreſsè negat S. Doctor conſilia evangelica in veteri lege, & ad 1.ait ibi: *ideò Dominus conſilia evangelica proponens ſemper facit mentionem de idoneitate hominum ad obſervantiam conſiliorum*; ſed in veteri teſtamento non erant homines idonei ad votum paupertatis: ergo non fuit datum, nec inſtitutum ab Elia in Synagoga: Minor probatur, quia populus ille erat divitijs deditus, & avarus. Tum etiam: ex lege nõ erant idonei, quia lex Moyſis permittebat vſuras ab extraneis. Tum etiam; quia lex eis tantum promittebat terrena pro præmio, & tenerentur profitentes contemnere promiſſa à Deo. Denique quia in Deuter.cap.15.v.4.dicitur ibi: *Omninò indigens, & mendicus non erit inter vos*: ergo licèt aliqui iuſti ex Dei ſpeciali inſtinctu paupertatem amplecterentur, & divitias contemnerent, Synagoga non erat idonea, vt in illa inſtitueretur ſtatus paupertatis publicus, in quo votum emitteretur contra bona tempora-

lia

lia in lege promiſſa, in quo conſiſtit difficultas huius contro-verſiæ,& conſtat ex doctrina D.Thomæ 1.p.q.99.art.6.

47 Tædio reſpondent Salmaticenſes huic argumento, & verba referunt Sapientiſsimi Patris Magiſtri Bartholomæi de Medina,qui ex Spiritus Sancti ductu,aliquos in veteri teſtamento docet conſilia obſervaſſe virginitatis, paupertatis, & obedientiæ; ſed quis hoc ſine voto negat? Magiſter Medina Monachorum prævia ſimulacra fuiſſe illos docet, & vota negat in veteri teſtamento, vnde contra Patres Salmaticenſes directè militat: reſpondent etiam ratione, & eſt vnica totius controverſiæ,quod in illa lege extiterunt ſanctitas & virtutes ex gratia Chriſti, cui veteris legis iuſti media fide incorporabantur: ergo & vota religioſa: Sed tædet hic inmorari; quia ſæpè diximus,quod à ſanctitate & perfectione perſonarum ad ſtatum non valet argumentum; quo vſus fuit Rabbi Herbam contra Sanctum Gregentium ad probandam perfectionen veteris legis, vt ſupra 2.p. diſc.5.§.7 & ex D. Thoma ſupra diximus in hoc diſcurſu §. 2. quod virginitas poteſt ſervari in ſtatu, id eſt, cum voto & ſine ſtatu,hoc eſt,ſine voto;ſic & pauperes fuerũt iuſti aliqui veteris teſtamenti extra ſtatum paupertatis cum propoſito,ſine voto,nec aliud dicunt,nec intendunt laudati à Salmaticenſibus,vt ex teſtimonijs notum eſt.

§. V.

Argumenta Salmaticenſium pro voto paupertatis veteris legis ſolvuntur.

48 PRimo, aliqui in veteri teſtamento amplexati ſunt paupertatem ex propoſito voluntario: ergo ex voto.Conſequentiam probant: in veteri teſtamento amplexati ſunt paupertatem, quia cognoverunt illam conducere ad maiorem ſanctitatem cui vacabant; ſed etiam cognoverunt ad prædictum ſtudium magis conducere illam ſervare cum voto,quam ſine voto: ergo emiſſerunt votum.Diſcurſum probant, quia generaliter homines veteris teſtamenti cognoverunt vtilitatem voti, maiorem firmitatem, & perfectionem cultum illius.

49 In ſubſiſtentiam huius diſcurſus oſtendimus 2. p. diſc. 1.§.5, & nunc contra Salmaticenſes magis demoſtratur: In

lege gratiæ,in qua vota expreſsè continentur,& eorum vtilitas eſt magis nota,cultuſque diffinitus ab Eccleſia, quamplurimi virtutes conſiliorum obſervant in ſancto propoſito ſine voto, cognita eius vtilitate,& firmitate:ergo ex cognitione voti, & virtutis non infertur votum. Plurimis exemplis demonſtrari poteſt.Obſervantiſsimi PP.Minimi ex voto vitam quadrageſimalem obſervant,& multi alij religioſi,& Eremitæ,qui vtilitatem,& meritum eius cognoverunt in rigidiori obſervantia abſtinentiæ perſeveraverunt vſque ad mortem cum ſancto propoſito ſine voto: ergo ex perſeverantia in actibus difficilibus virtutum non infertur votum;quia gratia Dei,& donum perſeverantiæ non alligantur votis: Deus enim etiam ſanctis propoſitis favet,adiuvat,& ſua gratia prævenit,ac proſequitur: & ex D.Thoma virtutes poſſunt obſervari propoſito, & voto, & ex propoſito ad votum non valet argumentum in 4. diſtinct. 38. art.1.ad 1.ibi: *Dicendum,quod velle aliquid,non eſt vovere,& ideò propoſitum non eſt votum,ſed enuntiatio illius propoſiti per modum promiſsionis.*Et ibidem: *Si tamen ſimpliciter votum diceretur eſſe propoſitum, eſſet prædicatio per cauſam,quia propoſitum eſt principium voti, ſicut etiam quandoque ipſum deſiderium oratio vocatur*: ergo.

50 Secundo conſequentiam probant: Non eſt minus difficilè ex parte materię votum caſtitatis, quam paupertatis; ſed ex eo quod aliqui voluntariam obſervaverint caſtitatem perpetuò benè infertur votum, vt in Ioanne Baptiſta: ergo pariter ex eo,quod aliqui obſervaverint paupertatem perpetuam benè infertur votum. Reſpondetur, diſcurſum Salmanticenſium falſum ſupponere,ſcilicèt, quod ex obſervantia perpetua caſtitatis votum inferatur, nam Elias,& Hieremias in ſententia Div. Thomæ virginitatem perpetuam cuſtodierunt ex propoſito, ſine voto, & multi in lege gratiæ caſtitatem perpetuam tenuerunt in Cœlibatu ſine voto,quia vt ſupra diximus ex Div. Thoma,virginitas perpetua obſervari poteſt cum voto & ſine voto;& adhuc admiſſo,& non conceſſo,quod virginitas obſervari non poſsit perpetuò,& ſine voto,ad paupertatem non valet conſequentia,neque ratione materiæ,neq; ratione difficultatis,quia multi Philoſophi Gentiles ex naturali motivo divitias contempſerunt,& voluntarie pauperes facti ſunt,vt obſervavit Sanctus P.N.Hieronymus lib.3.in Matthęum, cap. 19.& legitur ab Eccleſia in Homilia de Communi Abbatum, ibi: *Non dixit: qui reliquiſtis omnia: Hoc enim, & Crates fecit Philoſophus,*

& multi alij divitias contempſerunt, &c. ergo non ſolum cum ſancto propoſito ex fine ſupernaturali, ſed ex naturali motivo, & morali propoſito poſſunt divitiæ contemni, ac perconſequens ex paupertate voluntaria ad votum non valet conſequentia.

51 Addunt Salmanticenſes generalem ſuam congruentiam in omnibus votis; quia vniformis, & continuus modus ſe habendi in materia ex ſe difficili, & naturæ repugnante, vix intelligi poteſt abſque aliqua obligatione, quę voluntatem ad illam determinet, at vbi hæc obligatio non provenit ex lege, vt in materia conſiliorum, opus eſt vt proveniant ex voto: ergo ſi illi veteris teſtamenti iuſti paupertatem perpetuam voluntariè obſervarunt, voto ſe aſtrinxerunt.

52 Huic argumento in primis reſpondetur interrogando à Salmanticenſibus, qua lege, vel voto Philoſophi illi, de quibus S.P.N. Hieronymus, divitias contempſerunt, & voluntariè facti ſunt pauperes? Reſpondetur etiam: quomodo ex D. Thoma aliqui opera perfectionis obſervant, qui non ſunt in ſtatu perfectionis ſine voto, & multi conſilia evangelica ſine votis in vita communi Chriſtianorum cuſtodiunt, & ſunt perfecti? Quia conſilia nulla obligatione ligant, vt notum eſt, & multi Anachoretæ, & Eremitæ in ſumma paupertate vixerunt, qui vota non emiſſerunt, vt conſtat ex cap. Per latum 19. quæſt. 3. ergo ſine votis conſiliorum virtutes adimpleri poſſunt. Ex doctrina Salmanticenſium neceſſario infertur; quod vix poſsit intelligi aliquis caſtus, pauper, & in aliqua virtute perfectus in communi vita Chriſtianorum ſine votis, quod durum eſt. Vix etiam intelligi poſſet, quod in ſtatu Eccleſiaſtico ſæculari pauperes ſpiritu ſint, & divitias contemnant, pauperibuſque diſtribuant ſine voto. Hæc falſa ſunt, vt ex ſe patet, & contra expreſſam Angelici Magiſtri doctrinam, qui aſſerit, quod opera perfectionis adimpleri poſſunt cum voto, & ſine voto extra ſtatum perfectionis, vnde ex paupertate aliquorum veteris teſtamenti, nec ſtatus religioſus infertur, nec votum.

53 Secundo arguunt: licèt Scriptura Sacra expreſsè non dicat, quod Apoſtoli votum paupertatis emiſſerunt, nihilominùs ex eorum factis colligitur votum; atqui ſimilia facta reperiuntur in aliquibus veteris teſtamenti: ergo benè in illis votum paupertatis infertur: Minorem probant ex Abulenſi, qui in multis comparat Eliſeum Apoſtolis in temporalium abdica-

tio-

tione, & contemptu. Reſpondetur: quod in multis deficit hoc argumentum ex ſimilitudine rerum, operum, & actionum veteris, & novi teſtamenti; nam certum eſt, quod figura ſimilis eſt figurato, vmbra corpori, & typus Prothotypo, & hoc modo comparantur à Doctoribus Catholicis geſta veteris, & novi teſtamenti: arguere enim eamdem veritatem, & proprietatem ex comparatione rerum vtriuſque teſtamenti, & ſimilitudine, nec licèt, nec oportet in Chriſti Eccleſia, quia alias omnia myſteria Chriſti, & ſtatus Eccleſiæ, quæ in veteri teſtamento fuerunt adumbrata, & prefigurata, & paſsim à Sanctis Patribus ad invicem comparantur, fuiſſent in veteri teſtamento in vim conſequentiæ Salmanticenſium; & iuxta eorum doctrinam hæc eſſet bona conſequentiæ: Melchiſedech panem, & vinum obtulit, & huic ſacrificio in multis comparant Patres, & Doctores Euchariſticum legis gratiæ: ergo Melchiſedech verum obtulit Deo ſacrificium legis gratię, ſicut obtulerunt Apoſtoli in Sacrificio Miſſæ? Abſit: ergo ex comparatione actionum, rerum, & geſtorum veteris, & novi teſtamenti non licèt inferre identitatem, veritatem, & proprietatem, ſed figuram in illa lege, & veritatem in evangelio.

54 Nec favet Salmanticenſibus, quod vota Apoſtolorum non ſint expreſſa in novo teſtamento, quia licèt hoc nomine non inveniantur alijs æquivalentibus verbis, & factis vota Apoſtolorum ſignificantur, ſecundum doctrinam Sanctorum Patrum ab Eccleſia receptam, quia expreſsè conſtat in evangelio inſtitutio conſilij paupertatis, & in hoc conſilio perfectionem evangelicam expreſsit Chriſtus Dominus in illis verbis: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, &c.* In quibus, conſilium à pręceptis diſtinxit Redemptor: Expreſſum eſt etiam in novo teſtamento, quod conſilia ex voto obſervata ſunt maioris perfectionis, & meriti: Hanc doctrinam prædicaverunt Apoſtoli, & præcipuè D. Paulus: expreſſum eſt etiam, quod Apoſtoli fuerunt fundamenta Eccleſiæ, quod primitias Spiritus Sancti receperunt; perfectiſsimumque ſtatum tenuerunt, & ad culmen perfectionis evangelicæ receperunt: ergo in his factis, geſtis, & dictis Apoſtolorum vota, & conſilia expreſsè ſignificantur, & continentur.

55 Ex ipſa inſtitutione Apoſtolatus conſtat; quod Apoſtoli conſilia evangelica ſub voto obſervarunt, nam in eis conſtituit Chriſtus perfectiſsimum ſtatum ſuæ Eccleſiæ, vt evangeliũ ſuum

omni creaturę prędicarent: ergo illas virtutes, quas vniverſo orbi prædicaturi erant, perfectiori modo habuerunt; at perfectior modus habendi virtutes conſiliorum eſt cum voto: ergo vota conſiliorum emiſſerunt Apoſtoli. Diſcurſus procedit ex teſtimonio S. Ioannis Chryſoſtomi recepto ab Eccleſia in Officio eiuſdem Doctoris in Homil. lect. 2. ibi: *Dicendo enim vos eſtis ſal terræ, oſtendit, vniverſam hominum infatuatam eſſe naturam, & idcircò illas ab eis virtutes requirit, quæ maximè ad multorum ſalutem procurandam neceſſariæ ſunt, atque vtiles.* Sed conſilium paupertatis cum voto eſt vtilè ad ſalutem ſpiritualem conſequendum: ergo ex ipſa inſtitutione Apoſtolorum requiſivit Chriſtus Dñs ab eis votum paupertatis, vt ſacroſanctum ſuum evangelium prædicarent vniverſo orbi, & naturam humanam infatuatam, & corruptam ſanarent. Nullibi in Sacris Scripturis reperitur, quod Deus in Synagoga veteris legis inſtituerit perfectionis ſtatum, nec conſilium paupertatis in ea fuit auditum, & revelatum, vt oſtendimus ex Parenti noſtro Hieronymo 1. p. Diſc. 2. §. & ex D. Bernardo ibidem, §. 5. ergo ex perfectione Apoſtolorum, & paupertatis voto illorum ad Eliſeum, & alios veteris teſtamenti arguere temerarium eſt. Abulenſis Eliſei paupertatem laudans adverſarijs non favet, quia expreſsè negat vota religioſa in veteri teſtamento, vt in 1. p. Diſc. 2. §. 6. & in eodem ſenſu loquuntur Doctores, qui paupertatem Prophetarum laudant, & prædicant.

56 Repetunt Hiſtorici Prophetici argumentum de munere oblato Eliſeo, & inter filios Prophetarum diſtributio ex 4. Reg. 4. ſed huic argumento reſponſum dedimus 2. p. Diſc. 4. §. 2. & addunt PP. Salmanticenſes ollam grandem ex eodem cap. Reg. ibi: *Pone ollam grandem, & coque pulmentum filijs Prophetarum*: & laudant S. P. N. Hieronymum, & Theodoretum, qui maximè celebrant abſtinentiam, & paupertatem filiorum Prophetarum, & arguunt: ſed habere menſam communem, & vilibus vti alimentis pertinet ad pauperes ex voto: ergo Eliſeus, & filij Prophetarum ex voto erant pauperes.

57 Sed hoc argumentum ex olla grandi inſipidum eſt; nam Venerabiles Presbyteri Congregationis S. Philippi Neri menſam habent communem, parciſque vtuntur, cibis, & voto paupertatis non aſtringuntur, & ſic ſe habet Congregatio S. Laurentij Iuſtiniani in Luſitania, & ſtatu Veneto, & in multis alijs

Con-

Congregationibus: ergo ex menſa communi non infertur votum paupertatis. Ex olla grandi ſolum probatur miſericordia Eliſei erga pauperes filios Prophetarum; non votum, nam multi miſericordia moti ollam grandem ponere præcipiunt pauperibus Carcerum, & in omnibus Monaſterijs olla grandis ponitur ad oſtium pauperibus diſtribuenda, & minimè votum licèt inferre in pauperibus comedentibus.

58 Ex pœna Giezi propter munera recepta à Naaman votum paupertatis conantur adſtruere Salmanticenſes, ſed fruſtra, quia ex alijs Capitibus fuit impoſita hæc pœna, vt conſtat èx Patribus. Tum etiam, quia ex ipſa pœna manifeſtum eſt, quod Giezi non fuit in ſtatu religioſo, ſed vxoratus, lib. 4. Reg. cap. 5. v. 27. ibi: *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo vſque in ſempiternum*: ergo Giezi erat in ſtatu in quo filios generare poterat, ad quos pœnam extendit Eliſeus propter munera recepta, ac perconſequens non fuit punitus propter violationem voti paupertatis in ſtatu religioſo Monaſtico.

59 A ratione confirmant argumentum. Vt quis dicatur eſſe in ſtatu paupertatis debet ad paupertatem ſe voto obligare; ſed Elias, Eliſeus, & filij Prophetarum habuerunt ſtatum voluntariæ paupertatis: ergo, &c: Maiorem benè probant, & probationem admittimus: Minorem, in qua eſt difficultas, probant ex D. Paulo ad Hebræos cap. 11. ibi: *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis ægentes, &c.*

60 Maiorem ſupra dicti argumenti admittimus, licèt abſolutè diſtingui poſsit: vt aliquis ſit in ſtatu paupertatis requiritur votum: diſtinguo, vt aliquis ſit in ſtatu paupertatis religioſo concedo: vt aliquis ſit in ſtatu abſolutè nego, nam ſtatus cōſtituitur à lege ligante, vel ab aliqua alia obligatione, vel pacto, vnde ex ſtatu paupertatis ad votum non valet conſequentia abſolutè, quia poteſt aliquis in ſtatu paupertatis conſtitui aliqua lege privante bonis temporalibus quoad poſſeſsionem, & proprietatem; nec adhùc ex ſtatu paupertatis ex voto ad ſtatum religioſum valet conſequentia, vt patet in Clericis in ſacris cōſtitutis, qui ſunt in ſtatu caſtitatis extra ſtatum religioſum, quod vero ſtatus non inferat votum manifeſtè probatur in religionibus legis gratię; nam religiones Sanctiſsimæ Trinitatis, & B. Mariæ de Mercede ſunt in ſtatu ſpecifico redimendi captivos, prima ex lege, ſecunda ex quarto voto: ergo idem ſtatus poteſt conſtitui ex lege, vel ex voto ſecundum minorem, vel maiorem

perfectionem illius: ergo adhùc dato, & non conceſſo quod Elias, Eliſeus,& filij Prophetarum fuerint in ſtatu paupertatis, non infertur votum; ſed aliqua obligatio ex lege, vel ex pacto: Minor,ſcilicèt,quod Elias,Eliſeus,& filij Prophetarum fuerunt in ſtatu paupertatis, minimè ex verbis relatis D. Thomæ probatur, immo contrarium nos docet Angelicus Magiſter; quia immediatè ad verba ſupra relata ex lectione octava in cap. 11. ad Hebræos,ibi:*Quantum autem ad ſtatum perſonæ dicit ægentes, quia carebant divitiis*. Proſequitur Angelicus Magiſter,ibi: *In quo præfigurabant ſtatum perfectionis novi teſtamenti*.In quibus verbis advertendum eſt,quod ille ſtatus erat perſonarum, & præfigurativus ſtatus perfectionis novi teſtamenti, qui quidem ſtatus figurativus ſine voto conceditur in veteri lege; at vero Patres Salmanticenſes contra expreſſam doctrinam D. Thomæ figurativum fuiſſe negant,& verum,& evangelicum quoad ſubſtantiam fuiſſe dicunt in illa lege: Multi etiam Eremitæ in habitu pauperrimo paupertatem ſequuntur, & non ſunt in ſtatu paupertatis cum voto.

61 Ad confirmationem ex EpiſtolaSancti Patris noſtrì Hieronymi reſpondemus, ſententiam Maximi Doctoris apertam eſſe contra votum paupertatis in veteri lege, & totalem, vel omnimodam abrrenuntiationem in ea, cuius verba dedimus 1.p.Diſc.2.§.4.& ad teſtimonium ex Epiſtola ad Ruſticum reſpondetur 2.p.Diſc.4.§.2.De Eſſenis dicimus fuiſſe pauperes ſicut illi Philoſophi,qui divitias contempſerunt, vt ſupra diximus ex D.Hieronymo,& de eorum erroribus 2.p.Diſc. 1. §.3. De Rechabitis videantur quæ dicta ſunt ibidem 2.p.Diſc.4.§.1. vbi ex eis nec votum paupertatis,nec obedientiæ probari manifeſtum eſt. Omnia alia argumenta,quæ authoritate aliquorũ Doctorum conficiunt Salmanticenſes,paupertatem probant,& votum non concludunt,quia,vt ſępè diximus ex D.Thoma, ex actibus virtutum ſtatum, & vota in eiſdem virtutibus nequit probari,nec licèt inferri,quod expreſsiùs docet Opuſc.19. cap. 20.ibi: *Iam enim ſupra dictum eſt aliud eſſe perfectionis actum, atque aliud perfectionis ſtatum; nam perfectionis ſtatum non efficit, niſi perpetua obligatio ad ea, quæ ad perfectionem ſpectant, ſine qua plurimi perfectionis opera exequuntur, puta, qui in nullo voto continentiam ſervant, aut in paupertate vivunt*, Hæc D.Thomas: ergo eius diſcipulis non licèt ex actibus paupertatis Eliæ,& Eliſei,& aliorum veteris teſtamẽti inferre votum,vel ſtatum paupertatis; ſed actum perfectionis hu-

huius virtutis in quo perſeveraverunt ex ſancto internoque impulſu, vt in figura ſtatus perfectę paupertatis legis gratiæ ex voto. Nil aliud probant Salmanticenſes teſtimonijs Sanctorum Patrum laudantium paupertatem veteris legis, qui iuxta veram intelligentiam D. Thomæ ſunt ęxplicandi, & intelligendi, & niſi afferant aliquod teſtimonium antiquum, quod votum explicet, vel ſignificet, vel inſtitutionem ſtatus paupertatis in veteri lege conſtituant, fruſtra laborant doctiſsimi Patres Salmanticenſes.

§. VI.

An in veteri teſtamento fuerit obedientiæ votum?

62 INter cętera religionis vota, obedientiæ ſacrificium perfecit, & perfectius votum eſt, quia in eo alia continentur, & cętera quoddam modo includit, vt probat D. Thomas Opuſc. 18. cap. 11. in hoc voto abiectio propriæ voluntatis conſiſtit, & in eo holocauſtum perfectionis conſumatur, vt docet D. Thomas ibidem cap. 10. Hoc votum dupliciter fieri poteſt, vel libertatem adimendo particulariter, circa aliquid particulare opus obediendi, vel totaliter propriæ libertati abrenuntiando ſe propter Deum alijs ſubijciendo, in quo perfecta obedientia conſiſtit, vt ibidem Angelicus Magiſter, ibi: *Aliqui vero libertati propriæ voluntatis totaliter abrenuntiant, ſe propter Deum alijs ſubijcientes per obedientiæ votum, cuius quidem obedientiæ exemplum præcipuum habuimus in Chriſto, de quo Apoſtolus dicit ad* Romanos *5. Sicut per innobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi; ita per vnius obeditionem iuſti conſtituerentur multi, quam quidem obedientiam Apoſtolus manifeſtat ad Philippenſes 2. dicens: Humiliavit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem. Hæc autem obedientia in abrenuntiatione propriæ voluntatis conſiſtit, vnde ipſe dicebat Matth. 26. Pater mi, ſi poſsibile eſt tranſeat à me Calix iſte, verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu, &c.*

63 Concedimus in veteri teſtamento fuiſſe obedientiæ virtutem, & aliquomodo voluntariam aliquam ſubiectionem ex pacto, vel voto circa aliquod opus particulare; ſed votum per abrenuntiationem propriæ voluntatis negamus in illa lege, antequam Chriſtus Dominus per ſuam obedientiam nos liberaret à peccato inobedientiæ: Patres vero Salmanticenſes veterem legem nimis extollẽtes, hoc legis gratiæ perfectiſsimum,

& ſpirituale holocauſtum inter vitulorum,& arietum carnalia ſacrificia ab Elia inſtitutum fuiſſe acerrime docent, adhùc inobedientiæ peccato non redempto per obedientiam Salvatoris, qua nobis dedit obedientiæ totalis præcipuum exemplum,& in hoc dubio 4. novitatem ſuam propugnant ſequentibus argumentis.

64 Primo: filij Prophetarum præſtabant obedientiam Eliæ,& poſt eum Eliſeo tamquam Superiori: ergo ex voto: Antecedens probant ex Lyra, & Suarez ibi laudatis: Conſequentiam ſuo ſolito,immo,& vnico diſcurſu in omnibus votis: Amplectebantur obedientiam,quia cognoſcebant multum conferre ad perfectionem; ſed etiam cognoſcebant perfectiorem eſſe obedientiam ex voto: ergo votum obedientię emiſerunt.

65 Ex hoc argumento aliud formatur,quia Sanctiſsima Virgo Thereſia à Ieſu cognovit perfectionem virtutum,& maiorem perfectionem voti,emiſsit votum perfectiora faciendi in omni virtute; ſed omnes ſancti,& iuſti cognoverunt perfectionem virtutum, & excellentiam voti: ergo omnes ſancti emiſerunt votum B. Thereſiæ? iure optimo conſequentiam negabunt,quia ex cognitione virtutum,& excellentiæ voti votum non infertur,& dicent,quod illa fuit gratia ſpecialis facta huic Chriſti Sponſæ, divinis auxilijs præventem,& huic perfectioni proportionatæ; hoc ipſum ad argumentum reſpondetur,quod veteris teſtamenti iuſti virtutem obedientiæ cognoverunt,& voti obedientię excellentiam; ſed emiſsio huius voti fuit gratia ſpecialis,quam Deus reſervavit ſpiritui ſuæ Sponſę, & Eccleſiæ legis gratiæ,cui perfectiora præcepta, & conſilia dedit,vt conſtat ex Scriptura,& Patres teſtantur. Tum etiam, quia in Sanctorum canonizationibus plurimæ virtutes in gradu heroico probantur,quæ non fuerunt ex voto: ergo ex cognitione virtutis,& voti,in exercitio virtutum,licèt fuerint in gradu heroico,non probatur votum,ſed perfectio in actu, & habitu ex propoſito,non vero in ſtatu ex voto.

66 ConfirmantSalmanticenſes argumentum: Nequeunt plures in communitate vivere abſque obligatione obediendi alicui Superiori; ſed filij Prophetarum vivebant in communitate: ergo habebant obligationem obediendi alicui ſuperiori,atqui hæc obligatio non oriebatur ex lege,ſiquidem hæc aſsignari non poteſt: ergo ex voto: laudant Tamburinum tom. 1. de iure Abbat.diſp.2.quæſit.1. dicentem probabiliter filios Pro-

phe-

phetarum, & Eſſenos vnum ſibi caput conſtituiſſe, cui obedientiam promitterent. Admiſſa maiori, negatur minor, ſcilicèt, quod filij Prophetarum vivebant in communitate Monaſtica, quæ requiritur ad votum obedientiæ; nam hæc vita communis cum voto ante adventum Chriſti Domini, & Spiritus Sancti deſcenſum, non fuit audita in Iudęa, vt expreſsè docet D. Auguſtinus in Pſalm. 132. laudatus ſupra 1. p. Diſc. 2. §. 4. Vivebant in vita communi aliquomodo, vel aliqua lege, vel pacto; nec obſtat minor ſubſumpta, quod hæc obligatio non erat ex lege, quia aſsignari non poteſt votum; & Salmanticenſibus affirmātibus eſt onus probandi. Tum etiam, quia negativa voti fundatur in imperfectione illius legis, & in ſtatu imperfecto illius populi, & Synagogę propter peccatum inobedientiæ, à quo non dum genus humanum erat redemptum perfectiſsima Chriſti Domini obedientia. Fundatur etiam plurimis teſtimonijs Sanctorum Patrum, & præcipuè D. Thomæ, ſupra adductis: Patres vero Salmanticenſes licèt pro obedientia in veteri teſtamento aliquos Doctores habeant, pro voto ex antiquis nullum habēt: ex Sacra Scriptura vmbram tantum probant, & à ratione nullum argumentum probabiliter concludit: ergo firma ſubſiſtit negativa voti.

67 Nec refert dicere cum eiſdem Salmanticenſibus; quod vita communis filiorum Prophetarum non ordinabatur ad aliquem finem polyticum, ſed ad maiorem cultum Dei, & eminentiorem gradum virtutis, & vt inſiſterent in perfectione, eligebant obedientiam præſtare alicui Superiori, vt à vulgari modo vivendi diſtinguerentur: ergo promiſsio, qua ſe aſtringebant, erat ex voto: Laudant Samnium, Arboricenſem, & Salianum; ſed hi obedientiam filiorum Prophetarum laudant, & nullus exprimit votum. Contra hunc diſcurſum Salmanticenſium militat tota venerabilis Congregatio Sancti Philippi Neri, in qua omnes Presbyteri in communitate vivunt, & non ordinantur ad aliquem finem polyticum, ſed ad perfectiorem cultum Dei, & eminentiorem profectum ſpiritualem conſequendum, & inter illa floruerunt viri in virtute obedientię eminentiſsimi non aſtricti voto: ergo ex vita communi ordinata ad maiorem perfectionem votum non probatur obedientiæ in veteri teſtamento. Inſtabunt Salmanticenſes, quod in hac Congregatione, & alijs aſsignatur lex obedientiæ. Ad hoc facilè reſpondetur ex dictis ſupra, quod in filijs Prophetarum, nec lex,

nec

nec votum aſsignatur,ac perconſequens ex illorum obedientia nulla obligatio probatur, ſed tantum voluntaria, & libera ſubiectio, vt ſolent ſubijci ſpirituales filij Patribus,& conſcientiarum directoribus.

68 Secundo arguunt ex 3.Reg.cap.19. in quo Eliſeus, relictis bobus,veniam petijt ab Elia,vt oſcularetur patrem, & matrem,qui dixit Eliſeo:*Vade,& revertere, quod enim meum erat feci tibi*.Et poſt pauca,ibi: *Conſurgenſque abijt, & ſecutus eſt Eliam, & miniſtrabat ei*. Et addunt doctrinam Valentiæ 2.2.diſp. 10.q.4. punct.1.§.5.quod in ſcriptura directè nō commemoratur obedientiæ votum,ſed ex ea colligitur ex Matth.cap.19. *Si vis perfectus eſſe,&c.Veni, ſequere me*: nam perfecta ſequella importat votum, vt non poſsit retrocedere,& qui obedientiæ voto ligatur,ſimilis eſt Crucifixo,ex Caſiano lib.4.inſtitutionum cap.35.

69 Huic argumento facilis eſt ſolutio ex dictis §. ſuperiori circa votum paupertatis,quia à veteri ad novum teſtamētum ſemper intellectus Catholicus, & fidelis procedere debet diſcurſu allegorico,hoc eſt,à figura ad figuratum, ab vmbra ad veritatem,vt advertit venerabilis Epiſcopus Chryſtopolitanus laudatus ſupra 1.p.Diſc.2.§.2.quia arguere à rebus geſtis, & factis ex veteri teſtamento ad novum,& ex novo ad vetus in eadem veritate,& proprietate periculoſum eſt, & erroribus proximum.Differentias inter ſequellam diſcipulorum Chriſti, & Apoſtolorum,& Eliſei ad Eliam oſtendimus ſupra 2.p. Diſc. 3.§.3.Ad doctrinam Valentię dicendum eſt,quod licèt votum obedientię hoc nomine non ſit expreſſum in evangelio,reperitur tamen expreſsiſsimum per eius eſſentiam, effectus, & proprietates ſecundum inſtitutionem Chriſti Domini qualiter ſæculis non fuit auditum,vt optimè advertit Angelicus Magiſter, Opuſc.18.loco citato,ſcilicèt, per abnegationem ſui,& odium parentum,& propinquorum vſque ad animam ſuam, quæ quidem fieri non poſſunt perfectè,& immobiliter,vt Apoſtoli fecerunt ſine vinculo ligante,& aſtringente. In ſequella Eliſei nō reperitur abnegatio ſui,nec odium parentum,& animæ,quæ in veteri teſtamento non fuerunt audita iuxta dicta ex P.N.Hieronymo ſupra 1.p.Diſc.2.§.4.nec omnis ſequella,votum obediētiæ ſupponit,vt patet in Chriſti Eccleſia,in qua omnes Chriſtiani Chriſtum Dominum ſequuntur,& non omnes votum obedientiæ emittunt in illis,quæ ſunt non de neceſsitate ſalutis: aliqui etiam in conſilijs evangelicis Magiſtrum ſequuntur,& vota

non

non profitentur,turbæ etiam Dominum noſtrum ſequebantur, & ei aliqui adminiſtrabant ſine voto:ergo ex ſequella Eliſei votum obedientiæ religioſæ non probatur.

70 Hic advertendum eſt; quod Sanctum Inquiſitionis Tribunal mandavit expurgari,& deleri ex Hiſtoria Prophetica, quod Elias ex Dei mandato,& iuſſu ſuam fundavit religionem in veteri teſtamento. Salmanticenſes in Eliſeo fundatam fuiſſe, & inſtitutam docent,& hic numero 54. affirmant, quod Elias iuſſu Dei vocavit Eliſeum ad ſtatum religioſum: ergo inſtant, & tenent,quod ſua religio fuit fundata ab Elia in Eliſeo iuſſu,& mandato Dei,ac perconſequens,quod hæc religio in veteri teſtamento fuit de iure divino,quod ſcribere prohibuit, & deleri præcepit Sancta Hiſpanica Inquiſitio.

71 Votum obedientiæ Eliſei confirmare intendunt ex D. Thoma 2.2.q.186.art.6.ad 1.ibi:*Ad perfectionem vitæ Dominus pertinere dixit; quod aliquis eum ſequatur,non qualitercumque, ſed vt vlterius retro non abiret.*Et ibi: *Hac autem immobilitas ſequellæ Chriſti firmatur per votum.*Et afferunt verba Eliſei 4.Reg.cap.2.ibi: *Vivit Dominus,& vivit anima tua, quod non derelinquam te.* Et ex Lyra, ibi: *Volebat manere cum Magiſtro ſuo quantum poterat.* Ex Abulenſi quęſt. 5.ibi: *Iuro per vitam Dei,& per vitam tuam,quod non derelinquam te.*Et quæſt.10.ibi: *Cum iuramento aſſeruit Elius,quod non dimitteret Eliam,* & inferunt Salmanticenſes: ergo ſicut ex facto Apoſtolorum rectè colligitur,quod ſecuti fuerunt Chriſtum Dominum per votum obedientiæ, ſic etiam rectè probatur, quod Eliſeus ex voto obedientiæ Eliam ſecutus fuerit.

72 Facilis eſt ſolutio concedendo totum, & negando hanc vltimam conſequentiam,& ſupponendum eſt: quod Angelicus Magiſter diſputat: an ad perfectionem religionis requiratur,quod conſilia cadant ſub voto, & affirmative reſpondet iuxta dicta quęſt.184.art.4. in quoad rationem ſtatus neceſſario requirit legem,vel votum: Cum vero ſine voto conſilia immobiliter firmari non poſsint, ideò verus ſtatus religioſus ſine votis firmari nequit: at vero eadem conſilia extra ſtatum religioſum ſervari poſſe conſtans eſt,& perpetua Angelici Magiſtri doctrina. Perfectio vitæ Chriſtianæ acquiri poteſt ſine votis,& perfectionis ſtatum profiteri ſine vitæ perfectione, vt ibidem docet D.Thomas in argumento,ſed contra ibi: *Sed contra eſt, quod aliqui ſunt in ſtatu perfectionis,qui omninò charitate, & gratia carent,ſicut mali Epiſcopi,& mali religioſi: ergo videtur, quod è contra-*

tra-

trario aliqui habent perfectionem vitæ, qui tamen non habent perfectio-nem ſtatus. Hoc ipſum probat in corpore articuli, & ex hac doctrina manifeſtum eſt, quod ex Dei inſpiratione interna potuit Eliſeus ſequi perfectiſsime Eliam extra ſtatum religioſum ſine voto obedientiæ,& quod ex perfecta obſervantia conſiliorum ſolum ſequitur perfectionem vitæ, non perfectionem ſtatus,ad cuius immobilitatem neceſſarium eſt votum,vt optimè docet Angelicus Magiſter. Ex teſtimonijs adductis Lyræ, & Abulenſis votum totalis obedientiæ non ſequitur, vt ex ipſis conſtat: vnde conſequentia Salmanticenſium ex ſequella Chriſti ad ſequellam Eliſei non tenet,nec ſubſiſtere poteſt in ſana doctrina, vt ex dictis conſtat,quia plus diſtant ſequellæ Eliæ, & Chriſti Domini quam Polus à Polo,illa fuit vmbra,hęc veritas.

73 Arguunt etiam Patres Salmanticenſes ex licentia petita ab Eliſeo ad oſculandum patrem,& matrem; ſed ex hac venia votum obedientiæ inferre ridiculum eſt, nam ex multis alijs capitibus,& ex reverentia,à maioribus venia petitur, vt patet in multis congregationibus,collegijſque;& à patribus ſpiritualibus,& directoribus licentia petitur à pijs,& devotis perſonis etiam ad bona opera exercenda.

74 Tandem in hoc dubio §.2. contendunt reſpondere argumentis Patris Suarez,& ad primum, ſcilicèt, quod votum obedientiæ totalis pertinet ad perfectionem legis gratiæ, & repugnat imperfectionis veteris,dicunt,ſatis ſupra cõſtare in hac præſenti diſputatione num.24.33.48. Sed in his numeris difficultatem non enervant,quia num.24. nihil ad rem invenitur: num.33.& 48.argumentum repetunt de fide,ſpe, & charitate, quæ perfectiores virtutes ſunt,& in veteri teſtamento inventæ fuerunt in iuſtis: ergo,& vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ non repugnabant in lege.

75 Sed diſparitas evidens eſt ex D.Thoma Opuſc.18 in quo Angelicus Magiſter explicat, quid ad perfectionem vitæ ſpiritualis requiritur de neceſsitate ſalutis,quid ſub conſilio, & cap.5.fidem,ſpem,charitatem ſub præcepto cadere: virtutes vero caſtitatis,paupertatis,& obedientiæ ſub conſilio cap. 6. docet; itaque virtutes Theologales in vtraque lege neceſſariæ fuerunt,& ſunt ad ſalutem,& ad perfectionem vitæ ſpiritualis conſequendam: at vero conſilia ex voto non ſunt de neceſsitate ſalutis ſimpliciter,nec ad perfectionem,quia ſine illis poteſt acquiri,& conſequi vitæ ſpiritualis perfectio, vt ibidem

 pro-

probat Angelicus Magiſter: inſtituta vero fuerunt à Chriſto Domino ad melius,& facilius conſequendum finem legis, vt inſtrumenta virtutum,quæ ſub libertate ſunt poſitæ,ac perconſequens in lege ſervitutis hæc conſilia,& inſtrumenta non fuerunt data, vt ſæpè diximus ex D.Thoma; vnde ſicut non valet conſequentia; in veteri lege fuerunt fides,ſpes, charitas: ergo, & Sacramenta novæ legis,& alia in ea inſtituta à Chriſto Domino ad melius,& facilius perfectionem acquirendam, ſic non valet: ergo,& vota: quia Sacramenta,& conſilia inſtituta fuerunt in lege gratiæ,& libertatis,vt melius,& facilius poſſent acquirere finem legis liberi filij in lege nova,quam in veteri ſervi; & hoc pendet ex divina inſtitutione, & voluntate ſecundum ſtatum hominum,& conditionem vtriuſque legis,ante redemptionem à ſervitute, & poſt redemptionem à peccato inobedientiæ.

76 Arguebat etiam Pater Suarez; quod licèt in Scriptura conſtet Eliſeum miniſtraſſe Eliæ; votum obedientiæ non probatur: ergo non eſt concedendum in illa lege. Reſpondent Salmanticenſes conſtare valdè probabiliter ex adductis,& productis teſtimonijs Eliſei votum. Sed evidenter oſtēdimus, quod teſtimonia Sacræ Scripturæ,& Patrum à Salmanticenſibus adducta nil probant, nam ſi argumentum ex cognitione virtutis, & excellentiæ voti eſſet fundamentum ſufficiens ad probabilitatem voti, probabile etiam eſſet, quod iuſti legis naturæ,ſcriptæ,& gratiæ vota emiſſerunt in omnibus virtutibus, in quibus laudantur,& commendantur; nam in omnibus cognoverunt virtutem,bonitatem,& excellentiam voti. Dicunt etiam: quod argumentum eſt negativum,& inefficax; ſed falſum eſt, quia fundatur negativum in ſolidiſsimis rationibus poſsitivis ab authoritate Sacræ Scripturę,& Sanctorum Patrum; & licèt mere negativum eſſet, ſatis efficax eſt in rebus ad fidem pertinentibus,& ad ſacras Eccleſiaſticaque Hiſtorias,nam quod in Sacra Scriptura veteris,& novi teſtamenti non invenitur, nec à Sanctis Patribus docetur, factumque antiquum ſupponitur publica authoritate notorium,& omni populo notum, & ad ius divinū pertinens,& poſt tot ſæcula noſtro ſæculo ſine antiquo teſte affirmatur,gratis dicitur, novum eſt,& ſua ipſa novitate laborat, habebitque extrinſecam illam probabilitatem,quæ ab authoribus neothericis accipere poteſt, attentis fundamentis, & rationibus quibus probatur. Tandem in hoc §. liberare curant

Eſſe-

Eſſenos ab hæreſi, quia aliqui dixerunt, quod ſecta [illegible]rum inter Iudæos ſanctiſsima exiſtimabatur. De Eſſenis ſupra diximus 2.p.Diſc.1.§.2.& nunc eſt reflectendum,quod nullibi in veteri, & novo teſtamento Eſſenorum mentio fit: Iudæi,qui illos laudant Ioſephus,& Philo ſunt, qui in Iudaiſmo perſeverantes poſt Chriſtum Dominum Eſſenorum virtutes,& eorum errores etiã referunt. Ex antiquis Patribus,& Eccleſiæ Doctoribus Epiphanius,Hieronymus,Nilus,Philiſtratus,& alij inter hæreticos veteris,& novi teſtamenti Eſſenos enumerant, & cautè legendi ſunt Salmanticenſes,quia teſtimonia SS. PP. integrè non referunt circa Eſſenorum virtutes quia vitia,pravaque opera Eſſenorum,quæ Patres referunt, omittunt.

77 Pro Eſſenis laudant Salmanticenſes D. Chryſoſtomum,qui Homil.44. in Acta Apoſtol. eos à probitate nomen accepiſſe dicit, & in hac Homilia,nec verbum de Eſſenis reperitur, ſed in Homil:46.cuius verba referuntur, vt conſtet qua fide legendi ſunt Salmanticenſes in teſtimonijs Sanctorum. Explicat Sanctus Doctor perſecutionem D.Pauli in Hieruſalem, & qui illi ſiccarij fuerint,& ait ibi: *Ante hos dies ſurrexit Thendas, hos vero Sicarios vocaut quoſdam,à gladijs reconditis, quos geſtant. Sica enim id genus gladiorum à Romanis dicunt: alij putant eſſe vnam ex ſectis Hebræorum: tres enim ſectæ illis erant, Phariſæi, Saducæi,& Eſſeni qui etiam Hoſij, id eſt, ſancti dicuntur, hoc enim vult nomen Eſſenorum à vitæ honeſtate,illi ipſi,& Sicarij dicti, eo quod eſſent zelotæ; ne igitur doleamus, quod ſectæ ſint,& pſeudo-Chriſti, etiam Chriſto inſidiare voluerunt ante hoc,& poſt hoc, vt veritatem adumbrent, ſed illa magis fulget, manifeſtaque eſt vbique.* Hęc D.Chryſoſtomus,in quibus Eſſenos Sicarios fuiſſe docet,& inter ſectas reprobatas enumerat, licèt nomen eorũ ab honeſtate vitæ dictum fuerit,quia multi ſub optimo nomine peſsima opera exercent; & eodem modo quamplurimi etiam nomen ſanctitatis Eſſenorum celebrant, & errores vitiaque eorum condemnant,quapropter in his,& alijs teſtimonijs à Salmanticenſibus adductis parum fideliter procedunt.quia illa non referunt integra,& licèt aliqui Eſſenos ab erroribus,& vitijs liberent, Abulenſis, Soto, Medina, Vazquez, Suarez,& aliqui à Salmanticenſibus laudati vota religioſa in Eſſenis expreſsè negant.

§.VII.

§. VII.

An in veteri lege fuerit aliqua traditio perſonarum ad cultum Dei?

78 HAnc quęſtionem proponunt examinandam dubio 5.ſub vnico §. & primo, naturam explicant, & traditionis conditiones. Prima eſt perfectiſsima, tam ex parte finis,& modi,qua Deo omnia ſua homo conſecrat abſolutè irręvocabiliter,quæ fit in ſolemni profeſsione religioſorum, & hanc in veteri lege non reperiri expreſsè fatentur Patres Salmanticenſes. Alia eſt minus perfecta ex parte modi quo fit,non irrevocabiliter abſolutè, ſaltem ex parte acceptantis, vt in votis ſimplicibus Societatis Ieſu,& hæc minus perfecta traditio non impedit quod tradentes ſe ſint veri religioſi, & de hac traditione procedit quæſtio.Aliam tamen conſtituunt minus perfectam ex parte materiæ determinatę, ad quam ſe extendit, vel limitat, vt ad vaccandum infirmis, vel divinis laudibus,vel ad caſtitatem ſervandam, vel ad aliud opus virtutis particulare, & advertunt Patres Salmanticenſes dicentes, quod in præſenti non determinatur modus huius extenſionis, ſed illum vage cōprehendi ſub nomine cultus Dei, quæ quidem determinatio extenſionis colligenda eſt ex dictis,& dicendis; quia ſi cōſtet prædictas perſonas tria voviſſe conſilia,inde etiam conſtabit, quod ſe Deo conſecraverunt ad talem finem, ſicut proportionabiliter accidit in religioſis Societatis per vota ſimplicia.

79 Hæc doctrina explicatione indiget,nam perfecta traditio ex parte tradentis immo,& perfectiſsima de iure divino eſt,qua homo totum ſe tradit Deo,& ſtatum, & conditionem mutat,quia ſic homo quantum ex ſe eſt, omnia relinquit propter Deum; nam in hac traditione,vt docet S. Gregorius Magnus affectum potius debemus penſare,quam cenſum, & quamvis hæc traditio à voluntate pendeat acceptantis,qui eam poſsit revocabiliter acceptare modo,& conditionibus ſtatutis; limitatio acceptantis non minuit perfectionem traditionis quoad affectum, ſed ſtatum limitat traditi. Obſervandum eſt etiam, quod traditio perſonarum tria requirit,vt conditionem traditi mutet,& ſtatum conſtituat,vt advertit Fagnanus tom.5.in 2.p. lib.3.Decretal.in Cap. *ex parte*.Primum, quod emittantur tria

præ-

prædicta vota, vel obedientiæ cum perpetua ſtabilitate in Monaſterio. Secundum quod emittantur in manibus habentis poteſtatem incorporandi religioni, quod ſuppleri poteſt à Papa, vel ipſo incorporante, vel alicui incorporationem committente. Tertium quod hęc traditio fiat in aliqua religione à Sede Apoſtolica approbata, & hoc ſuppleri non poteſt, vt quis verus ſit religioſus; nam implicat quod aliquis ſit regularis in domo ſua, & quod non ſit alicui religioni incorporatus, eſſetque religioſus, & maneret ſæcularis in domo ſua, & alia, quæ obſervat idem Fagnanus vbi ſupra num. 17.

80 Ex quibus conſtat falſitas doctrinæ Salmanticenſium, nam licèt manifeſtè appareret, quod in veteri teſtamento aliqui tria vota emiſſerunt, quod non conſtat, adhùc veri religioſi non fuiſſent, nec verum ſtatum religioſum cōſtituerent, quia nec vota emiſſerant in manibus poteſtatem habentis ad incorporandum in religione, nec profeſsio fuit facta in religione approbata: datis igitur, & non conceſsis votis in Elia, Eliſeo, & alijs, adhùc remanet inſuperabilis difficultas quoad ſtatum verum religioſum veteris teſtamenti. Inſtitutum Sacrę Societatis Ieſu aliquando placet Patribus Salmanticenſibus Carmelitis Excalceatis, vt ad inſtar illius ſuum verum ſtatum religioſum Elianum in Synagoga Iudæorum defendant, ſed numquam placebit Patribus Societatis, quod ſuum ſacrum inſtitutum evangelicum in lege gratiæ ſit ad inſtar religionis propheticæ veteris teſtamenti noviter adinventæ; & mirum eſt, quod Patres Salmanticenſes, & omnes eiuſdem familiæ vellint, quod poſt tot ſæcula à Nativitate Chriſti, Sanctus Ignatius ſuſcitaret inſtitutum, & formam profeſsionis, & traditionis, quam Patres Carmelitæ reliquerunt, adveniente lege gratiæ, vt ex Societate Ieſu inſtituta ſęculo præterito arguant ad probandum verum ſtatum religioſum in Synagoga Iudæorum inſtitutum novem ſæculis, & amplius ante Chriſti Domini adventum.

81 Diſparitas maxima eſt, nam Sanctus Ignatius inſtituit ſuam religionem iuxta normam evangelicam, & ſolemnitates Eccleſiaſticas, ſiquidem ſocietas non conſtituitur votis ſimplicibus tantum, ſed ſolemnibus, & ſimplicibus, & in ea ſunt quamplurimi religioſi ſolemni profeſsione aſtricti, itaque ſtatus Societatis habet ſuam immobilitatem in ſequella Chriſti, & perfectiſsimam, irrevocabilemque traditionem ex votis ſolembus ſicut cęteræ religiones Eccleſiæ, quod vero aliqui ſimpliciter

ter voventes tantum admittantur ad profeſsionem ſolemnem, hoc perfectionem ſtatus Societatis non minuit. An minuat perfectionem perſonarum non eſt nobis diſputandum, & ſuos habebunt defenſores filij Societatis: in illa vero religione veteris legis, vt ideatur à Patribus Salmanticenſibus, omnia vota fuiſſent ſimplicia, nullaque in ea irrevocabilis, & perfecta traditio nulla ſolemnitate fuit approbata in illa lege: ergo ex inſtituto Societatis legis gratiæ, nullum poteſt formari argumentum ad ſtatum verum religioſum Iudæorum veteris teſtamenti.

82 Reſolutio igitur dubij ex dictis facilis eſt, reſpondendo ſub eadem diſtinctione, qua admittimus conſilia in veteri lege, quia ſicut vota ita traditio. Aliqui ſe Deo tradiderunt in ordine ad aliquem cultum Dei iuxta illam legem, quod probant textus, & teſtimonia producta à Salmanticenſibus, num. 64. & quia cultus Dei poteſt eſſe in actu circa aliquod opus particulare virtutum, & in ſtatu, dicimus, quod nullus ſe Deo tradidit ad cultum Dei in aliquo ſtatu vero legis gratiæ, quia ad hoc neceſſarium eſſet publica, & externa inſtitutio ſtatus, & legis illum conſtituentis. Cum autem in veteri teſtamento nulla fuerit inſtitutio publica alicuius ſtatus legis gratiæ, nec reperiatur in illo teſtamento publica revelatio legis ſpecialis conſtitutiva veri cultus Dei ſecundum cultum Chriſtianorum, hinc manifeſtum eſt, quod nullus ſe Deo tradit iuxta cultum legis gratiæ, ſed ſecundum ſtatus figurativos veteris teſtamenti, vt patet in cultu Pontificum, Sacerdotum, Levitarum, Nazareorum, Rechabitarum, & aliorum illius legis.

83 Ratione probatur differentia traditionis veteris, ac novi teſtamenti, quia non poteſt homo alteri ſe tradere eodem modo in ſtatu ſervitutis, ac in ſtatu libertatis; ſed in veteri lege fideles omnes erant in ſtatu ſervitutis, & in lege gratiæ ſumus in ſtatu libertatis: ergo traditiones legis gratiæ, & veteris legis diſtinguuntur non ſolum ſolemnitate, quæ accidentalis eſt ſtatui, & de iure Eccleſiaſtico, ſed etiam ex natura vtriuſque legis, & ſtatuum.

84 Confirmatur ex D. Thoma lib. 1. de Regim. Principum, cap. 14. ibi: *Quia in veteri lege promittebantur regna terrena non à dæmonibus, ſed à Deo vero, religioſo populo exhibenda: inde eſt in veteri lege Sacerdotes regibus eſſe ſubiectos.* Ex natura illius legis in ſtatu ſervitutis Sacerdotes cultui Dei tradebantur cum ſubiectione

ad reges,& hæc erat minus imperfecta traditio illius religioſi populi,& Sacerdotes in populo religioſo Deo traditi, & dicati, & dicati ſubiecti erant in ſuo ſtatu regibus, quia erant in ſtatu ſervitutis: at in ſtatu libertatis præſentis Eccleſiæ ſe Deo tradentes in ſtatu religioſo non ſunt ſubiecti regibus in ſuo ſtatu: ergo traditio ad cultum Dei religioſum in veteri,& novo teſtamento,& in ſtatu ſervitutis,& libertatis ab intrinſeco,& ex natura,& conditione vtriuſque legis differunt, ac perconſequens non poſſunt conſtituere eumdem ſtatum religioſum in vtraque lege.

DISCURSUS SECUNDUS.

De poſsibilitate ſtatus religioſi evangelici, quoad ſubſtantiam,& eſſentiam in ſpiritu legis gratiæ inſtituti ab Elia in veteri teſtamento.

§. I.

An fuerit poſsibilis ſtatus religioſus in veteri lege?

35 EX divina abſolutaque potentia non procedit hæc quæſtio, ſed ſecundum ea,quæ nobis revelata ſunt in Sacris Scripturis,& ſecundum naturam veteris legis,& conditiones illius, atque iuxta imperfectum ſtatum Synagogæ, & generis humani ante adventum Chriſti Domini, & eius mortem, & paſsionem. In hoc ſtatu conſtanter dicimus verum ſtatum religioſum quoad ſubſtantiam,& eſſentiam evangelicum impoſsibilem, vel potius incompatibilem fuiſſe cum imperfectione illius legis,iuxta dicta 1.p.Diſc.1.§ 2.& 3. & 4.& per totam hanc controverſiam,& hic alijs motivis ſtabilitur in ſolutione argumentorum Patrum Salmanticenſium, qui vt verum ſtatum religioſum cum votis,& poſsibilitatem eius in Synagoga defendant,ſupponunt diſputationem procedere de ſtatu religioſo ſecundum ea,quę ad eius ſubſtantiam, & eſſentialem conſtitutionem pertinent, vt ſunt vota eſſentialia cum aliqua tra-

traditione,non vera de ſtatu religioſo quatenus comprehendit ſolemnitatem votorum,& Eccleſiaſticam iuriſdictionem, nam his ſolemnitatibus conſtitutum impoſsibilem fuiſſe docent in illa lege.

86 Hac ſuppoſita doctrina advertendum eſt,quod ipſi Salmanticenſes in hoc tractatu diſput.1.dub.4.§.1.cum D.Thoma docent,profeſsionem per vota ſolemnia diſtingui ex natura ſua ab intrinſeco,& de iure divino à profeſsione emiſſà per vota ſimplicia,& pro hac ſententia laudant Albertum Magnum, D. Thomam,D.Bonaventuram,Sylveſtrum,Durandum,Ricardũ, Capreolum,Dezan,Turrecrematam , Raynerum , Victoriam, Petrum,& Dominicum de Soto,qui ante conſtitutionem Gregorij ſcripſerunt,& votum ſolemne ad ſtatum religioſum neceſſarium fuiſſe docent: ergo hi omnes ſtatum illum verum religioſum veteris teſtamenti non cognoverunt votis ſimplicibus conſtitutum,quia alias votum ſolemne non peterent ex neceſſitate in novo teſtamento ad eſſentiam , & ſubſtantiam illius. Advertendum eſt etiam ex eiſdem Salmanticenſibus ſupra citatis num.42.quod vota ſimplicia licèt conſtituant emittentem ſimpliciter religioſum,non eum conſtituunt ſimpliciter profeſſum: & ibidem ex Araujo aſſerunt; quod vota ſimplicia in Societate Ieſu emiſſa ſufficiunt ad ſalvandam veram rationem religionis in ſtatu imperfecto,& veluti in via,& tendentia ad ſtatum perfectum.Nam abdicatio perfecta dominij,& proprietatis eſt de eſſentia ſtatus perfecti religioſi,& conſumati per profeſsionem,ad cuius perfectionem,& conſumationem non ſufficit abdicatio quoad vſum tantum.

87 His ex Patribus Salmanticenſibus admiſsis,ſupponimus, quod PP.Salmanticenſes Excalceati Carmelitæ in gratiam Ieſuitarum etiam admittent,quod Societatis ſtatus, & religioſorum illius per vota ſimplicia in Chriſti Eccleſia emiſſa ſub lege gratię,quæ iuſtificare poteſt ex ſe , & iuvare ad perfectionem conſequendam,& inſtitutus eſt ſolemni approbatione Eccleſiæ cum poteſtate Eccleſiaſtica,& ſpirituali clavium perfectior ſit ſtatu illo religioſo ab Elia inſtituto in Synagoga votis ſimplicibus ſine ijs prærogativis,& excellentijs,quas habet in lege gratiæ Sacra Societas.Sed ſecundum PP.Salmanticenſes hic ſtatus Societatis eſt imperfectus in lege gratiæ , & in eo profitentes per vota ſimplicia non ſunt ſimpliciter profeſsi. Qualis igitur erit ille ſtatus religioſus inſtitutus ab Elia in Synagoga ſub lege

ſervitutis,quæ iuvare non poterat ad perfectionem conſequendam,neque legem habebant religioſi,quæ iuvaret ad perfectionem,nec poteſtatem ſpiritualem clavium,nec aliquam approbationem ab Eccleſia? Certim enim videtur inferri ex doctrina Salmanticenſium,quod ille ſtatus religioſus Synagogæ imperfectior imperfecto Societatis (vt aſſerunt) non fuit verus, & evangelicus quoad ſubſtantiam,& eſſentiam.

88 Circa doctrinam doctiſsimi Araujo eſt reflectendum, quod eo modo quo aliquis eſt profeſſus,eſt religioſus,quia religioſus conſtituitur per profeſsionem,itaque per vota ſimplicia quibus Patres Societatis conſtituuntur,ſimpliciter religioſi ſunt, etiam ſimpliciter profeſsi;ſed quia Patres Salmanticenſes ſtatum Societatis nudum,& in eſſentialibus votis cum conſiderāt, vt in ſubſtantia,& eſſentia ſubſiſtere poſsit Elianus Monachatus, notandum eſt: quod Sacra Societas habet in quo conveniat cum omnibus religionibus,& in quo differt ab omnibus alijs: Habet vota eſſentialia ſtatus religioſi, quibus in lege gratiæ conſtituitur ſtatus perfectus religioſus ſine ſolemnitate votorum,vt aſſerunt ipſi Salmanticenſes,& habet ſuam ſpecialem regulam,& conſtitutiones,quibus illa eſſentia in votis ſimplicibus conſtituta determinatur ad hunc ſtatum ſpecifice diſtinctum ab alijs religionibus: vnde religiones ſumunt ſuam ſpeciem ex ſpecialibus inſtitutis,& legibus,& ex his comparantur religiones ſecundum maiorem,vel minorem perfectionem, vt docet D.Thomas Opuſc.19.cap.1.Suppoſita eſſentia ſtatus religioſi in triplici voto ad conſtituendum ſtatum ſpecificum, & determinatum non requiritur votum, ſed ſufficit regula cum determinatis legibus,vt patet in religionibus Sanctiſsimę Trinitatis,& B.MARIÆ de Mercede,nam prima conſtituitur lege in ſtatu ſpecifico redimendi captivos,& ſecunda quarto voto: ergo ſolemnitas ſtatus religioſi quoad conſtitutivum ſpecificū, & determinatum poteſt eſſe vel à voto,vel à lege, quia ad ſtatum perfectionis conſtituendum ſufficit lex, vt patet in ſtatu Epiſcopali,qui ſine votis eſt ſolemnis ſtatus perfectionis,vt docet D.Thomas in Matth.cap.19.ergo ſuppoſita eſſentia ſtatus religioſi in Societate per ſimplicia vota,religioſi ſic profitentes ſunt ſolemniter ſpecifici religioſi in ſtatu ſpecifico religioſo ſolemni ſolemnitate legis,regulæ,ſcilicèt,ſolemniter approbatę à Sancta Sede.

89 Nec obſtat retentio dominij,& proprietatis vt ille ſta-

ſtatus pacificus ſit perfectus; nam vt docetD. Thomas vbi ſuprà: Epiſcopatus eſt ſtatus ſolemnis perfectionis perfectus cum retentione dominij, & proprietatis rerum, ſi benè vtantur, vt rectè poſſeſſa adminiſtrent; ſed in ſocietate profeſsi ſimplicibus votis retinent dominium, & proprietatem cum legibus benè vtendi, & diſponendi de retentis: ergo ſunt in ſtatu religioſo ex votis ſimplicibus, & legibus ſolemnibus ſpecifico perfecto religioſo ſimpliciter, & ſolemniter, ac perconſequens, ex votis, & legibus, ſtatus eorum ſpecificus eſt ſtatus perfectus, & ſolemnis religionis, dominio retento, in quo tendunt ad maiorem perfectionem, & ſolemnitatem ex votis ſolemnibus perpetuis.

90 Inconſequenter videntur procedere Salmanticenſes in ſua doctrina circa ſtatum religioſum; nam cumD. Thoma, & eius diſcipulis vbi ſupra tenent profeſsionem per vota ſolemnia ab intrinſeco ex natura rei, & iure diuino diſtingui à profeſsione per vota ſimplicia emiſſa, quod probant ex D. Thoma plurimis eius diſcipulis laudatis §. 1. Hi omnes, vel ferè omnes qualitatem diſtinctionis diſputantes, ſpecie prædictas profeſsiones differre docent ex eiſdem teſtimonijs, & rationibus D. Thomę; at Salmanticenſes, vt Monachatus Iudaici, & euangelici identitatem quoad eſſentiam ſalvent, relictis D. Thoma, & eius diſcipulis, ſocietati adhærentes, prædictas profeſsiones per ſolemnia, & ſimplicia ſpecie non differre defendunt, ſed modo intrinſeco: quo etiam modo dici poteſt profeſsiones non diſtingui ex prędictis votis ex natura ſua ab intrinſeco de iure diuino, ſed modo aliquo ſecundum magis, vel minus explicitum.

91 Eſt etiam notandum ex doctrina admiſſa à Salmanticenſibus vbi ſupra, num. 53. quod ſolemnitas ex communi Thomiſtarum ſententia diſtinguitur in eſſentialem, & accidentalem. Eſſentialis conſiſtit in actibus, quibus homo ſe abſolutè, & perpetuò tradit Deo in aliqua religione: Accidentalis verò in modo, & circumſtantijs, quibus ex inſtitutione Eccleſiæ debent fieri actus, vt ſint legitimi, qua communi Thomiſtarum doctrina in ſua probabilitate relicta, quia incompatibilis eſt cũ vero Monachatu veteris teſtamenti ſine aliqua ſolemnitate, Scholæ Societatis adhærent Salmanticenſes, & omnem ſolemnitatem profeſsionis de iureEccleſiaſtico defendunt, eſſentiamque profeſsionis ſolemnis in votis formaliter, & non in ſolemnitatibus Eccleſiaſticis conſiſtere docent num. 54.

92 Sed hæc doctrina ſubſiſtere nequit, nam ſecundum

Patres Salmanticenſes, vt ſupra vidimus ſtatus religioſus inſtitutus ſine ſolemnitate votorum eſt imperfectus, & in via, & tendentia ad ſtatum perfectum, & conſumandum per ſolemnitatem; ſed Chriſtus Dominus inſtituit ſtatum religioſum, & conſiliorum ſine vlla ſolemnitate: ergo ſtatus religioſus vitæque Apoſtolicæ, & conſiliorum Evangelij inſtitutus fuit à Chriſto in ſuo Sacroſancto Evangelio, ex natura ſua imperfectus, & in via ad ſtatum perfectum: Maior admittitur à Salmanticenſibus ex Araujo loco citato: Minor probatur, nam ex ſententia Salmanticenſiũ, omnis ſolemnitas votorum, tàm eſſentialis, quàm accidentalis eſt ab Eccleſia inventa, & introducta, nullaque requiritur de iure divino, & Chriſti inſtitutione ad ſtatum religioſum evangelicum: ergo ſine vlla ſolemnitate inſtituit Chriſtus Dominus hanc viam perfectionis, ac perconſequens ſtatus evãgelicæ perfectionis, quem Chriſtus Dominus inſtituit, & fundavit in ſuis Apoſtolis, eſſet imperfectus in via, & tendentia ad ſtatum perfectionis perfectum per ſolemnitatem poſteà introducendam ab Eccleſia, itaque Apoſtoli, & alij diſcipuli Domini non fuiſſent in ſtatu perfecto evangelicæ perfectionis, ſiquidem ſine vlla ſolemnitate Apoſtolicam vitam tenuerunt, ſecũdum doctrinam Salmanticenſium.

93 His dictis, & prętermiſsis ad quæſtionem per concluſiones reſpondetur. Sit prima: ſtatus verus religioſus cum votis ſolemnibus, & poteſtate ſpirituali clavium, & Eccleſiaſtica iuriſdictione non fuit poſsibilis in veteri teſtamento; conſentiunt huic concluſioni Patres Salmanticenſes, & omnes eiuſdem familiæ poſt vltimum decretum Sanctæ Inquiſitionis.

Secunda concluſio: ſtatus religioſus verus in religione ſolemniter approbata, in qua ſolemnia etiam emittuntur, & ſimplicia, ſub poteſtate ſpirituali clavium non fuit poſsibilis in veteri teſtamento, patet ex dictis, quia non fuit in illa lege religio ſolemniter approbata: ergo vota ſimplicia, & ſtatus religioſorum Societatis nil favent Salmanticenſibus, vt verum ſtatum religioſorum defendant in Synagoga Iudæorum.

94 Tertia concluſio defenditur à Salmanticenſibus. Novus ſtatus verus religioſus Chriſti Eccleſiæ incognitus, ſcilicèt, ſtatus quoad ſubſtantiam, & eſſentiam religioſus evangelicus conſtitutus per vota ſimplicia tantum, ſine perfectione evangelica, ſine ſolemnitate, & poteſtate Eccleſiaſtica emiſſa in Cõgregatione, quæ non eſſet ſolemniter approbata, in qua profiten-

tentes non poſſent ſolemnia emittere,nec ad perfectum ſtatum perfectionis pervenire per aliquam ſolemnitatem de iure divino,vel Eccleſiaſtico introductam; & quia Salmanticenſes ex inſtituto Societatis præcipuum fundamentum ſumunt ad probandam poſsibilitatem veri ſtatus religioſi quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelici in Synagoga; ex ipſo Sacræ Societatis laudabili Inſtituto oſtenditur impoſsibilitas ſtatus veri religioſi evangelici in veteri lege: Supponimus,vt ſupra diximus, quod ſtatus religioſus ſi daretur in veteri lege imperfectior eſſet ſtatu Ieſuitarum,& magis apparebit, ſingula, quæ habet Societatis inſtitutum explicando. Eſt enim Societas vera, & evangelica religio, inſtituta in Chriſti Eccleſia ad honorem Dei,& ſalutem animarum cum ſpeciali voto obedientiæ Romano Pontifici circa miſsiones,& converſionem fidelium,inſtituta fuit ſolemni Eccleſiæ approbatione ſolemnibus,& ſimplicibus votis ſubſiſtens,& plurima alia laudabilia habet ad perfectionem conſequendam in ſuis Conſtitutionibus,& Statutis; præter hæc habet etiam perfectionem legis gratiæ, quæ careret ſi extitiſſet Eliana religio veteris teſtamenti: in quo ergo conſiſtat perfectio legis gratiæ explicare oportet,vt diſcrimina inter Ieſuiticum,& Elianum inſtitutum omnibus palam fiant,quod ex differentia veteris,& novæ legis accipiendum eſt, de qua D.Thomas 1.2.q.107.art.1.& 2.vbi Angelicus Doctor novam, veterem legem perficere docet,& hanc perfectionem principaliter conſiſtere præcipuè in gratia SpiritusSancti indita cordibus,qua dicitur lex amoris,& in ſpiritualibus bonis promiſsis, & æternis,quæ ſunt obiecta virtutum præcipuè charitatis. Conſiſtit etiam perfectio legis gratiæ,quia hæc,ex ſe iuſtificare poteſt,& vetus non poterat,& quod in hac lege libertatis Chriſtus aperuit ſenſum ſpiritualem ſcripturarum ordinando quomodo præcepta totius obſervarentur,& tandem addidit conſilia perfectionis. His omnibus careret ſtatus religioſus Elianus in veteri teſtamento ſine perfectione evangelica inſtitutus ſecundum decretum Sanctæ Inquiſitionis,& hæc omnia habet venerabilis Societas Ieſu adhùc in ſimplicia vota emittentibus: ergo longè lateque imperfectior eſſet ſtatus religioſus Elianus veteris teſtamenti,Statu Societatis,quem imperfectum appellant Salmãticenſes: ergo ex inſtituto Societatis nullum poſſunt formare argumentum ad ſtatum religioſum Elianum veteris legis.

95 Diſcurſus procedit ex vi inſtitutionis ſtatuum vete-

ris,& novi teſtamenti per vota ſimplicia,& ſupponendo ex decreto Sanctæ Inquiſitionis, quod ille ſtatus religioſus Elianus carebat perfectione legis gratiæ, etiam eſſet imperfectior ſtatu communi Chriſtianorum; quod probatur manifeſtè; nam ſtatus communis Chriſtianorum ex lege,& ex ſua inſtitutione, & meritis Chriſti paſsi habet gratiam ſpiritualem inditam cordibus, quæ iuſtificare poteſt ex lege ipſa,habet ſpiritualia,& æterna promiſſa, habet ſenſum ſpiritualem ſcripturarum apertum, & pręcepta ordinata à Chriſto Domino,vt tutius obſerventur. His omnibus careret ſtatus religioſus Elianus in veteri lege: ergo eſſet imperfectior ſtatu communi Chriſtianorum, ac perconſequens non poteſt dici vnus,& idem quoad ſubſtantiam, & eſſentiam cum ſtatu religioſo evangelico, ſiquidem careret perfectione eſſentiali,& ſubſtantiali evangelij,qua differunt novum,& vetus teſtamentum.

96 Nec obſtat ſi dicant; quod ille ſtatus religioſus veteris legis conſtitueretur eiſdem conſilijs,& votis,quibus conſtituitur ſtatus religioſus legis gratiæ: ergo non diſtinguerentur quoad ſubſtantiam,& eſſentiam. Sed contra eſt; quia licèt haberet eadem conſilia,& vota,non haberet eamdem virtutem, & veritatem,in quo conſiſtit præcipua, & formalis diſtinctio veteris,& novæ legis & eorum ſtatuum, quod manifeſtum eſt ex Div.Thoma loco ſupra citato art.1. nam licèt lex vetus eadem præcepta Charitatis haberet, alia fuit à nova, & ſtatum conſtituit diſtinctum in Synagoga quoad eſſentiam,& ſubſtantiam à ſtatu legis gratiæ in Chriſti Eccleſia, & rationem aſsignat Angelicus Magiſter ad 2.ibi: *Lex autem vetus, & ſi præcepta Charitatis daret,non tamen per ea dabatur Spiritus Sanctus,per quem diffunditur Charitas in cordibus noſtris, vt dicitur ad Romanos 5.* Hæc D. Thomas: ergo licèt in illo ſtatu religioſo Eliano veteris legis eſſent eadem vota,deficientibus ſpiritu,veritate,& perfectione legis gratiæ in illo,alius eſſet ſtatus quoad eſſentiam,& ſubſtantiam à ſtatu religioſo legis gratiæ,& conſtituerent tantum vota illa ſtatum figurativum,ſicut lex vetus eiſdem pręceptis ex defectu gratiæ Spiritus Sancti,& perfectione evangelica ſtatum conſtituebat figuralem,vt docet D. Thomas ex D. Auguſtino.

97 Confirmatur,quia licèt in ſacrificio Melchiſedech reperiantur Sacerdos,panis,vinum,oblatio,& ſacrificium,non fuit tamen vnum,& idem ſacrificium quoad ſubſtantiam, & eſſentiam cum ſacrificio Euchariſtico panis,& vini legis gratię,

quia

quia non habebat veritatem, virtutem, ſpiritum, & gratiam novi teſtamenti: ergo licèt in illa lege reperirentur homines ſe Deo tradentes, bona interna, & externa Deo oblata per vota, & ſacrificium ex oblatis, deficientibus gratia, ſpiritu, veritate, & perfectione legis gratiæ, non conſtituerent eumdem ſtatum quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicum vnum, & idem cum ſtatu religioſo evangelij: ergo adhùc conceſsis votis ſimplicibus in veteri lege non probatur poſsibilitas veri ſtatus religioſi quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelici.

98 Directè etiam impugnatur eadem poſsibilitas; nam repugnat ſtatus perfectus ſine evacuatione ſtatus imperfecti; ſed poſito vero ſtatu religioſo in veteri lege quoad ſubſtantiã, & eſſentiam evangelico, eſſet in ea ſtatus perfectus ſine evacuatione ſtatus imperfecti: ergo ſecundum eſſentiam, & ſubſtantiam veteris legis, & eius imperfectionem, & inanitatem repugnat in illa ſtatus perfectionis religioſus quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicus: Minor probatur, quia ſtatús religioſus legis gratiæ votis conſtitutus eſt ſtatus perfectionis illius, & ſtatus veteris legis quoad ſubſtantiam, & eſſentiam, & modum erat imperfectus, vmbraticus, & figurativus: ergo poſito ſtatu religioſo in veteri lege, eſſet in ea ſtátus perfectus ſine evacuatione ſtatus imperfecti illius legis.

99 Confirmatur: ſtatus puerilis, & viris ſimul repugnant; ſed ſi daretur in veteri teſtamento verus ſtatus religioſus, ſimul eſſent in Synagoga ſtatus puerilis illius legis, & ſtatus virilis legis gratiæ: ergo rebus ſic ſtantibus, repugnat verus ſtatus religioſus in Synagoga: Minor probatur ex Div. Paulo, qui ſępè ſtatum veteris legis appellat puerorum, & ſtatum legis gratiæ virorum perfectorum; ſed verus ſtatus religioſus quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicus eſt ſtatus virorum perfectorum: ergo ſimul eſſent in veteri teſtamento ſtatus puerorum, & virorum perfectorũ, at in Synagoga eſſent illi religioſi pueri ſub pædagogo veteris legis, & viri perfecti ſub Magiſterio legis gratiæ. Tum etiam repugnat ſimul eſſe ſtatum ſpecificum libertatis cum ſtatu ſervitutis; ſed verus ſtatus religioſus quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicus eſt libertatis, & ſtatus veteris teſtamenti erat ſtatus ſervitutis ſub lege: ergo repugnat ſtatus verus religioſus in veteri teſtamento, eſſentque illi Monachi ſervi ex lege, & liberi ex ſtatu evangelico.

100 Tandem probatur ex D. Thoma loco ſupra citato art.

art. 1. in corpore, vbi Angelicus Magiſter differentiam inter vtramque legem colligit, ex eo quod in eadem Civitate alia imponitur lex viris perfectis, aliaque inſtituitur pro diſciplina puerorum; ſed in lege veteri erant fideles in ſtatu puerorum, vt dictum eſt; & ſtatus religioſus eſt inſtitutus pro viris perfectis Eccleſiæ Chriſti: ergo ſecundum ſtatum fidelium Eccleſiæ incōpatibilis fuiſſet ſtatus religioſus verus novi teſtamenti cum ſtatu fidelium veteris legis. Confirmatur ex eodem D. Thoma loco ſupra citato, quæſt. 106. art. 2. in corp. vbi docet; quod præcepta ordinantia affectum humanum, & humanos actus, & documenta fidei pertinent ſecundario ad legem evangelij, quæ ſi data fuiſſet ſine gratia Spiritus Sancti, quæ eſt primaria, & principalis perfectio, quę intrinſicè conſtituit legem gratię, etiā occiderent ſicut præcepta veteris legis, inutilia eſſent, & vacua, & non convenirent præcepta, & documenta, licèt extrinſicè eſſent ſcripta in evangelio: ergo conſilia evangelica data in veteri lege ſine perfectione intrinſica legis gratiæ, quæ eſt ipſa gratia ex lege, etiam occiderent, eſſentque vacua, & inutilia, & non convenirent in illa lege: ergo ſtatus religioſus quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicus legis gratiæ, quæ iuſtificat, incompatibilis eſt cum imperfectione veteris legis, niſi imaginetur alius ſtatus religioſus quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicus, & non evangelicus; quod repugnat, eſſetque ſtatus hominum in vacuis, & innanibus votis evangelicis ſtatu, eſſentia, & ſubſtantia evangelij, quod eſt Chimericum.

§. II.

Motiva Salmanticenſium proponuntur.

101 ARguunt pro poſsibilitate veri ſtatus religioſi in veteri lege communi argumento pro ſingulis votis, pro votis ſimul, & pro omnibus, quæ probare intendunt in hac diſputatione, & in ſua Hiſtoria prophetica, ſcilicèt, ex cognitione rectitudinis actuum virtutum conſiliorum, & dicūt in forma: In veteri teſtamento potuerunt eſſe illa, quæ conſtituunt ſtatum religioſum: ergo ipſe ſtatus: conſequentia eſt evidens, antecedens probatur: ſtatus religioſus conſtituitur per actus, quibus homo promittit Deo paupertatem, obedientiam, & caſtitatem; ſed hi actus potuerunt eſſe ante legem gratiæ,

quippè

quippè cum illa non habent connexionem: ergo ſtatus religioſus fuit poſsibilis ante legem gratię.

102 Sed hoc argumento nihil probant; nam ſtatus non conſtituitur ex actibus illis,quos iuſti faciebant ex gratia Chriſti futuri intrinſecùs communicata perſonis,quia hũc ſtatum perfectionis quoad iudicium Dei de facto concedimus in illo populo. Status religioſus debet conſtitui ex actibus factis aliqua lege,vel conſilio ſuadente, vel imperante actus: Cum autem actus,quibus homo ſe Deo tradit per obedientiam, caſtitatem, & paupertatem per vota conſtituant ſtatum perfectum perfectionis,non potuerunt in ſtatu imperfecto veteris teſtamenti ex lege illa imperfecta imperari, vel alio publico,& exteriori inſtituto conſiliari; itaque in forma ad argumentum reſpondetur: In veteri teſtamento potuerunt eſſe illa, quæ conſtituunt ſtatum religioſum legis gratiæ,diſtinguo: potuerunt eſſe ex Dei ſpeciali interna revelatione,& alio modo, tranſeat: potuerunt eſſe aliqua lege divina publicè intimata populo,vel alicui communi ſtatui,vel externa obligatione ex Dei potentia abſoluta, concedo: ſecundum ſtatum illius legis,& eo modo quo quoad eſſentiam,& ſubſtantiam conſtituunt ſtatum religioſum evangelicũ, nego: ergo ſtatus religioſus quoad eſſentiam, & ſubſtantiam evangelicus fuit poſsibilis ante legẽ gratiæ, nego conſequentiam.

103 Ex falſo principio procedit argumentum Salmanticenſium,quia ſupponunt cognitionem virtutum conſiliorum in illa lege,communi aliqua notitia habitam; quod eſt falſum, nam licèt aliqui pauci iuſti paupertatem,& caſtitatem cognoverunt ſpeciali aliqua revelatione, conſilia harum virtutum nõ fuerunt data in illa lege ſervitutis,vt ſupra diximus ex D. Thoma,& ex eodem Angelico Doctore,& communi Patrum ſententia evidenter probatur; quia lex illa manuducebat homines per bona temporalia promiſſa,& videbatur lege prohibitum in illo populo non dare operam ad relinquendum ſemen ſuper terram: ergo virtutes paupertatis,& caſtitatis nõ fuerunt cognitæ in illa lege,nec circa illas cõſilia fuerunt data, vt poſſet inſtitui ſtatus publicus religioſus cum votis,& conſilijs paupertatis,& caſtitatis: vnde patet,quod prędicta conſilia ex Chriſti Domini inſtitutione eſſentialem connexionem habent cum lege gratiæ, ita taliter, quod extra hanc legem,nec fuerunt data,nec convenientia,quia ſine gratia Spiritu Sancti infuſa in

cor-

cordibus noſtris, vacua eſſent, inutilia, & inſufficientia ad conſtituendum ſtatum perfectum.

104 Confirmatur ex D. Thoma ſupra 1.2.q. 106. artic. 2. Conſilia, & præcepta Chriſti pertinent ad ſecundariam perfectionem, vel adimpletionem legis gratiæ, quæ facta fuit per Chriſtum, & ſecundaria perfectio connexionem habet cũ primaria, quæ fit per gratiam ex lege: itaque ex Div. Thoma conſilia, quibus conſtituitur ſtatus religioſus non potuerunt eſſe in veteri lege, antequam Chriſtus illam adimpleret primario per gratiam inditam cordibus ex nova lege.

105 Confirmant argumentum Patres Salmanticenſes, quia ante ſtatum legis evangelicæ fuerunt, & principium ſufficiens ad cognoſcendam rectitudinem prædictorum actuum, & principium ſufficiens ad eos eliciendos: ergo tunc potuerunt eſſe prædicti actus: Antecedens probant, quia ad cognoſcendam rectitudinem prædictorum actuum ſufficit natura illuminata per fidem, atqui ante ſtatum legis gratiæ dabatur fides illuminans naturam: ergo: Secunda pars antecedentis probant; quoniam gratia ſanctificans cum omnibus virtutibus, & donis eſt principium pluſquam ſufficiens ad eliciendos predictos actus; ſed ante ſtatum legis evangelicæ dabatur gratia ſanctificans cum omnibus virtutibus, & donis: ergo, &c.

106 Ad confirmationem reſpondetur: quod ante ſtatum legis evangelicæ datæ fuerunt fides, & gratia ad eliciẽdos actus ſecundum virtutes convenientes ſtatui illius legis; quia vt docet Div. Thomas 2.2. quæſt. 1. art. 7. in argumento Sed contra, ibi: *Sed contra eſt, quod Gregorius dicit, quod ſecundum incrementa temporum crevit ſcientia SS. PP. & quanto viciniores adventui Salvatoris fuerunt, tanto Sacramenta ſalutis plenius perceperunt*: quod optimè probat, & explicat in corp. & ad 4. ait ibi: *Dicendum, quod vltima conſumatio gratiæ facta eſt per Chriſtum, vnde, & tempus eius dicitur tempus plenitudinis, ad Galatas 4. & ideò illi, qui fuerunt propinquiores Chriſto, vel ante, ſicut Ioannes Baptiſta, vel poſt ſicut Apoſtoli plenius myſteria fidei cognoverunt, quia, & circa ſtatum hominis hoc videmus, quod perfectior eſt in iuventute, & tanto habet homo perfectiorem ſtatum, vel ante, vel poſt, quanto eſt iuventuti propinquior.* Et ad 3. dixerat de Patribus veteris teſtamenti, ibi: *Et licèt in hominibus quidam ſe habuerint per modum cauſæ agentis, quia fuerunt fidei Doctores, tamen manifeſtatio ſpiritus datur talibus ad vtilitatem communem, vt dicitur 1. ad Corinth. 12. & ideò tantum dabatur Patribus, qui erant inſtitutores fidei de cognitione fidei*

fidei quantum oportebat pro tempore illo populo tradi, vel nude, vel in figura. Hæc D.Thomas,& nil aliud clarius,expreſsius,& evidentius poteſt reſponderi ad confirmationem,in qua Patres Salmanticenſes videntur coæquare fidem,& gratiam Synagogæ gratiæ, & fidei Eccleſiæ.Et lib.1.contra Gentiles,cap.5. ibi: *Lex vetus, quæ temporalia promiſſa habebat, pauca propoſuit,quæ humanæ rationis inquiſitionem excederent.*

107 Ex doctrina Div. Thomæ manifeſtè apparet qualiter natura fuerit illuminata in ſtatu imperfecto fidei veteris teſtamenti,& ex communi fide ſtatus Synagogæ expreſsè docet idē Angelicus Magiſter,quod evangelica conſilia non fuerunt data,nec revelata in illa lege,in qua ſolum quę ſpectant ad imperfectionem inſtituta fuerunt, vt ex eodem Angelico Magiſtro demonſtratum fuit in 2.p.Diſc.6.§.1.Sed quia Patres Salmanticenſes ſic vniverſaliter ſupponunt fidei illuminationem in veteri lege ad cognoſcendum actus virtutum, & rectitudinem eorum ad vota,in quo illuminationem fidei præſentis Eccleſiæ cum vmbris veteris teſtamenti confundunt, vt differentia, & claritas ſtatus fidei præſentis Eccleſiæ magis percipiatur,ex oppoſitione vmbrarum,& tenebrarum veteris legis, verba Div. Ambroſij,quibus vtitur vniverſalis Eccleſia in feſto Sancti Martini Epiſcopi ad Matut.3. Noct.referam,ibi: *Quia in Superioribus Eccleſiam Synagogæ prætulit,hortatur nos, vt fidem potius noſtram ad Eccleſiam transferamus.* In quibus verbis notandum eſt, quod ſub nominibus Eccleſię,& Synagogæ quæſtionem de differentia fidei in vtroque teſtamento proponit,& poſtquam Chriſtus Dominus dixit: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, ſemper Sancti Patres,& Doctores in quæſtionibus ad vetus, & novum teſtamentum pertinentibus, numquam ſub nomine Eccleſiæ, quæ ad vetus teſtamentum ſpectant,propoſuerunt, vt noviſsimè Patres Salmanticenſes in hac diſputatione.

108 Quęſtionem de fide in vtroque teſtamento reſoluit Sanctus Doctor,& de fide Eccleſię ait ibi: *Verbum enim Dei fides noſtra eſt: Verbum Dei lux eſt. Lucerna eſt fides. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Lucerna autem lucere non poteſt, niſi aliunde lumen acceperit.* Hæc eſt fides Eccleſiæ, lucerna ardens,& lucens ex illa luce,quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,lux Chriſti, & verbi incarnati,quæ omnia eius myſteria revelavit, vniverſo terrarum orbi,& quidquid ad perfectionem gratiæ, ſpiritus, & vitæ, mon-

mentes illuminans & ſenſus hominum, demonſtravit.

109 Differentiam fidei legis gratiæ, ſeù Synagogæ, & Eccleſiæ mirabili, & ſubtiliſsima doctrina docet D. Ambroſius, ſeù Eccleſia ibidem, lect. 2. ibi: *Hæc eſt lucerna, quæ accenditur, virtus ſcilicèt, noſtræ mentis, & ſenſus, vt drachma illa poſsit, quæ perierat, reperiri. Nemò ergo fidem ſub lege conſtituat. Lex enim intra menſuram eſt, vltra menſuram gratia: Lex obumbrat, gratia clarificat. Et ideò nemò fidem ſuam intra menſuram legis includat; ſed ad Eccleſiam conferat, in qua ſeptiformis ſpiritus relucet gratia, quam princeps ille Sacerdotum fulgore ſupernæ divinitatis illuminat, nè eam legis vmbra reſtinguat. Denique lucerna illa, quam Matutinis veſpertiniſque temporibus, ritu veteri, Iudæorum princeps Sacerdotum ſolebat accendere, velut ſub modio ſita legis evanuit: & civitas illa Hieruſalem, quæ in terris eſt, quæ occidit Prophetas quaſi in convalle fletus poſita delitéſcit: Illa autem Hieruſalem, quæ in Cœlo eſt, in qua militat fides noſtra, in illo altiſsimo omnium locata monte, hoc eſt, Chriſto, non poteſt tenebris, & ruinis huius mundi abſcondi, ſed fulgens candore ſolis æterni, luce nos gratiæ ſpiritualis illuminat.* Hæc D. Ambroſius in Officio citato, ſivè ex eo Sancta Mater Eccleſia: ergo fides in veteri teſtamento, veteri lege concluſa, quaſi ſub modio ſita mentes obumbrabat; potius quam illuminaret naturam humanam ſub ritu veteris legis; & fides gratię pręſentis Eccleſiæ, in qua ſeptiformis ſpiritus relucet gratia naturam illuminavit, & illuminat supernę divinitatis fulgore: ergo antequam Sol iuſtitiæ oriretur in mundo, non fuit illuminata natura ad cognoſcendum perfectionem virtutum, quæ ad legem gratiæ pertinent: nec vita Chriſti fuit revelata in fide communi Synagogę, nec cognitum myſterium Incarnationis ex Virgine, quia multa, quæ portare non poterant diſcipuli vivente Domino, & redemptione peracta, Spiritus Sanctus docuit illuminans redemptam hominum naturam, vt ex verbis Chriſti conſtat. Ioan. cap. 16. v. 12. ibi: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo: cum autem venerit ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et lect. 3. ad textum Ioannis explicat Angelicus Doctor, quod fuit reſervata Spiritui Sancto, & naturę redemptæ revelatio myſterij Incarnationis ex Virgine, & ęqualitas filij, & manifeſtatio ſenſus ſpiritualis ſcripturarum.

110 Suppoſito hoc diſcrimine inter fidem legis veteris, & gratiæ, ſubiungitur minor; ſed ſecundum Salmanticenſium doctrinam omnia hæc fuerunt revelata Eliæ, & Monachis, & Monialibus veteris legis in inſtitutione veri ſtatus religioſi

quoad

quoad ſubſtantiam evangelici: ergo hæc doctrina confundit ſtatum fidei Eccleſiæ,& Synagogæ: ergo in ſtatu illo ſervitutis non fuit illuminata natura humana in vmbris ex luce ſita ſub modio,ſed lucerna illa poſita ſuper candelabrum Eliæ,qua illuminavitSynagogam virtutibus,& præcipuis myſterijs legis gratiæ,quæ ante Spiritus Sancti adventum portare non potuerunt Apoſtoli,& diſcipuli: Minor,in qua eſt difficultas,probatur, nā hic aſſerunt,& ſupponunt Salmanticenſes,quod natura humana ex fide communi fuit ſufficienter illuminata in illa lege ad cognoſcendum rectitudinem actuum virtutum,in quibus conſiſtit perfectio evangelica, & conſilia, & vota illarum virtutum , & dicunt quod non fuit neceſſaria ſpecialis revelatio , vt vota emitterent illi religioſi veteris legis, quia emittere illa potuerunt in illo ſtatu vero evangelico,quoad ſubſtantiam ex fide communi: atqui ad emiſsionem votorum in ſtatu vero religioſo non ſolum requiritur cognitio virtutum, & votorum, ſed etiam revelatio regni cœleſtis, & promiſsionum ſpiritualium: ergo ex fide communi Synagogę fuit revelatum regnum cœlorum Iudęis,vel Monachis illis. Hoc aſſertum vt Pelagianiſmum damnant Hieronymus , & Auguſtinus cum alijs Patribus laudatis 1. part. Diſcurſ. 1. §. 3. & 4. Tum etiam ad ſtatum illum conſtituendum, & vota emittenda in illo, revelatus fuit Chriſtus Dominus, vitaque illius, Deus,& homo,vt Author,& inſtitutor vitæ evangelicæ, & ſpiritus legis gratiæ,vt imitaretur vt exemplar. Fuit etiam revelatum votum virginitatis Deiparæ, in quo myſterium Incarnationis fuit cognitum,& in illo æqualitas filij cum patre: Hæc omnia ſupponunt Patres Salmanticenſes in hac diſputatione,& Hiſtoricus propheticus in ſua Hiſtoria,& Apologia,quod revelata fuerunt in Synagoga ſtatui religioſo ab Elia inſtituto ſivè ex fide communi illius populi, ſivè ex fide communi revelata Monachis,& Monialibus veteris legis: ergo ſuppoſita inſtitutione huius ſtatus lux fidei Eccleſiæ præsētis,&Synagogę quoad myſteria revelata parum,vel nihil diſtinguuntur.

111 Præcedenti argumento in ſtatu ſervitutis Synagogæ ſupponunt Salmanticenſes naturam humanam ex fide veteris legis illuminatam ſufficienter ad cognoſcendum virtutes, & conſilia legis gratiæ,& ex conſequenti ad emittenda vota evangelica eamdem illuminationem extendunt ad omnes illas perfectiones,quæ in reſponſione ad argumentum continentur.

ex quibus fide, veteris teſtamenti, & Synagogæ nihil differt in revelatis, & creditis quoad extenſionem à ſtatu fidei præſentis Eccleſiæ.

§. III.

Secundo argumento, & illius inſtantijs reſpondetur.

112 SEcundo arguunt ratione, vt aſſerunt, everſiva principalis fundamenti opinionis contrariæ, & eſt idẽ argumentum ſupra factum ſub alijs terminis. In prædicto tempore fuerunt alia non pauca, quæ perfectiora ſunt ſtatu religioſo: ergo ex capite imperfectionis veteris legis non repugnat ſtatus religioſus: Antecedens probant, quia ante tempus legis evangelicæ fuit vera Eccleſia Catholica eadem ſubſtantialiter cum Eccleſia, quæ modo eſt. Tum etiam, quia fuit gratia ſanctificans cum fide, ſpe, charitate, religione, & alijs virtutibus ſupernaturalibus, & Donis Spiritus Sancti, per quæ homo interius renovatur, & conſtituitur amicus, ac filius Dei adoptivus, & heres vitæ æternę, quod perfectius eſt, quam ſtatus religioſus, qui quantum eſt de ſe poteſt coniugi cum peccato mortali. Tum etiam; quia melior eſt ſtatus iuſtitiæ, quam ſtatus religionis, & ſtatus iuſti, quam ſtatus religioſi, & nihilominùs ante legis evangelicæ tempus fuerunt veri iuſti exiſtentes in ſtatu iuſtitiæ, vt liquet ex dictis loco citato, nempè dub. 1. num. 3. & 5. ergo poſſibilis fuit ſtatus religioſus, ſiquidem imperfectior eſt his actibus, & ſtatibus.

113 In hoc ſecundo argumento ad alia progrediuntur, & quidquid perfectionis habet præſens Eccleſia ex gratia Chriſti paſsi, ſub nomine Eccleſię introducunt in Synagogam, vt ex fide, & gratia eam exaltent, & diſponant ad inſtitutionem ſtatus veri religioſi evangelici. Dicunt, & ſupponunt, quod ante legẽ evangelicam fuit vera Eccleſia catholica eadem ſubſtantialiter, & eſſentialiter cum præſenti Eccleſia, quod in illa Eccleſia vera catholica fuit gratia ſanctificans cum fide, ſpe, & charitate, & alijs virtutibus ſupernaturalibus, quibus homo interiùs renovatur, & conſtituitur filius Dei, & hæres vitę æternæ, fuit etiam ſtatus amicitiæ, filiationis, & adoptionis, qui quidem ſtatus perfectior eſt ſtatu religioſo evangelico, quia hic ſtatus compatitur cum peccato mortali, & ſtatus filiationis repugnat cum pecca-

to mortali. Hæc omnia in Synagoga, vel in Eccleſia Iudæorum ſupponunt ante adventum Chriſti, quæ ſi eſſent, ſtatus religioſus eſſet poſsibilis; ſed nimis Synagogam exaltant, & his exornata gratijs, & excellentijs grata erit Iudæis, qui pro perfectione Synagogæ, & veteris legis pertinaciter pugnant in noſtro ſæculo.

114 Ne igitur ſuperbiant Iudæi in his gratijs, & prærrogativis à Salmanticenſibus Synagogę, & veteri legi conceſsis, ad ſingula reſpondere neceſſe eſt, iuxta doctrinam Apoſtolorum à Div. Auguſtino traditam in Pſalm. 74. ibi: *Ne longum faciam, quomodò Apoſtoli exhortabantur gentes, ne deſperarent, quia in magis peccatis iacuiſſent, & reprimebant Iudæos ne ſe extollerent quaſi ex iuſtificationibus legis, & ideò ſe putarent iuſtos, gentes autem peccatores, quod Iudæis, & lex erat, & templum erat, & Sacerdotium erat.* Et vt ſuperbiam reprimeret Iudæorum Div. Auguſtinus, quomodò ſanctificationes fuerint in Synagoga, vel Eccleſia ante legem gratiæ, docuit vbi ſupra, ibi: *Calix enim vini meri plenus mixto videtur mihi eſſe lex, quæ data eſt Iudæis, & omnis illa ſcriptura veteris, quod dicitur teſtamenti: vbi ſunt pondera omnium ſententiarum; nam ibi novum abſconditum latet teſtamentum tamquam in fece corporalium Sacramentorum: Circumciſsio carnis magni Sacramenti res eſt, & intelligitur ex eo circumciſsio cordis: templum Hieruſalem illud magni Sacramenti res eſt, & intelligitur ex eo Corpus Domini: Sacrificium victimarum, & peccatorum magnum habet Sacramentum; ſed in omnibus illis generibus Sacrificiorum vnum illud ſacrificium, & vnica victima in Cruce Domini: pro quibus omnibus ſacrificijs vnum nos habemus, quia, & illa figurabant hæc, id eſt, illis hæc figurabantur.* Hæc D. Auguſtinus ne Iudæi ex ſuis iuſtificationibus ſuperbirent.

115 Et ne ſuperbiant Hebræi, qui in ſua perfidia obſtinati perſeverant legentes in Magiſtris catholicis: quod in Eccleſia veteris legis abſolutè fuit gratia iuſtificans eadem, & ſtatus iuſtitiæ, filiationis, & adoptionis cum alijs virtutibus ſupernaturalibus, quibus exornantur iuſti in lege gratiæ, neceſſarium eſt explicare differentiam, & diſcrimen gratiæ in vtroque teſtamento ante redemptionem, & poſt redemptionem, quod licèt ex dictis in hac 3. p. Diſc. 1. §. 1. Manifeſtum ſit, ex differentia ſtatuum Eccleſiæ veteris, & novæ legis; vt evidentius intelligatur ſupponendum eſt; quod inter ſtatum Synagogæ, & præſentis Eccleſiæ medius fuit ille ſtatus, in quo ſimul currebant

lex,& evangelium vivente Chriſto Domino cum ſuis Apoſtolis ante conſumationem myſterij Crucis: in hoc ſtatu edocti fuerunt Apoſtoli,inſtructi,& diſpoſiti,vt illuminationem fidei acciperent prẹſentis Eccleſiæ,& gratiam novi teſtamenti per Spiritum Sanctum; & hic ſtatus minus imperfectus fuit, quam ſtatus veteris teſtamenti, in quo tantum currebat lex vetus: & differentiam gratiæ,& fidei Apoſtolorum in hoc ſtatu medio ante redemptionem, & in ſtatu perfecto præſentis Eccleſiæ poſt redemptionem, & Spiritus Sancti adventum aſsignavit D.Ioannes Chryſoſtomus,ſivè ipſa Eccleſia in Homil. eiuſdem Sancti Doctoris,quæ ab vniverſali Eccleſia legitur in feſto Sancti Iacobi Maioris ad Matut. in 3. Noct. lect. 1. ibi: *Non turbetur quiſquam, ſi adeò imperfectos dicimus Apoſtolos fuiſſe: nondum enim myſterium Crucis erat conſummatum, nou dum gratia Spiritus Sancti in corda ipſorum infuſſa. Quod ſi virtutem ipſorum diſcere cupis, quales poſt datam gratiam Spiritus fuerint, conſidera, & videbis omnem ab illis perverſam affectionem fuiſſe ſuperatam. Hac enim de cauſa eorum modo imperfectio revelatur, vt apertè percipere poſsis, quales ſubito per gratiam effecti fuerunt. Quod igitur nihil ſpiritnale petebant, nec de cœleſti regno quidquam cogitabant, perſpicuum eſt.* In quibus reflectendum eſt; quod Apoſtoli vivente Domino Salvatore ab eo inſtructi adhùc imperfecti erat ante Crucis myſterium,& de cẹleſti regno non cogitabant; iuſti erant ex gratia,& quales eorum virtutes fuerint in illo ſtatu ante Crucis myſterium,cōſiderandum eſt poſt gratiam conſummatam Spiritus Sancti adventu,& manifeſtè docet Eccleſia, quod in illo ſtatu medio nondum ſuperaverant perverſam affectionem ad terrena, ſiquidem primas ſedes petebant in regno terreno: ergo licèt in Eccleſia veteris legis fuerit fides, quæ illuminaret naturam, & gratia, quẹ iuſtificaret animam in illo ſtatu ſervitutis, nec fides illuminavit naturam ad cognoſcendas virtutes evangelicẹ perfectionis, & conſilia legis gratiẹ in ſtatu, nec gratia iuvabat ad ſuperandam perverſam affectionem ad terrena per totalem abdicationem in vero ſtatu religioſo evangelico per vota religioſa evangelica: itaque ex fide, gratia, iuſtificatione,& adoptione veteris legis nihil probant Salmanticenſes,niſi vellint,quod Monachis circumciſis, & Monialibus Iudæis infuſſa fuerit clarior fidei illuminatio,& efficatior gratia data in illo ſtatu purè ſervitutis,quam Apoſtolis,& diſcipulis in ſtatu, in quo ſimul currebant lex, & evangelium, orto iam

ſole,

ſole, ſed nondum peracto Crucis myſterio.

116 Inſtant Salmanticenſes: ante legem gratię fuit vera Eccleſia catholica eadem ſubſtantialiter cum Eccleſia præſenti: ergo potuit eſſe ſtatus religioſus, qui minus perfectus eſt, quam Eccleſia catholica: Sed hæc inſtantia manifeſtam habet fallaciam ex confuſione ſtatuum, & ſimili argumento demonſtratur: ante nativitatem habet homo naturam humanam eãdem, quam habet in ſtatu perfecto virilitatis; ſed natura humana eſt perfectior, quam ſtatus virilitatis: ergo ante nativitatem poteſt habere homo ſtatum virilitatis: non valet conſequentia, vt notum eſt, quia ſtatus virilitatis licèt metaphiſicè conſideratus accidentalis ſit eſſentiæ, & naturæ hominis, phiſicè petit certas, & determinatas diſpoſitiones in ſubiecto, ſine quibus eſſe non poteſt: Sic enim corpus myſtycum Eccleſiæ, licèt in ſtatu puerili illius legis naturam, & eſſentiam veræ Eccleſiæ habuerit, non inde ſequitur, quod in illo ſtatu ſervitutis puerilis potuerit habere ſtatum religioſum verum, ad quem requiruntur diſpoſitionis legis gratiæ in ſtatu virili perfecto.

117 Licèt hæc ſolutio evidens ſit, conceſsis præmiſsis, ad doctrinam Salmanticenſium eſt reflectendum, quia ante legem gratiæ ſupponunt fuiſſe veram Eccleſiam catholicam, quã concedimus ſecundum fidem illam, Eccleſiam veram fuiſſe, vnamque cum præſenti in fide interna, qua interne conſtituitur, & ſolum diſputatur: an in illo ſtatu fuerit catholica, quatenus catholicum nomen græcum eſt, quod vniverſale ſignificat, itaque dubitatur: in quo ſtatu fuerit Eccleſia catholica, an in ſtatu ſervitutis Synagogæ, vel in ſtatu libertatis legis gratiæ; & ſupponendum eſt, quod Eccleſia poteſt eſſe vna vnitate fidei internę, & in hoc ſenſu ab origine mundi Eccleſia eſt vna, & ad hanc vnitatem non ſolum pertinent iuſti, & fideles veteris legis; ſed etiam cathecumeni legis gratiæ, qui credunt ante Baptiſmum, & ſunt membra veriſsima Eccleſiæ, vt advertit Magiſter Cano de locis lib. 4. cap. 2. cum vero Eccleſia corpus ſenſibile ſit, myſticum, & viſibile, non ſufficit fides interna ad cõſtituendum Eccleſiam, ſed requiritur aliquod ſignum ſenſibile externum, quo fides interna proteſtetur, vt benè advertunt Salmanticenſes in hac diſp. dub. 1. Itaque numquam Eccleſia fuit fide interna tantum conſtituta, quia in lege naturæ, & ſcripta inſtituta, & revelatą à Deo fuerunt ſigna, & ſacrificia in proteſtationem fidei internæ, quibus fideles viſibiliter diſtinguerentur ab infidelibus.

118 His ſuppoſitis dicimus, quod ante legem gratiæ in nullo ſtatu fuit Eccleſia catholica vniverſalis, ſcilicèt, conſtituta aliquo ſigno ſenſibili omnibus fidelibus neceſſariò ad ſalutē in omni tempore, & loco: non in ſtatu legis naturalis, quia data lege per Moyſem, ſigna illa externa, quibus in lege naturæ fideles diſtinguebantur, non obligabant Iudæos, quibus data fuit circumciſsio cum alijs ritibus, & ſacrificijs: non in lege Moyſis, quia circumciſsio, & cætera ſacrificia illius legis tantum ligabant Iudęos, & extra hunc populum lex naturalis vigebat, & aliqui poſt legem ſcriptam, in naturali vixerunt, & ſalvi facti ſunt, vt advertunt Salmanticenſes vbi ſupra ex Div. Dionyſio, & Div. Thoma: ſtatus Eccleſiæ ſervitutis ſub lege Moyſis non fuit vniverſalis, quia lex Moyſis non obligabat extra populum Iudaicum, nec circumciſsio fuit data, niſi Iudæis de neceſsitate ſalutis: at illi ritus, & illa Sacrificia ceſſarunt cum lege gratiæ: ergo Eccleſia in illo ſtatu imperfecto, & ſervitutis non fuit vniverſalis, & catholica.

119 In Chriſto ergo inſtitutus fuit ſtatus vniverſalis Eccleſiæ catholicę ex lege gratiæ, quæ omnes obligat ex ſignis viſibilibus neceſſarijs ad ſalutem omni credenti, & præcipuè ſacro Baptiſmo conſtituta; ex ratione loci, quia lex gratiæ prædicata fuit per vniverſum mundum: ex conditione hominum, quia nullus eximitur ab hoc ſtatu Eccleſiæ, & extra illam nullus ſalvatur: ratione temporis; quia hic ſtatus præſentis Eccleſiæ duraturus eſt vſque ad conſummationem mundi: ergo ante legem gratiæ, & adventum Chriſti Domini, & prædicationem Apoſtolorum nullus ſtatus Eccleſię fuit catholicus, id eſt, vniverſalis, licèt vna ſemper ſit Eccleſiæ fidei vnitate, quia Eccleſia incæpit eſſe vniverſalis, quando incepit eſſe evangelica, Apoſtolica, & Chriſtiana, & Chriſtus Dominus ſolvens parietem maceriæ ex vtroque populo vnum fecit, & ſanctam Catholicā, & Apoſtolicam Eccleſiam fundavit ſupra firmam petrā, quod docet D. Thomas Opuſc. 6. in expoſit. Symb. ad illa verba: *Sanctā Eccleſiam Catholicam*, ibi: *Circa textum ſciendum eſt, quod Eccleſia eſt Catholica, ſcilicèt, vniverſalis: Primo quantùm ad locum, quia eſt per totum mundum contra Donatiſtas, Rom. 1. Fides veſtra annuntiatur in vniverſo mundo: Marc. vlt. Euntes in mundum vniverſum prædicatē evangeliū omni creaturæ: vnde antiquitus Deus erat notus tantùm in Iudæa, nunc autē per totum mundū. Et poſt paucā, ibi: Secundò eſt vniverſalis quantùm ad conditionem hominum: quia nullus abjicitur, nec Dñs, nec ſervus, nec maſculus,*

nec fœmina, Galat. 3. Non eſt maſculus, nec fœmina. Tertio eſt vniverſalis, quantum ad tempus, nam aliqui dixerunt quod Eccleſia debet durare vſque ad certum tempus, ſed hoc eſt falſum, quia hæc Eccleſia incæpit à tempore Abel, & durabit vſque ad finem ſæculi, Matth. 5. Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi; ſed poſt conſummationem ſæculi remanebit in Cœlo. Hæc D. Thomas: ergo hæc propoſitio abſoluta, quod ante legem gratiæ fuit Eccleſia catholica præſentem Eccleſiam Chriſti deprimit, & Synagogam nimis exaltat, & ad intentum nihil probat.

120 Quia in his quæſtionibus de Synagoga, & Eccleſia ſupponitur vna Eccleſia vera fide conſtituta tàm in veteri, quàm in nova lege; veram fuiſſe Eccleſiam ante legem gratiæ certum eſt quatenus verum opponitur falſo, quia vera fide ſupernaturali exiſtebat in Synagoga ante legem gratiæ in corpore illo myſtico ſub lege ſervitutis; ſed quia Patres Salmanticenſes ex hac veritate Eccleſiæ, ad poſsibilitatem veri ſtatus religioſi arguunt, oportet diſtinguere veritatem prçſentis Eccleſiæ à veritate Eccleſiæ, ſeù Synagogæ ante legem gratiæ, quia illa fuit vera figura, & imago, ſeù vmbra præſentis Eccleſiæ, non quia haberet eamdem veritatem, quæ data fuit per Chriſtum in lege gratiæ huic Eccleſiæ præſenti per illam figuratæ in veteri lege, & ita veritas huius Eccleſiæ diſtinguitur à veritate Synagogæ, ſicut veritas prothotypi à veritate typi, & ſicut veritas corporis à veritate figuræ, & imaginis, & vmbræ illius: ex quo patet fallacia argumenti, quia Salmanticenſes arguunt à veritate figurativa Eccleſiæ in veteri lege ad veritatem evangelicam ſtatus religioſi legis gratię; & ideò licèt non repugnabat in veteri lege vera Eccleſia figurativa præſentis Eccleſiæ, repugnabat ſtatus huius Eccleſiæ verus in veritate evangelica.

121 Nec abſolutè verum eſt, quod Eccleſia ante legem gratię fuerit perfectior vero ſtatu religioſo evangelico, vt ſupponunt Salmanticenſes: quia Eccleſia ſecundum ſe conſiderata, quatenus ab origine mundi eſt vnum corpus myſticum in vera fide, & vero cultu veri Dei vnitum, ſuos habuit ſtatus magis, vel minus perfectos ſecundum leges, & tempora, vt ſua altiſsima providentia Omnipotens Deus corpus Eccleſiæ ordinavit ad Chriſtum: itaque Eccleſia imperfectior fuit in ſtatu naturæ, in quo magis diſtabat à Chriſto: poſtquam Abrahàmo facta fuit promiſsio, quod Chriſtus naſceretur ex ſemine illius, perfeçit Eccleſiam in illo populo lege ſcripta, vt docet Angeli-

cus Magiſter 1.2.q.98.art.6.in Corp.ibi: *Oportebat enim huiuſmodi auxilium quodam ordine dari, vt per imperfecta ad perfectionem manuducerentur,& ideò inter legem naturæ, & legem gratiæ oportuit legem veterem dari.* In hoc ſtatu dedit Deus Eccleſiæ Prophetas, qui futura prædicerent, & inſtituit ſacrificia, in quibus perfectiora præfigurabantur vſque ad prædiffinitum tempus à Patre: in plenitudine temporum dedit Deus filium ſuum, qui in ſanguine ipſius Eccleſiam acquiſivit, vt Act.20.v.28.eamque renovavit, ſeù novam fecit plenitudine gratiæ, vt ſupra dictum eſt Diſc.1. §.1.& lege gratiæ conſtituit ſtatum perfectum Eccleſiæ reformando corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ,& membra Eccleſię redemit, perfecit, & mundavit, deditque Sacramenta ſalutis, inſtituit Miniſtros Sacramentorum,& in ea ordinavit ſtatus evangelicos, vel caracteribus, vel conſilijs,& votis: itaque omnes ſtatus veri evangelici præſentis Eccleſiæ ita perfectionem legis gratiæ ſupponunt ad ſuam eſſentiam,& ſubſtantiam, vt ſine perfectione legis gratiæ verum ſtatum evangelicum concipere, vel intelligere chymericum figmentum eſt.

122 Status verus religioſus, quod ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicus, ſecundum quod ſubſtantialiter, & eſſentialiter neceſſariò includit,& ad eius conſtitutionem requiritur, in multis perfectior eſt, quam ſtatus Eccleſiæ ante legem gratiæ, quia quilibet ſtatus vt ſubſtantialiter,& eſſentialiter ſit verus,& evangelicus, neceſſariò requirit, quod myſteriumCrucis ſit peractum conſummata redemptione: neceſſariò requirit inſtitutionē evangelij,& legis gratiæ: neceſſariò requirit,& ſupponit manifeſtationem ſenſus ſpiritualis ſcripturarum,& revelationē regni cœleſtis. His neceſſariò ſuppoſitis, in ſtatu communi perfecto præſentis Eccleſiæ; ſpecialis ſtatus perfectionis evangelicæ ex conſilijs,& votis perfectior erit addens conſilia præceptis ſtatui communi evangelico ex lege,& ſine his prærequiſitis nec eſſet ſtatus præſentis Eccleſię, nec verus veritate evangelica, nec evangelicus quoad ſubſtantiam,& eſſentiam, ſed eſſet alius ſtatus religioſus ſecundum aliam providentiam, qui evangelicus,& verus non eſſet: ergo ſtatus verus religioſus præſentis Eccleſiæ conſtitutus votis legis gratiæ, perfectior eſt ſtatu Eccleſiæ veteris legis, ſeù ante legem evangelicam.

123 Nec obſtat ſi dicant, quod non comparatur Eccleſia veteris legis ſtatui religioſo vero evangelio ſecundum quod

ha-

habet ex lege gratiæ, ſed ſecundum quod prçciſſe habet ex cō-ſilijs, & votis, quæ quidem reducuntur ad paupertatem, obediē-tiam, & caſtitatem, quæ virtutes morales ſunt: at vero ſtatus Eccleſiæ veteris legis conſtituebatur fide, ſpe, & charitate, quæ ſunt virtutes ſupernaturales perfectiores virtutibus conſiliorū, & in hac acceptione perfectior fuit ſtatus Eccleſiæ veteris te-ſtamenti ſtatu vero religioſo evangelico.

124 Reſpondetur, quod vota, ſeù conſilia religioſa ſe-cundum ſe conſiderata repugnant ex multis imperfectioni ve-teris legis, vt ſæpè diximus, & infra etiam demonſtrabitur, ſed dato, & non conceſſo, quod ſine perfectione, quam habent ex lege gratię eſſent poſsibilia in lege veteri, non conſtituerent ſtatum verum evangelicum, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam in ſpiritu legis gratiæ, vt defenditur à Salmanticenſibus, ſed alium ſtatum religioſum, ſeù modum vivendi ſecundum eſſentiam, & ſubſtantiam ſtatus Eccleſiæ veteris legis, eſſet vmbraticus, & fi-gurativus ſicut ſtatus Eccleſiæ, quia modus ſequitur rem cuius eſt modus, & non eſſet inſtitutus in ſtatu fidei, ſpei, & charitatis, quam habet præſens Eccleſia ex lege gratiæ, & evangelij, ac perconſequens non eſſet verus, & evangelicus veritate evange-lica, ſed veritate vmbratica, & figurativa, & in littera occiden-te inſtitutus, quod patet ex D. Auguſtino laudato à D. Thoma 1.2.q.106.art.2.in corp. ibi: *Vnde Apoſtolus dicit 2. ad Corinth. 3. littera occidit, ſpiritus autem vivificat; & Auguſtinus exponit in lib. de ſpiritu, & littera, quod per littera intelligitur qualibet ſcriptura extra homines exiſtentes, etiam moralium præceptorum, qualia continentur in evangelio, vnde etiam littera evangelij accideret, niſi adeſſet interiùs gra-tia fidei ſanans.* Et in quo hæc gratia evangelij conſiſtit, dixerat ibidem ſupra, ibi: *Ad legem evangelij duo pertinent, vnū quidem prin-cipaliter, ſcilicèt, ipſa gratia Spiritus Sancti interiùs data, & quantum ad hoc nova lex iuſtificat*: ergo licèt conſilia paupertatis, obedien-tiæ, & caſtitatis poſsibilia eſſent in ſtatu veteris legis, quæ non dabat gratiam, nec iuſtificabat, impoſsibile eſt, quod ſine gratia ex lege nova conſtituerent ſtatum verum, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicum in ſpiritu legis gratiæ; ſed alium ſta-tum figurativum in littera occidente illius legis, ac perconſe-quens ſine lege iuvante interiùs per gratiam novi teſtamenti, non eſſet ſtatus perfectionis evangelicæ, ſed mortis, & damna-tionis iuxta dicta ex Apoſtolo ſupra 2.p.Diſc.5. §. 6. & 7. ergo conſideratio ſtatus religioſi ex votis tantum ſine perfectioni-

bus,& gratia,quas habet in præſenti Eccleſia ex lege nova,impertinens eſt ad præſentem quæſtionem,in qua Salmanticenſes conantur probare poſſibilitatem veri ſtatus religioſi quoad ſubſtantiam,& eſſentiam in veteri lege evangelici, quia eſſet alius ſtatus figurativus,& vmbraticus.

125 Inſtant Salmanticenſes, quod ante legem gratiæ fuit gratia iuſtificans cum fide,ſpe,& charitate,& religione, cũ alijs virtutibus ſupernaturalibus, per quas homo conſtituitur amicus, filius,& hæres vitę ęternæ, quod perfectius eſt quam ſtatus religioſus: ergo potuit eſſe ſtatus verus religioſus evangelicus,qui quantum eſt de ſe poteſt cõiugi cum peccato mortali,& gratia iuſtificans, filiationis, & adoptionis, non poteſt coniugi cum peccato mortali: & vrgent alia inſtãtia; quia melior eſt ſtatus iuſtitiæ,quam ſtatus religionis,& ſtatus iuſti, quã ſtatus religioſi,& nihilominùs ante legis evangelicæ tempus fuerunt veri iuſti exiſtentes in ſtatu iuſtitię,vt liquet loco citato dub.1.n.3.& 5. ergo poſsibilis fuit verus ſtatus religioſus.

126 In his inſtantijs maxima laborant fallacia Salmanticenſes ex perſonis iuſtificatis,& ex filijs veteris teſtamenti ad ſtatum,quia nullus catholicus poteſt negare,quod in veteri teſtamento fuerint iuſti,& filij Dei,iuxta dicta ſupra Diſc. 1. §. 1. ſed ante tempus legis evangelicæ non fuit ſtatus iuſtitię, iuſtificationis,filiationis,& adoptionis,vt ſæpè diximus, quia ſtatus conſtituitur à lege,& ita vſque ad legem gratię, quæ ex ſe iuſtificat,non fuit ſtatus iuſtificationis,nec filiationis, & adoptionis ante redemptionem generis humani per Chriſtum, cuius ſanguine,& meritis inſtitutus fuit ſtatus iuſtitiæ, iuſtificationis, & adoptionis in lege gratiæ,vt conſtat ex Div.Paulo ad Galat. cap.2.v.21.ibi: *Si enim per legem iuſtitia: ergo gratis mortuus eſt Chriſtus*: at ſine lege iuſtitiæ non poteſt eſſe ſtatus iuſtitię: ergo ante mortem Chriſti,& legis gratiæ tempus, non fuit ſtatus iuſtitiæ: fuerunt in veteri lege iuſti: ſed ſine ſtatu iuſtitiæ,ſicut multi in lege gratiæ ſunt perfecti,& non ſunt in ſtatu perfectionis, & aliqui ſunt in ſtatu perfectionis,qui non ſunt perfecti,vt ſæpè diximus ex D.Thoma: ita aliqui in veteri teſtamento fuerunt iuſti,& non fuerunt in ſtatu iuſtitiæ,& multi in lege nova ſunt peccatores in ſtatu iuſtitiæ,filiationis,& adoptionis,& non ſunt iuſti,nec filij,ſed iniuſti,& filij irę, quia licèt peccatores ſint, ſunt in ſtatu legis gratię ex qua iuſtificari poſſunt: vnde ſi ſtatus religioſus verus eſſet in veteri lege in ſpiritu legis gratiæ quoad ſub-

ſubſtantiam, & eſſentiam, vel in illo poterant iuſtificari per legem illam Monaſticam, vel per legem veterem in eo profitẽtes; vel non: ſi per legem ante Chriſti adventum potuit eſſe iuſtitia: ergo gratis mortuus eſt Chriſtus: ſi non poterant per legem iuſtificari: ergo ille ſtatus non eſſet iuſtitiæ, nec perfectionis, nec filiationis, nec adoptionis, nec evangelicus, nec inſtitutus in ſpiritu, & veritate legis gratiæ: itaque concipere verum ſtatum religioſum poſsibilem, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicum in veritate, & ſpiritu legis gratię inſtitutum in veteri lege, ſine ſtatu iuſtitiæ ex aliqua lege iuſtificante, & ſine gratia evangelij, nec concipi metaphiſice poteſt, quia videtur implicationem involuere. Tandem reſpondetur ex doctrina D. Ambroſij ſupra in hac 3. p. Diſc. 1. §. 1. quod in veteri lege extiterunt filij, & hæredes, ſed ſine re, & ita non fuerunt perfecti, filij, & hæredes in re, & in ſtatu, de quo procedit diſputatio, & ſupponunt Salmanticenſes.

§. IV.

Alia Salmanticenſium argumenta ſolvuntur.

127 Arguunt Patres Salmanticenſes alio exemplo: In veteri lege fuit Martyrium, ſed actus, quo homo ſe offert ad Martyrium eſt melior, & perfectior, quam actus requiſiti ad ſtatum religioſum: ergo ſtatus religioſus fuit poſsibilis in veteri teſtamento. Huic argumento reſpondetur ex dictis concedendo maiorem, & minorem, & negando conſequentiam, quia arguunt ex his, quæ ſunt de neceſsitate ſalutis ad illa, quę tantum requiruntur ex conſilio ad meliùs, & faciliùs: Martyrium, ſuppoſita revelatione fidei, eſt de neceſsitate ſalutis quando adeſt obligatio confitendi illam propter Deum, & non conſtituit ſtatum ſpecialem, ſed omni ſtatui fidelium obligat, & obligavit debitis circumſtantijs, & ſicut non valet conſequentia ex Martyrio ad verum Pontificatum evangelicum, & Sacerdotium, & ad alia legis gratiæ, ſic non tenet ad ſtatum religioſum.

128 Nec valet Salmanticenſium effugium, hic dicentium, quod comparentur perfectiones diverſi generis, vt argumentum procedat, licèt non comparentur ſecundum, quod importat formaliter ſtatus, quia motivum negativum ſtatus religioſi

ligioſi in illa lege eſt imperfectio illius: ergo ſi hæc imperfectio non impedivit actus perfectiores, benè infertur, quod non impedivit minus perfectos licèt diverſi generis. Sed hoc effugium facilè de falſitate convincitur hoc argumento: In ſtatu Matrimonij poſſunt eſſe, & ſæpiſsimè ſunt actus perfectiſsimi fidei, ſpei, & charitatis perfectiores, quàm actus quibus conſtituitur ſtatus religioſus: ergo in ſtatu Matrimonij poſſunt eſſe actus, quibus conſtituitur ſtrictè, & perfectè ſtatus religioſus, vt inſtitutus fuit à Chriſto Domino in paupertate, caſtitate, & obediẽtia: negabunt Patres Salmanticenſes hanc conſequẽtiam, quia licèt actus, quibus conſtituitur ſtatus religioſus non repugnent cum fide, ſpe, & charitate, repugnant tamen cum ſtatu, actibus, & vſu Matrimonij: ſic ſimiliter actus, quibus conſtituitur ſtatus religioſus, non repugnant cum fide, ſpe, & charitate veteris teſtamenti, ſed cum ſtatu imperfecto hominum veteris teſtamenti, & cum imperfectione ipſius legis, & medijs in ea inſtitutis, & ratio eſt, quia lex illa imperfecta timoris, & ſervitutis debuit inducere homines ad obſervantiam præceptorum per temporales promiſsiones, & comminationes pœnarum, vt docet, & optimè probat Angelicus Pręceptor 1.2.q.99. art. 6. per totum: Actus vero, quibus conſtituitur ſtatus religioſus ex Chriſti inſtitutione conſtituunt in lege gratię ſtatum inducendi homines ad obſervantiam præceptorum per promiſsiones rerum ſpiritualium, & temporalium renuntiationem, non timore pęnarum, ſed amore cęleſtium: ergo hic ſtatus repugnat ſtatui veteris teſtamenti, ex medijs, licèt conveniant in fine vtriuſque legis, qui eſt charitas, & dilectio Dei, & proximi. Breviter reſpondetur: quod ex actibus virtutum ad ſtatum non valet conſequentia: quia actus poſſunt eſſe ſine ſtatu, vel extra, & ſtatus ſine actibus, vt ſæpè diximus ex D. Thoma, & notum eſt, quia ad ſtatum ſufficit lex, votum, vel ſolemnitas, & ad actus habitus internus virtutum, & quæſtio procedit de ſtatu.

129 Occurrunt hic Salmenticenſes obiectioni ex comparatione ſtatus religioſi ad alios ſtatus veteris teſtamenti, quia eſſet perfectior Sacerdocio, & Pontificatu illius legis, ſi verè quoad ſubſtantiam evangelicus eſſet, vt contendunt Patres Salmanticenſes. Reſpondent; quod ſi conſideretur nuda eſſentia ſtatus religioſi pręciſſa à ſolemnitate, poteſtate clavium, & alijs perfectionibus ſuperadditis, quæ defacto habet, talis ſtatus, ſi daretur in lege veteri, minus perfectus eſſet, quam ſtatus Summo-

morum Pontificum,& Sacerdotum. Sed hæc conſideratio maxima confuſio eſt ſtatus religioſi evangelici, quem identificare contendunt cum Eliano veteris teſtamenti; nam ſi conſideretur ſtatus religioſus ſine ſolemnitate,ſine poteſtate clavium, & ſine alijs perfectionibus, quæ modo habet, ſcilicèt ſine gratia ex lege Chriſti,ſine promiſsione ſpiritualium,& cœleſtium, ſine manifeſtatione ſenſus ſpiritualis ſcripturarum,non eſſet ſtatus religioſus,quoad ſubſtantiam,& eſſentiam evangelicus; ſed ſtatus religioſus chymericus ſine ſubſtantia,& eſſentia evangelij, Eccleſiæ Chriſti repugnans,& veteri legi non conveniens, quia præciperet terrena promiſſa in lege deſpicere, & ſpiritualia non promitteret,præciperet etiam difficiliora, & obligaret ad conſilia,& non iuvaret, eſſetque ſine ſpiritu, & veritate, & occideret ſicut lex vetus. Hunc ſtatum ſic nudum imperfectiorem fuiſſe fateor ſtatu Pontificum,& Sacerdotum illius legis, ſed non eſſet ſtatus religioſus evangelicus, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam; ſed vt concipitur à Salmanticenſibus quædam nova imaginatio eſt à nullo hucuſque,nec excogitata, nec inventa.

130 Vlteriùs,vt ſtatus religioſus verus,quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicus in illa lege eſſet eſſentialiter,& ſubſtãtialiter evangelicus debebat habere ſubſtantiam, & eſſentiam legis gratiæ,& evangelij; ſed ex ſtatu legis gratiæ,& ex evangelio non haberet gratiam ex lege,nec perfectionem intrinſecam legis gratię, nec virtutem,nec veritatem illius,nec ſenſum ſpiritualem ſcripturarum apertum: ergo non eſſet quoad ſubſtãtiam,& eſſentiam evangelicus. Confirmatur,quia vt ille ſtatus eſſet evangelicus deberent illis Monachis,& ſtatui illorum revelari myſteria Crucis,& paſsionis,vt in illo ſtatu tollerent Crucem ad imitationem Chriſti,& abnegantes ſeipſos imitarentur vitam Salvatoris; ſed myſteria Crucis,& mortis Chriſti nõ fuerunt revelata diſcipulis Eliæ: ergo non potuerunt conſtituere ſtatum verum religioſum evangelicum: Maior admittitur ab Hiſtorico prophetico,& eam tenentur admittere Patres Salmanticenſes: Minor probatur: Myſteria Crucis,& mortis Chriſti non fuerunt revelata ipſis Apoſtolis vſque ad prædictionem Chriſti Domini: Lucæ cap. 18. ibi: *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis, tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, & poſtquam flagellaverint, occident eum, & tertia die reſurget; & ipſi horum*

rum nihil intellexerunt,& erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. Quod etiam habetur Matth. cap. 20. & ad hunc textum ſuper Matthæum, Homil. 66. ait Div. Ioannes Chryſoſtomus: *Tu vero conſidera, quomodo etiam opportunitate commoda vniverſa patefecit, neque enim ſtatim prædicationem incipiens, nec in ipſo paſsionis hæc dixit tempore, ne audientes turbarentur, ſed poſtea quā virtutes eius miraculis cognoverunt, & æternæ vitæ pollicitationibus fuerunt confirmati, tunc paſsionis meminit, non ſemel aut vix, ſed ſæpiùs hūc ſermonem ſignis, & doctrina intexens.* Et paulò ante dixerat, ibi: *Nam ſi diſcipuli audientes turbabantur, quid n n fecisset multitudo?* Ergo myſteria Crucis, & mortis Domini non fuerunt revelata in veteri lege alicui multitudini, vel Congregationi, nec inſtitutus fuit aliquis ſtatus in illa lege ex cuius inſtitutione Crux Chriſti revelaretur omnibus profitentibus, vt eam per imitationem tollerent, & ſequerentur ob vitam æternam, quia ex Div. Chryſoſtomo hæc myſteria non revelantur, niſi poſt pollicitationes vitę æternę. Cęterum ſi Salmanticenſes contendant myſteria Crucis fuiſſe revelata Monachis ſuis circumciſsis Elianis, ſatiſfacere, & reſpondere tenentur verbis Evangelij, quod verbum Chriſti erat Apoſtolis abſconditum, & quomodò Apoſtoli illi, qui ex diſcipulatu Ioannis Baptiſtæ fuerunt vocati, verba Salvatoris non intelligebant de Cruce, & paſsione eius, ad cuius imitationem ſub Eliano inſtituto ſuam fecerant anteà profeſſionem.

§. V.

Proponuntur fundamenta ſententiæ negativæ, quæ ſibi opponunt Salmanticenſes, & ex eorum ſolutionibus confirmantur.

131 Sibi ipſis opponunt Salmanticenſes aliqua argumēta, quibus non ſatisfaciunt, & primum eſt: ſtatus religioſus eſt ſtatus perfectionis, ſed in veteri lege non fuit ſtatus perfectionis iuxta illud Apoſtoli ad Hebræos 7. *Nihil ad perfectum adduxit lex*: ergo in veteri lege non potuit eſſe ſtatus religioſus. Confirmatur, nam perfectio propria legis evangelicæ non potuit eſſe ante illam, ſed ſtatus religioſus eſt perfectio propria legis evangelicæ: ergo, &c.

132 Ad argumentum reſpondent diſtinguendo maiorem: in veteri lege non potuit eſſe ſtatus perfectionis ex viribus, &

me-

merito legis concedimus: ex viribus, & virtute data per fidem in Chriſtum, negamus, & iuxta priorem ſenſum intelligendum eſt teſtimonium Apoſtoli, & hanc ſolutionem conſtare aſſerũt ex exemplis adductis §. præcedenti. Ad confirmationem ſimiliter minorem diſtinguunt: ſtatus religioſus eſt perfectio propria legis gratiæ omninò perfectus per ſolemnitatem, pietatẽ clavium, & alia quæ defacto habet, concedunt: ſtatus vero religioſus ſolum quoad eſſentiam conſideratus, negant, & explicat ſolutionem exemplo Eccleſiæ; nam ante tempus legis evãgelicę dabatur vera Eccleſia ſecundum eſſentiam, & tamen ante prædictum tempus non habebat perfectionem, quam nũc habet, nempè Chriſtum præſentem, abundantiorem gratiam, efficatiora Sacramenta, nobilius Sacerdotium, & alia huiuſmodi. Sic ſimiliter philoſophandum eſt in ſtatu religioſo ſecundum Salmanticenſium doctrinam.

133. Ex dictis §. præcedenti ſatis apertum eſt in quibus deficiat hic repetitus diſcurſus Salmanticenſium, & quomodò ex meritis Chriſti futuri, iuſti aliqui extiterunt in veteri teſtamento, & perfecti in veteri lege fuerunt, & ſtatus iuſtitiæ, & perfectionis non fuit ante legem evangelicam, quia ſtatus, vt ſæpè diximus conſtituitur à lege ligante, vel ſolvente: cum verò lex illa, nec iuſtitiam conferebat, nec gratiam, nec perfectionem; ideò non potuit in illa eſſe ſtatus iuſtitię, & perfectionis licèt fuiſſent iuſti in ea, & perfecti: merita Chriſti Domini, & gratia per fidem illius conſtituebant iuſtos, & perfectos, non vero ſtatum perfectionis, quia non communicabantur ex lege merita Chriſti Domini mortui, & paſſi, quibus conſtitutus fuit in Chriſti Eccleſia ſtatus libertatis, perfectionis evangelicæ, & adoptionis filiorum ex lege nova evangelij.

134. Hæc Salmanticenſium doctrina, quæ nihil profert ad ſtatum religioſum conſtituendum in veteri teſtamento, maximè Iudęis favere videtur ad propugnandam perfectionem legis Moyſis, quàm perfectam fuiſſe tenacitèr nunc defendunt, & ad argumentum ex Apoſtolo, & alia quæ ex ſacrificijs veteris legis fiunt, reſpondere poſſunt iuxta Salmanticenſes diſtinguendo: Sacrificia veteris legis non fuerunt perfecta, viribus, & merito legis, concedo: non fuerunt perfecta viribus, & virtute gratiæ datæ per fidem in Meſsiam venturum, nego: ergo ſtatus illius populi, & legis veteris non fuit perfectus, nego conſequentiam, ſicut negant Salmanticenſes imperfectionẽ quoad

ſtatum religioſum verum quoad ſubſtantiam evangelicum in illa lege.

135 Nec benè explicant Salmanticenſes imperfectionem veteris legis, quæ non fuit imperfecta ex eo, quod iuxta illam viventes non poſſent eſſe iuſti, ſancti, & perfecti, quia data fuit à Deo, & præcepta eius ſervare præcepit, & per obſervantiam præceptorum legis, & per cultum ſacrificiorum ſecundum legem diſponebantur fideles ad gratiam recipiendam ex meritis Chriſti futuri: Imperfectio autem legis illius principaliter conſiſtit in eo, quod lex illa, nec iuſtificabat, nec iuvabat, nec gratiam conferebat. Status perfectus non conſtituitur ex gratia vtcumque data, ſed à lege conferente illam ex meritis Chriſti paſsi, & mortui, quia alias omnes fideles veteris teſtamenti eſſent in ſtatu perfecto, ſiquidem omnes gratiam habere potuerunt per fidem in Chriſtum futurum, & ita ſicut ante legem evangelicam non potuit eſſe ſtatus perfectus ex lege, nec merita Chriſti futuri illum conſtituerunt aliqua inſtitutione vel lege, ita non potuit eſſe ſtatus verus religioſus quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicus, ad quem requiruntur gratia, & merita Chriſti Domini mortui, & paſsi ex lege.

136 Inſtant Salmanticenſes toties repetito exemplo Eccleſię, quæ ante legem evangelicam habebat eſſentiam Eccleſiæ, & non habebat perfectionem, quam nunc habet, nempè Chriſtum pręſentem, abundatiorem gratiam, & cætera ſuperius aſsignata. Sed hoc exemplum Eccleſiæ, ex multis ad rem non pertinere, probavimus; ſed quia Patres Salmanticenſes hinc inde ſtatus Eccleſiæ confundunt, vt Monachatum verum circumciſum defendant, ſuis inſtantijs, & argumentis; compellimur ad ſtatum legis gratiæ explicandum, & defendendum, præcipuè in hac 3. p. Diſc. 1. & 2. & §. præcedenti. Itaque Eccleſia dupliciter poteſt dici, vt rectè obſervavit MagiſterCano, lib. 4. de locis, cap. 2. Primum illa, quæ fidelium omnium ab initio mundi vſque in finem congregatione conficitur, de qua Div. Thomas 3. p. quæſt. 8. art. 3. in quo ſenſu Iudæi iuſti, & alij pij ſub lege naturali, & etiam Cathecumini ſunt veriſsima mēbra Eccleſiæ, quia hęc non ſecernitur Sacramento Baptiſmi, ſed Fide: Eccleſia etiam dicitur, quæ in Chriſti nomine per Baptiſmum cogitur, qui fidei Sacramentum eſt, & propriæ Eccleſiæ membra, parteſque facit, & Chriſti Eccleſiam à Synagoga diſtinguit. Hæc Eccleſia vniverſalis, & catholica per fidem in Bap-

tiſ-

tiſmo, Chriſto vnita non fuit in veteri teſtamento, ſed propria eſt legis gratiæ, ex latere Chriſti Domini mortui nata, libera, ſponſa, & regina, in qua ſponſus omnia fecit nova in ſanguine ſuo: Eccleſia vero in veteri teſtamento non fuit libera, ſed ancilla, vt ex D. Paulo ad Galat. 4. conſtat: ergo Eccleſia in novo, & veteri teſtamento licet vna fide ſit, in alijs, quæ propria ſunt legis gratiæ eſſentialiter, & ſubſtantialiter diſtinguitur, & ſecernitur.

137 Quod patet, quia Eccleſia in veteri teſtamento non erat evangelica, nec Apoſtolica, ſed figuratiua, & prophetica, & in novo eſſentialiter, & ſubſtantialiter eſt Apoſtolica, & evangelica: ergo illa, quæ propria ſunt Eccleſiæ legis gratiæ liberæ, & reginæ, non potuerunt convenire, nec dici de Eccleſia in ſtatu ſervitutis veteris legis eſſentialiter, & ſubſtantialiter, vt manifeſtum eſt, quia licet Petrus in ſtatu ſervitutis, & libertatis idem homo ſit, quoad eſſentiam, & ſubſtantiam, illa, quæ conveniunt Petro in ſtatu libertatis, ratione ſtatus, non poſſunt cõvenire eidem Petro in ſtatu ſervitutis, quia cui repugnat ſtatus, etiam repugnant illa, quæ eſſentialiter dependent in eſſe, & cõſervari ab ſtatu: cum vero ſtatus religioſus verus, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicus, eſſentialiter dependeat ab ſtatu Eccleſiæ legis gratię, quia alias non eſſet ſubſtantialiter evangelicus, nec evangelicę perfectionis, omninò repugnat cũ ſtatu imperfecto ſervitutis Eccleſiæ veteris legis: ergo exemplum Salmanticenſium de vnitate Eccleſię, quoad ſubſtantiã, & eſſentiam Eccleſiam Chriſti, & Synagogam confundit, & impertinens eſt ad præſentem controverſiam, & eo vti poſſunt Iudæi ad probandum omnia Sacramenta, & perfectiones legis gratię, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam in veteri teſtamento. Paritas vnitatis Eccleſiæ probaret, ſi ad ſtatum religioſum ſufficeret fides, & in hoc etiam caſu mutato ſtatu fidei, mutaretur ſtatus religioſus: itaque ſtatus religioſus evangelicus, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam neceſſariò ſupponere debet hunc ſtatum præſentem fidei evangelicæ.

138 Arguitur etiam contra Salmanticenſes ex inſtitutione ſtatus religioſi, cuius Author, & inſtitutor fuit Chriſtus Dominus; ſed cum hoc non cohæret, quod ante adventum eius potuerit eſſe ſtatus religioſus: ergo. Vt huic argumento reſpondeant, iterum atque iterum repetunt argumentum Eccleſiæ, cuius caput Chriſtus Dominus eſt, & Author, & ante legem

evan-

evangelicam fuit vera Eccleſia: ergo licèt Chriſtus Dominus ſit Author ſtatus religioſi, potuit huiuſmodi ſtatus in executione præcedere ipſius adventum.

139 Sed huic inſtantiæ ſatis reſpondetur ex dictis, & nunc addimus, quod veriſsimum eſt, quod Chriſtus Dominus ſit caput Eccleſiæ ab origine mundi, iuxta doctrinam D. Thomæ in 3.p.q.8.art.3. Nam ad corpus myſticum conſtituendum non requiritur, quod omnia membra ſint ſimul ſicut in corpore naturali; ſed alio modo fuit Chriſtus cauſa ſtatus Eccleſiæ veteris teſtamenti, ac ſtatus Eccleſię legis gratiæ, nam ſtatus Eccleſiæ veteris legis fuit tantum cauſa finalis ex fide credentium, ſtatus vero Eccleſię legis gratię fuit cauſa efficiens, Author, & inſtitutor illius efficienter influens, & plurima habet Eccleſia Chriſti ex meritis eius mortui, & paſsi gratia redemptrici, & conſummata, quæ non habebat Eccleſia in veteri teſtamento: itaque hæc ſancta catholica, & Apoſtolica Eccleſia, quam acquiſivit Dominus ſanguine ſuo, & cuius Author, & inſtitutor fuit Chriſtus, in hoc ſtatu, non fuit in veteri teſtamento quoad eſſentiam, neque quoad ſubſtãtiam ſtatus, quia etiam fides mutavit ſtatum in ea, vt ſæpè diximus, & omnia facta ſunt nova. In Eccleſia veteris teſtamenti erat Deus promiſſor per Chriſtum; in Eccleſia legis gratiæ eſt Deus Author in Chriſto, vt optimè dixit D. Auguſtinus Serm.13. de verbis Domini ad illa verba Apoſtoli ad Galatas cap.3. *Sed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt promiſsio ex fide Ieſu-Chriſti daretur omni credenti.* Auguſtinus, ibi: *Quando audis promiſsionem, expecta factorem*: ergo in novo teſtamẽto fuit Deus, & homo Author illorum, quæ promiſsit in veteri; ac perconſequens Chriſtus Dominus fuit Author, & inſtitutor efficienter per ſuam humanitatem, tamquam per inſtrumentum coniunctum huius ſtatus Eccleſiæ, & omnium ad illum pertinentium, quæ neque imperfecta fuerunt in veteri teſtamẽto quoad eſſentiam, & ſubſtantiam huius ſtatus; ſed figurativè, & vmbraticè tantum: at ſtatus religioſus verus fuit inſtitutus à Chriſto Domino in lege gratię, vt ad illius perfectionem pertinens, vt conſtat ex Sancto evangelio, & Patres docent: ergo exemplum Eccleſiæ, & eius inſtitutionis, doctrinæ, & intentioni Salmanticenſium opponitur, & vera noſtra ſententia confirmatur.

140 Hos ſtatus Eccleſiæ recognoſcunt Salmanticenſes in ſolutione argumenti, & dicunt, quod ſicut Eccleſia in ſtatu im-

imperfecto veteris legis præceſsit Chriſto Domino, ita potuit præcedere ſtatus religioſus in ſtatu imperfecto. Diſparitas huius diſcurſus ſatis ex dictis conſtat; quia ſtatus religioſus eſt ſpecialis ſtatus perfectivus ſtatus perfecti Eccleſię ſecundum ſuam eſſentiam, & ſubſtantiam, ac per conſequens reperiri non potuit ante legem evangelicam, qua conſtituitur hic ſtatus perfectus Eccleſiæ. Et vlteriùs impugnatur exemplum, ſeù paritas Salmanticenſium; nam ſtatus religioſus fuit imperfectus ante legem evangelicam imperfectione veteris legis, & ſecundum illam, & ſic conſtitutus eſſet vmbraticus, & figurativus, & non verus veritate evangelica: Si vero conſideretur perfectus abſolutè, & reſpective ad ſtatum religioſum omninò perfectum legis gratiæ, qua ergo perfectione? non legis gratiæ, quia hæc fuit impoſsibilis in aliquo ſtatu ante legem evangelicam, & legem gratiæ, & ſine illa nullus ſtatus poteſt conſiderari abſolutè perfectus veritate, & perfectione evangelica: ergo hic ſtatus, vt conſideratur à Salmanticenſibus, quoad eſſentiam, & ſubſtãtiam evangelicus impoſsibilis eſt, quomodocumque conſideretur, vel reſpondetur: quod ſicut Eccleſia præceſsit Chriſto in ſtatu imperfecto figurativo, & vmbratico, ſic ſtatus religioſus præcedere potuit in ſtatu figurativo, ſed non in ſtatu vero evãgelico, quoad eſſentiam, & ſubſtantiam, vt contendunt Salmanticenſes.

141 Arguitur etiam contra Salmanticenſes, quod Apoſtoli fuerunt primi religioſi, in quibus inſtituit Dòminus ſtatum evangelicæ perfectionis, vt teſtatur communis Sanctorum Patrum, & Doctorum ſententia ab origine Eccleſiæ: ergo ante Apoſtolos non fuit poſsibilis ſtatus verus religioſus. Reſpondet Apoſtolos fuiſſe primos religioſos dignitate, & non ordine perfectionis, quia in eis Chriſtus Dominus erexit ſtatum religioſum completum, & perfectum, & omninò firmum per ſolemnem profeſsionem, & traditionem prorſus irrevocabilem, ſed benè cohærere cum hoc, quod ante Apoſtolos fuerint religioſi ſubſtantialiter tales, qui carerent conſummatione, & perfectione, quas religioſus ſtatus accepit ex Chriſti Domini præſentia.

142 Sed contra eſt, quia ipſi Salmanticenſes in hoc tract. 20. dub. 4. §. 3. n. 54. relicta communi Thomiſtarum doctrina abſolutè docent, ſolemnitatem votorum, ex qua irrevocabilis traditio reſultat, non eſſe de iure divino, & ex Chriſti inſtitutio-

 ne,

ne; ſed ab Eccleſia poſteà adinventam,& inſtitutam,& accidẽtalem eſſe ſtatui religioſo: ergo non benè cohæret,quod Chriſtus Dominus erexerit ſtatum religioſum completum,& perfectum,& omninò firmum per ſolemnem profeſsionem, & traditionem prorſus irrevocabilem in Sanctis Apoſtolis, vt hic aſſerunt,& confitentur Salmanticenſes,vt vim argumenti fugiãt; quia ſi Chriſtus Dominus inſtituit ſtatum religioſum completum,firmum,& perfectum per ſolemnem profeſsionem, & irrevocabilem traditionem,hęc non eſſent poſteà adinventa ab Eccleſia,vt ſupra dixerant Salmanticenſes.

143 Hęc ſolutio Salmanticenſium ipſa ſua novitate infirmatur;nam quotquot ſcripſerunt de origine ſtatus religioſi ex Sanctis Patribus antiquis,ab Apoſtolis exordium ſummere, ſine hac nova diſtinctione docent, & probant; & celeberrimi Theologi non ignorabant diſtinctionem originis,& dignitatis, & cum diſtinctione procederent in ſuis diſputationibus, maximè Hieronymus, Auguſtinus, Bernardus, qui hunc ſtatum in veteri lege inauditum fuiſſe docent;& præcipuè Div. Thomas Patres explicaret in vero ſenſu,& abſolutè non negaret vota, & conſilia in veteri lege; & licèt aliqui ex antiquis Monachos, id eſt,ſolitarios aliquos veteris teſtamenti appellent, figurativos,& vmbraticos intelligunt, vt ſupra oſtendimus 1. p. Diſc. 2.per totum. Inculcant hic Salmanticenſes exemplum Eccleſiæ,cuius fundamenta ſunt Apoſtoli,& tamen eis præceſsit Eccleſia tempore,ad quod patet ex dictis,quod Eccleſia in ſtatu, in quo Apoſtolis præceſsit, non fuit Apoſtolica,& evangelica; ſed figurativa, prophetica,& vmbratica, at vero huius ſtatus Apoſtolici,evangelici,& Chriſtiani Eccleſiæ,non ſolum dignitate,ſed ordine fuerunt, & ſunt Apoſtoli prima fundamenta, ſed tempore,quia ſuper eos fundavit Dominus Eccleſiam ſuam & præcipuè ſuper Petrum,dicente Domino:*Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; & eodem modo fuerunt Apoſtoli fundamenta,& primi religioſi in ſtatu,qui eſt ſpecialis ſtatus Eccleſiæ,vt ex dictis conſtat.

144 Confirmatur,quia Eccleſia in Oratione SS.Apoſtolorum Petri,& Pauli ab eis religionis exordium ſumpſiſſe expreſsè ſignificat,ibi:*Da Eccleſiæ tuæ eorum in omnibus ſequi præceptum, per quos religionis ſumpſit exordium.* Ad hoc argumentum reſpondent hic,ly religionis non ſignificare ſtatum religioſum, vt minus rectè intellexit Bordonus; ſed veram religionem, ſivè Ecele-

cleſiam ſub ſtatu legis evangelicæ; ſed falſo hanc intelligentiam attribuunt doctiſsimo Bordono, quia veram religionem Chriſtianam intelligit in verbis Eccleſiæ, & quia indiſtinitè ponitur ibi religio, vniverſali æquivalet, & minorem ſubiungit Bordonus; ſed ſtatus religioſus eſt ſpecialis cultus religionis Chriſtianæ: ergo ab Apoſtolis ſumpſit exordium, alias aliquis cultus, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicus eſſet in Chriſti Eccleſia, ſecundum Chriſtianam religionem, cuius exordium non eſſet ab Apoſtolis, ſed ab Elia inſtitutus in veteri teſtamento, vt ſupra oſtendimus 1. p. Diſc. 2. §. 1. ſuper hæc verba Eccleſiæ late reflectendo.

145 Vlteriùs arguitur, quia ille ſtatus poſsibilis, vel eſſet eiuſdem rationis cum religioſo ſtatu nunc exiſtente, vel diverſæ rationis, ſi hoc vltimum dicatur, ad præſentem reſolutionem non pertinet, quia à nullo negatur fuiſſe ſtatum religioſum figurativum in illa lege; ſi primum, dici non poteſt, quia derogaret dignitati ſtatus religioſi nunc exiſtentis, vt ex dictis patet. Reſpondent Patres Salmanticenſes, quod ſtatus religioſus poſſibilis vetus veteris legis eiuſdem eſſet rationis cum ſtatu religioſo præſentis Eccleſię, non quoad modum, & gradum perfectionis; ſed quoad ſubſtantiam, & eſſentiam, ſeu prædicta eſſentialia, quia ad hoc vota ſimplicia ſufficiunt, & repetunt exẽplum præſentis Eccleſiæ, & Eccleſiæ Synagogæ, quæ quoad eſſentiam, & ſubſtantiam ſunt eiuſdem rationis in vtraque lege.

146 Ad hoc argumentum patet ex dictis ex differentia ſtatus; quia licèt homo natus ſervus, & poſteà factus liber in eſſentia, & ſubſtantia hominis ſit eiuſdem rationis, tamen ſervus, & liber formaliter non ſunt eiuſdem rationis quoad eſſentiam, & ſubſtantiam ſtatus, eodem modo Eccleſia in ſtatu ſervitutis, & libertatis, ſic ſimiliter ſtatus religioſus in lege ſervitutis ſubſtanliter eſſentialiter, & formaliter diſtingueretur à ſtatu vero religioſo legis libertatis in ratione ſtatus. Sed nè ſuperbiant Iudæi tot exaltationibus, & comparationibus in ſubſtantia, & eſſentia Eccleſiæ veteris Synagogæ cum præſenti Eccleſia Chriſti. Reſpondetur ex Apoſtolo dicente, quod præſens Eccleſia eſt nova creatura in Chriſto, in quo facta ſunt omnia nova; quod in regeneratione, & eius ortu ex latere Chriſti Sanguinis eius effuſus in Eccleſia præſenti, vt ita dicam tranſcendit vſque ad vltimas differentias Eccleſiæ, & omnium ſtatuum eius, & vt ait Apoſtolus: facta ſunt omnia nova, eſſentia, ſubſtantia, formalis

ratio conſtitutiva ſtatus, miniſteria, virtutes, conſilia, & Sacramenta: tanta fuit virtus Sanguinis Chriſti; & ita Eccleſia præſens in hoc ſenſu ſpirituali, myſtico, theologico non eſt eiuſdẽ rationis quoad eſſentiam, cum Eccleſia Synagogæ fidei vnitate ſuppoſita, quidquid Salmanticenſes ſuis novis methaphiſicis conſiderationibus dicunt.

147 Confundunt etiam Salmanticenſes vnitatem Eccleſiæ ex fide cum vnitate Eccleſiæ ex legibus, & medijs; præſens Eccleſia, & Synagoga ſunt vna Eccleſia ſecundum finem, quia in vtroque teſtamento ornatur Eccleſia ad verum Deum, qui finis eſt vtriuſque legis, & ſicut lex, licèt vna fuerint ex fine, & pręceptis moralibus Decalogi in vtroque teſtamento, alia ſit, & mutata fuerint primario ex gratia interna, & ſecundario novis mandatis, & factis, & lex nova ab intrinſeco ex gratia, & ſecundario ex novis inſtitutis in ea, non eſt eiuſdem rationis quoad eſſentialia, & ſubſtantialia cum veteri; ſic Eccleſia licèt vnitate finis eadem ſit in vtroque teſtamento, Eccleſia tamen præſens ex gratia interna, lege nova, & conſilijs renovata eſt, & redempta ſanguine Chriſti, in quo omnia facta ſunt nova in ea quoad ſubſtantiam, & eſſentiam, & ex ſua intrinſeca forma, & eius conſtitutivis differt ab Eccleſia Synagogæ, & eſt diverſæ rationis in hoc ſtatu præſenti: ergo exemplum repetitum Eccleſię deſtruit fundamentum Salmanticenſium.

148 Ad exemplum, & inſtantiam Societatis, patet ex dictis, & diſparitas eſt manifeſta: ad inſtantiam de gratia in vtroque teſtamento, etiam ex dictis conſtat: & tandem reflectendum eſt, quod iſtæ comparationes, quibus vtuntur Salmanticenſus inter Synagogam, ſeù Eccleſiam veteris legis, & pręſentem Eccleſiam in eadem ſubſtantia, & eſſentia novę ſunt, & Iudæis favere videntur, quia Sancti Patres, & Doctores cautè procedunt in his controverſijs, & ne cùm Iudæis in aliquo conſentiant ſemper comparant Eccleſiam veteris legis cum Eccleſia præſenti velut vmbram corpori, figuram figurato, & imaginem veritati.

()($)()

DIS-

DISCURSUS TERTIUS.

De vtilitate, & exiſtentia veri ſtatus religioſi in veteri lege.

§. I.

Exiſtentia ſtatus religioſi, vt ponitur à Salmanticenſibus, in veteri teſtamento non eſſet conveniens, nec in novo eſt vtilis.

149 QVia hæc quæſtio nova eſt: an in veteri teſtamẽto extiterit ſtatus religioſus verus cum votis evangelicis eiuſdem rationis cum evangelico ſine perfectione legis gratiæ, non eſt alienum à præſenti diſputatione inquirere, an hic ſtatus ſine gratia ex lege, & ſine perfectione evangelica fuiſſet in veteri lege conveniens, & aliquam afferat vtilitatem Eccleſiæ.

150 Sit prima concluſio hic ſtatus religioſus cum conſilijs conſtitutus non eſſet conveniens in veteri teſtamento, & eſt expreſſa manifeſtaque ſententia D. Thomæ 1.2.q. 108. art. 4. in corp. vbi docet expreſsè, quod conſilia paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis convenienter non fuerunt data in illa lege. Tum etiam; quia lex vetus ex divina inſtitutione inducebat homines ad obſervantiam præceptorum per promiſsiones temporales, & terrenas, divitiarum, filiorum, & patriæ fœlicitatis, vt dictum eſt ex eodem D. Thoma, & ſic fuit conveniens in illa lege; ſed hæc omnia abdicantur, per conſilia religioſa: ergo nõ eſſet conveniens in illa lege ſtatus publicus his conſilijs conſtitutus contra promiſsiones ipſius legis. Tum etiam: quia ex eodem D. Thoma 1.2.q.106.art.3. lex nova non debuit dari antequam impedimentum peccati à genere humano tolleretur, conſummata Chriſti redemptione: ergo non debuit dari in illa lege ſtatus legis gratiæ, in quo conſilia dantur ad faciliùs, & perfectiùs conſequendum finem légis, & Chriſti gratiam ex lege. Tum etiam: quia ibidem Angelicus Magiſter docet: quod non fuit conveniens dari à principio legem novam, quia non aliquid à principio ſtatim ducitur ad perfectum, ſed quodam

 tem-

temporalis ſucceſsionis ordine: ergo non fuiſſet conveniens dare conſilia maioris perfectionis, antequam daretur lex, quę adduxi ad perfectum.

151 Confirmatur primo: non eſt vtilis ſtatus, in quo tranſgreſſoribus legis imponerentur pœnæ, & cuſtodientibus nullum eſſet propoſitum præmium; ſed ſi ſtatus verus religioſus eſſet in veteri lege cum votis, pęna imponeretur tranſgreſſoribus, & pręmium non proponeretur cuſtodientibus vota: ergo non eſſet vtilis in illa lege: Maior videtur certa: Minor probatur, quoad primam partem, quia tranſgreſſores votorum rei eſſent pœnæ æternæ, & quoad ſecundam partem; cuſtodientes vota non poterant incitari ad illorum obſervantiam ex promiſsione terrenarum rerum, quibus renuntiabant per vota, quæ quidem bona temporalia exiſtimabant vt prætium, vt ait Auguſtinus laudatus 1.p.Diſc.1.§.3. nec bona ſpiritualia in vita æterna erãt revelata aliqua revelatione communi in illa lege: ergo eſſet ſtatus cum pœna inflicta, & nullo revelato, nec propoſito præmio: Quod vero in lege veteri non fuerunt revelata bona ſpiritualia in vita æterna communi revelatione aliqua ex communi ſententia PP. manifeſtum eſt vbi ſupra, & præter teſtimonia D. Thomę ibidem relata in 3. ad Hanib. diſtinct. 40. quæſt. 40. art. 4. in corp. & in 3. eadem diſtinct. quæſt. 1. art. 4. in corp. ibi: *Secundum Dionyſium in 5. cap. Eccleſiaſt. Hierarch. lex nova media eſt inter Eccleſiam cœleſtem, & ſtatum veteris legis, & ideò æterna bona, quæ in cœleſti Eccleſia palam, & copioſè exhibentur in nova lege, manifeſtè proponuntur, in veteri lege non promittebantur, niſi quibuſdam figuris:* ergo in illa lege eſſet ſtatus religioſus, qui ex tranſgreſsione votorum ſubijceretur pęnis; & votorum obſervantiæ nullum eſſet pręmium propoſitum, & revelatum communi aliqua lege, vel revelatione. Nec valet dicere, quod ex D. Thoma ibidem perfectis revelata fuit vita æterna, nam ibi Angelicus Magiſter hęc probabiliter admittit ex ſpeciali revelatione, quæ non datur ſtatui, ſed perſonis, & argumentum procedit de ſtatu.

152 Confirmatur ſecundo ex dictis ſupra 2.p.Diſc.5. §. 6. 7. & alibi ex eodem D. Thoma; nam vota in veteri lege in rebus conſilij, quæ difficilimę ſunt, conſtituerent ſtatum religioſum, qui præciperet, ligaret, & iuberet, & non iuvaret, nec auxilium pręberet ex lege, nec ex inſtitutione illius ſtatus in ſtatu ſervitutis communi illius temporis; ſed ſtatus pręcipiens, & obligans ad difficilima, non iuvans, nec auxilium præſtans ad illa

illa non eſt vtilis, vt patet, quia gravius faceret iugum illius legis ſine gratia ex lege: ergo ſtatus religioſus verus cum votis, ſecundum ſtatum quem habebat ille populus in tempore illo, nec eſſet vtilis, nec conveniens in illo, iuxta providentiam, quæ nobis conſtat ex ſcripturis, veteris, & novi teſtamenti.

153 Secunda concluſio: nulla vtilitas in Chriſti Eccleſia reperitur ex hoc novo ſtatu religioſo veteris teſtamenti quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelico: Probatur, quia non pertinet ad explicationem alicuius myſterij fidei, neque ad intelligentiam Sacræ Scripturæ, neque ad aliquam Chriſti, & Eccleſiæ excellentiam manifeſtandam, neque ad aliquod dogma Eccleſiæ defendendum ab hæreticis, ſolumque deſervit ad extollendam veterem Synagogam novis his Salmanticenſium argumentis: ergo nullam vtilitatem affert nova hæc opinio Eccleſiæ: Antecedens probatur; nã ſi ad aliquod ex dictis eſſet vtilis, maximè ad probandam antiquitatem votorum contra hæreticos impugnantes ſtatum religioſum, & Monachatum; ſed antiqui Patres Eccleſiæ, & ferè omnes Theologi ſtatum religioſum Monachatum, & vota defendunt ex Chriſti inſtitutione, & ex novo teſtamento, ſine hoc vero ſubſtantiali ſtatu religioſo evãgelico Synagogæ, & ſine his novis diſtinctionibus, & ſubdiſtinctionibus, & modis Salmanticenſium: ergo hæc nova opinio nullam affert vtilitatem Eccleſiæ.

154 Confirmatur, quia Sacerdotium, Pontificatus, Sacramenta, & alij ſtatus Eccleſiæ ſine vera exiſtentia quoad ſubſtãtiam, & eſſentiam in lege veteri defenduntur, & propugnantur in nova contra hęreticos ex Chriſti inſtitutione, & ex figuris veteris teſtamenti: ergo exiſtentiam veri ſtatus religioſi, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam in veteri teſtamento non eſt neceſſaria, nec vtilis, vt in novo defendatur hic ſtatus ab hæreticis. Tũ etiam; quia eiſdem diſtinctionibus, & ſubdiſtinctionibus, poterãt Iudæi defendere, quod Baptiſma illud ſub nube fuit verum quoad ſubſtantiam, & eſſentiam, & quod gratiam conferebat, & ad argumenta reſpondere: Moyſes non potuit inſtituere Baptiſma verum, quoad eſſentiam, & ſubſtantiam, nego: quoad complementum perfectionis, concedo, & iterùm ſubdiſtinguere: ex meritis ſuis, concedo: ex meritis Chriſti futuri, nego, & iterùm ſubdiſtinguere cum Salmanticenſibus: non potuit conferrè gratiam completam ex lege, concedo: non conſummatam, & per fidem in Chriſtum, nego: ergo nõ eſſet verum Bap-

tiſma evangelicum, diſtinguo conſequens; non eſſet verum Baptiſma comp letum conſummatum alijs perfectionibus, quas modo habet in lege gratiæ, concedo conſequentiam; non eſſet verum Baptiſma evangelicum, quoad ſubſtantiam, & eſſentiã, nego conſequentiam, & eodem modo quidquid eſt in lege nova poterit defendi exiſtens in veteri teſtamento, & confundere ſtatus veteris, & novi teſtamenti, Eccleſiæ, & Synagogæ: ergo ſtatus religioſus, nec Synagogæ conveniret, nec vtilis eſt Eccleſiæ Chriſti.

§. II.

Aliqua prænotantur de Inventore, Authore, & Inſtitutore veri Monachatus in veteri lege.

155 QVia ex defectu virtutis in cauſa optimè concluditur negativa exiſtentię effectus, neceſſarium eſt de Sancto Propheta Elia referrè aliqua, ex quibus ab adverſarijs conſtituitur Author, Inventor, & Inſtitutor Monachatus veteris legis in genere cauſæ efficientis, (vt aſſerunt) tanta igitur eſt veri Monachatus evangelici præſtantia, vt eius inſtitutio in ſpiritu, & veritate legis gratiæ opus Dei, & hominis ſit, vt ſupra dictum fuit ex Tamburino tom. 1. Diſp. 2. quęſt. 2. itaque adverſarij, vt tanti operis Author in veteri lege ſit Elias, ita virtutem, excellentiam, perfectionem, & dignitatem extollunt, vt illius legis ſtatum excedere manifeſtum eſt, & puri hominis capacitatem ſuperare in hac rerum providentia certum videri apparebit.

156 Abulæ igitur anno 1688. die 11. Maij in Commitijs provincialibus Carmelitarum publicas concluſiones evulgarũt impreſſas Sancto Prophetæ Eliæ dicatas, in cuius dedicatoria Elias intra cor humanum figuratur ſupra Orbis ſpheram ſtans; & ſupra caput eius legitur hęc ſcriptio, ibi: *Elias 1. Dominus Deus.* Et ex ea, alia Prophetam circumdans, ibi: *Primo vivens, & vltimo moriens*, & alia, exteriùs ex prima, ibi: *Convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. Malachias cap. 4. v. 6.* Et omnes à prima incipientes dicunt: *Elias 1. Dominus Deus primo vivens, & vltimo moriens, convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.*

Sub pedibus Eliæ triangulus in ſphera terminat, & in eo

ſcribitur,ibi: *Recede hinc,& vade contra Orientem, & abſcondere in Torrente Carith;qui eſt contra Iordanem,& 3.Reg.17.v.3. Ioa. nr. Patriar: XLIV.Ieroſ.& alij PP.intelligunt de OEconomia Monaſtica 1. Parente Elia,qui vtriuſque Eccleſiæ cultui conſecratus teſtamentorumque, nexus erit.* Et extra triangulum in inferiori parte ; ibi: *Lapis angularis primus Chriſtus,ſecundus, vel myſticè Elias vitæ diſciplinæque Monaſticæ vtriuſque teſtamenti.* Ad dexteram Eliæ, Eccleſia præſens figuratur; ad ſiniſtram Synagoga;& medium tenens Elias manibus copulatur vtrique. Sol etiam Zodiacus depingitur inferiùs ad ſiniſtram,hac inſcriptione interiùs circumdatus: *Elios*,& exteriùs: *Zodiacus Eccleſiæ, ſemita eius.* In parte ſiniſtra ſunt inſignia Ordinis Carmelitani: in corpore ſcuti eſt Sol cum inſcriptione: *Elios*,vt ſupra,Crux in medio ſtellarum ſcutum circumdat; ſcutum circumdat inſcriptio vt ſupra: *Primo vivens, &c.* Et ad extra,ibi: *Confidito Petre, religio enim Carmelitana in finem vſque ſæculi eſt perſeveratura*: coronaque regia ornatur hac inſcriptione: *Decor Carmeli,Iſai.cap.35.* cum duodecim ſtellis,& brachium Eliæ gladium tenens,& ibi: *Surrexit Elias quaſi ignis.*

157 In Dedicatoria ad alia Elogia Prophetæ progreditur, ibi: *Ecce Sacerdos Magnus,qui in diebus ſuis placet Deo,& invenitur iuſtus,ac pro tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio.Qui (teſtante Eccleſiaſtico cap.48.) ſcriptus eſt in iudicijs temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor Patris ad filium,& reſtituere tribus Iacob. Qui cælicus divini honoris Zelotes, quaſi facula ardet; ſpiritu duplex, puritate ſimplex, virtutibus dives, Deo amiciſsimus,Diabolo inimicus, bonis amabilis, impijs formidabilis, Eccleſiaſtes ferventiſsimus,veritatis præco,propugnator ſtrenuus fidei Chriſti, Deiparæ ſtudioſiſsimus, Eccleſiæ vniverſæ defenſor; qui tyrannos verberavit, neci dedit ſacrilegos,& eorum potentiam confregit, ac deiecit,ad perniciem,Anti-Chriſtumque poſtmodum debellaturus. Cui Deus honorem, Chriſtus claritatem, Deipara privilegia, Baptiſta dignitatem,Angeli obſequium, Prophetæ, & Apoſtoli reverentiam,Cæli,& Elementa obedientiam præbuerunt. Apoſtolus,Martyr,Præcurſor veluti futurus, Anteſignanus,Propheta celeberrimus, Patriarcha eximius,Virgo cælebs,obedientiſsimus,pauperrimus,Monachus,& Monachorum Parens.Qui Prophetas,ſivè religioſos prophetico inſtituto mancipatos,fecit poſt ſe ſucceſſores in Carmelo; ſuæ verè Monaſticæ religionis hæreditariam ſucceſsionem,cum privilegio perpetuitatis numquam vſque in mundi finem perimendæ,Carmelitis evangelicis nunc huſque degentibus, qui eius hæredes ſunt,ad cultum ſpecialem Chriſti,& Deiparæ perennandum,relinquens; adeò propriè,& verè,vt ſic Summi Pontifices certa ſcientia*

tia tradant, & Eccleſia approbet, ac Deus, & Deipara ſuis revelationibus confirment. Dux, Princeps, Pater, Fundator, Author, Inſtitutor, Inchoator, columen, decus, gloriaque Carmelitarum exiſtentium ab Eccleſia catholica acclamatur, quidquid reclamet Vviclephus. Et in Quinta concluſione de fide Theologica, ibi: *Hinc rectè deducitur, revelationem ab Eccleſia approbatam, qua dicitur Sanctum Eliam Prophetam, hunc ordinem Carmeliticum de facto in Eccleſia exiſtentem, inchoaſſe, & inſtituiſſe, cum vero, eſſentiali, & ſubſtantiali, & non tantum figurali, & cæremoniali, & ſymbolico ſtatu Monaſtico (& ſi non plenè perfecto vſque ad legem evangelicam) poſſe à nobis credi fide divina Theologica, & ſi non Catholica; vel ad minus fide divina communiter dicta, & aſſenſu ſupernaturali infallibili, qui falſo ſubeſſe non poſsit.* Hanc concluſionem inter alias de materia fidei propugnabantur à P.Fr.Franciſco de Villa-Vieja ſub auxilijs R.P.M.Fr.Franciſco Garcia & Caſtilla Doctoris, & in celeberrima Vniverſitate Complutenſi Cathedræ D.Thomæ Veſpertinæ Moderatoris, in Cathedrali Abulenſi die, menſe, & anno vt ſupra. Sed ſi Sanctus Propheta Elias verè fuiſſet ſicut in imagine repreſentatur, & in dedicatoria dicitur, non ſolum ſtatum religioſum, & Monachatum verum fundare potuiſſet in veteri lege, ſed etiam ipſum evangelium, & legem gratię inſtituere potuiſſet in Synagoga: ſed quamplurima falſa ſunt, & impoſsibilia, fundamento carent, & ſubſtineri non poſſunt in verborum ſenſu, & ſignificatione catholica.

158 Vt in re graviſsima plenior notitia habeatur, ad fontem, originem, & Authorem inſcriptionum, elogiorum, & propoſitionum, quæ in imagine, & dedicatoria Eliæ continentur, recurrendum eſt. Fr.Franciſcus à Sancta Maria Carmelita Excalceatus Hiſtoriam Propheticam ſcripſit, typis dedit, & publicavit, 1. editione anno 1630. quam Romę vidi in Bibliotheca domus profeſſæ Societatis, & poſteà eam venalem inveni in Officinis Librariorum, & ex hac editione, inſcriptiones, excellentias, & Elogia Elię propugnator tranſcripſit, & evulgavit; quia Hiſtoricus Propheticus ex Daniele, & Apocalypſi hæc, & alia portenta refert, quæ nec litterę, nec ſenſui ſacri textus cõveniunt; & quomodò de rebus Eliæ diſputandum eſt, vel quare non eſt diſputandum admonet, & docet Maximus Doctor S.P.N.Hieronymus epiſt.148. ad Marcellam, ibi: *De Enoch autem, & Elia, quos venturos apocalypſis refert, & eſſe morituros, non eſt iſtius temporis diſputatio: cum omnis ille liber, aut ſpiritualiter intelligendus ſit, vt nos exiſtimamus; aut, ſi carnalem interpretationem ſequimur, Iudaicis*

fa-

fabulis acquieſcendum ſit, vt rurſum ædificetur Hieruſalem, & hoſtia offerantur in templo: &, ſpiritali cultu imminuto, carnales obtineant cæremonia. Verba Doctoris Maximi, maxima ſunt reflexione legenda, & omni diligentia conſideranda: in primis docet, quod de Elia nón eſt in hoc tempore diſputandum, quia liber Apocalypſis de eo ſpiritualiter eſt intelligendus, ne aliam interpretationem ſequentes, Iudaicis fabulis acquieſcant, rurſum Hieruſalem ædificent, & ſpirituali cultu imminuto, carnales cæremoniæ obtineant. Periculum in rebus Eliæ diſputandis ſecundum Hieronymum conſiſtit, ne ſecundum fabulas Iudæorum Synagoga reſurgat cum ſuis carnalibus cæremonijs.

159 Ad imaginem Eliæ in dedicatoria convertamur: Dominus Deus dicitur, manibus Synagogam, & Eccleſiam tenens, & in ſe vniens, vtriuſque Eccleſiæ cultui conſecratus: in adventu ſuo vtriuſque teſtamenti nexus erit: ergo rurſum ædificabitur Hieruſalem, & in illo ſæculo imminuto ſpiritali cultu Chriſtianorum, Synagoga reſurget, manudabit in Elia Eccleſiæ, & carnales cæremonię in Elia vtriuſque Eccleſię cultui conſecrato, ſuum obtinebunt locum, qui a cultui vtriuſque Eccleſiæ cōſecratus in nexu vtriuſq; teſtamēti, ritus veteris, & novæ legis ſimulque obſervabuntur, & ante mortem Eliæ ſimul lex current, & evangelium, ſicut in tempore medio ante mortē Chriſti; & ex Synagoga, & Eccleſia, alia erit in fine mundi vnita in alia: quapropter notari oportet, quod in capite Eliæ inſcribitur: Elias Dominus Deus, vniens Synagogam, & Eccleſiam nexu vtriuſque teſtamenti; quod de Elia capite Eccleſiæ, & Synagogæ ſimul, hanc vnionem expreſsis verbis aſſerit Hiſtoricus Propheticus editione citata lib. 1. cap. 40. num. 3. ibi: *Yà ſe ſabe quanto reparò San Pablo en que Chriſto fue la piedra angular, que juntò las dos paredes Iudaica, y Gentilica, y quanto notaron eſto los antiguos Prophetas, por coſa muy eminente en Chriſto: en Elias mas que en otro reſplandece eſta dignidad, porque fue gran Miniſtro de la Circumciſsion, ſirviendola con ſu vida, y ſangre, y procurando ſu bien, y lo es, y ha de ſer de la Gentilidad, haziendo con efecto la vnion tan deſeada de Dios, y pretendida de los Apoſtoles, y que Chriſto no tomò para ſi del todo, reſervandola para Elias: porque aunque es verdad, que lo principal deſta vnion fue hecho por èl, abrogando la ley antigua, è introduciendo otra mejor eſperança, el efecto fue muy taſſado en las manos de Chriſto, y no muy abundante en las de los Apoſtoles, pero en las de Elias ha de ſer abundantiſsimo con vn gran gozo de la carne de Chriſto, que eſta deſcoſa del bien de ſu ſangre, y ſi aſsi ſe pue-*

puede dezir, como quexoſa de que tanto ſe dilate lo que tanto deſea, y tan debido le es.

160 Ad litteram referuntur verba Hiſpanica Authoris, ne in aliquo proprius ſenſus deficiat: ex quibus apparet, quod ſecundum hanc novam doctrinam vnio Eccleſiæ ex populo Iudaico, & Gentili ex ſanguine Chriſti effectum habuit valdè limitatum; in Apoſtolis non fuit ſatis abundans, & in Elia, quia magnus fuit Circumciſsionis Miniſter erit abundantiſsimus cum magno gaudio ſanguinis, & carnis Chriſti in adventu Eliæ.

161 Quomodo in veteri lege fuerit Elias lapis angularis, vt vtriuſque teſtamenti etiam fuerit nexus in Synagoga; prout in dedicatoria aſſeritur, ſcripſerat Author Hiſtoriç Propheticæ in eadem 1. editione 1630. lib. 1. cap. 23. n. 3. ibi: *Por lo qual me parece, que oygo à nueſtro Sanctiſsimo Padre dezir quando puſo la primera piedra: O piedra, figura de aquella que ha de hazer de los dos pueblos Iudaico y Gentilico vno ſolo, reduciendo las dos leyes, que mortalmente aora los dividen, à vna mas pura, mas ſanta, mas eficaz, ſeme favorable en eſta ocaſion, y pues aquella à quien repreſentas ha de ſuſtentar eternamente ſu Edificio, y reparar ſus quiebras, ſuſtenta tu el tuyo, y repara las ſuyas, pues no es juſto, que en la figura falte coſa tan principal para la buena repreſentacion: immenſo es, y tal, que hiziera arrodillar à los Angeles ſi con ſus fuerças quiſieran ſuſtentarle.* Et ibidem: *Aviſo tengo del Cielo, que has de ſer piedra fuerte contra todas las poteſtades de los ſiglos, tèn firme.* Et in fine, ibi: *Venid hueſſos ſecos de todos los pueblos, de todas las naciones, de todas las lenguas, juntas en eſta pequeña Caſa, que todos cabeis, ſi en caridad os vnis: venid, que el puriſsimo Eſpiritu ſopla en voſotros, y os darà vida, y virtud para ſerlo de otros muchos: dilata tu, ò caſa mia, tus ſenos, que el pueblo de Raab, y el de Babylonia, el Alienigena, el Tyro, y el Ethiope ſe preparan para venir à ti: recibelos, abrazalos, y enſeñalos la ley nueva de religion que de Dios recibi; hagaſe aſsi, Señor, hagaſe aſsi.* Et lib. 2. cap. 18. num. 8. ibi: *Tambien moſtrò Jonas la leche de Elias, en cuyo coraçon como en el de Chriſto cupo todo el mundo, ſin embarazar el Griego al Iudio, el Gentil al Catholico.*

162 In dedicatione primi lapidis religionis Elianæ in Carmelo, vocavit Elias oſſa arida omnium populorum, nationum, linguarum, & gentium, vt in charitate vnita ſpiritum puriſsimum vitæ acciperent, & ad hanc domum, ſeù Eccleſiam præparantur accedere populus Raab, Alienigena, Tyrus, Sydon, & Æthiops iuxta prophetiam, quam de Eccleſiæ fundatione cecinit

nit regius vates Pſalm. 86. ibi: *Memor ero Raab, & Babylonis, &c.* quia ſicut in corde Chriſti, ita in corde Eliæ mundus continebatur, ſine oppoſitione Iudæi, & Græci, Gentilis, & Chriſtiani: Hæc mirabilia Chriſti, & Eccleſiæ ſunt in Elia lapide angulari primę Eccleſiæ Elianæ in Synagoga; & conſequenter ad hanc doctrinam, Elias depingitur in dedicatoria intra cor humanum ſtans ſuper vniverſam Eccleſiam, & Synagogam manibus tenens, quaſi illas ad cor vocans, & trahens, vt in corde Eliæ vniverſus orbis Eccleſia, & Synagoga nexu teſtamentorum; & in lapide illo angulari omnia clauderentur.

163 Quid ergo fecit Chriſtus Dominus in ſuo adventu? Eamdem vnionem quoad effectum valdè limitatam ex Hiſtorico Prophetico, ſupra in quo limitatus fuit effectus vnionis Chriſti Domini, quia vocatio Eliæ ad illam Eccleſiam, ſeù domum Carmeli fuit magis donis, vel gratijs Spiritus Sancti præventa, quam vocatio Chriſti, ſeù Apoſtolorum ad Eccleſiam: ſic idem Author in eadem editione lib. 1. cap. 4. n. 7. ibi: *Si con atencion ſe mira, hallarèmos à eſta* (la de Elias) *por mas neceſsitada, mas favorecida del Eſpiritu Santo, que aquella* (la Apoſtolica) *para acreditarla de religioſa.* Fuit etiã magis limitatus effectus vnionis Chriſti, quia Elias particeps fuit vtriuſque teſtamenti; & veteris excellentius, novique eminentius totum ſuum eſt, ſecundum eũdem Authorem lib. 1. cap. 40. num. 3. quoad ſtatum religioſum fuit effectus vnionis Chriſti magis limitatus; nam Elias inſtituit totum magnum, omne excellens, & tempori non ſubiectum, & poſt vnionem Chriſti tantum inſtituti ſunt in Eccleſia, particulares modi accidentales, variabiles, & quædam minuta, quæ particularibus iudicijs ſubijciunt: Sic idem Author lib. 1. cap. 10. num. 16. ibi: *Quitando los modos particulares, con que las religiones ſe han diſtinguido, y ſe varian con el tiempo, por ſer coſas menudas, y ſugetas à dictamenes particulares; todo lo grande, todo lo excelente, todo aquello, en que el tiempo no ha tenido juriſdiccion para poderlo deſacreditar, ſi bien ha podidò excluir mucho del vſo, es tomado de Elias, y aſsi todos beben de ſu fuente perenne, y criſtalina.* In hoc ſtatu fuit etiam minor effectus vnionis Chriſti, qui ſolum approbavit, quod Elias anteà fundaverat in Synagoga: idem lib. 1. cap. 1. num. 8. ibi: *Chriſto aprobò lo que hallò ya fundado por ſu Propheta, y Miniſtro*: ergo non ſolum quoad ſtatum religioſum, ſed etiam quoad ſubſtantiam Eccleſiæ in veteri teſtamento, & in novo abundantior fuit, & erit effectus vnionis Elię, quam Chriſti Dñi in ſanguine ipſius.

Hic

164 Hic ex dictis in Hiſtoria prophetica, & dedicatoria occurrit dubitatio: Si Chriſtus Dominus, Deus, & homo infinitam habet ſanctitatem, & charitatem ex vnione hypoſtatica, & ſua divinitate ad limitatum effectum vnionis vtriuſque populi in lege gratię; quantam, & qualem ſanctitatem, & charitatem habuit Elias in veteri teſtamento ad incipiendam vnionem Iudaici populi, & Gentilis per vocationem ad primum lapidem in Carmelo, vt in corde ſuo totus eſſet mundus, & vnirentur Iudæi, & Græci, Gentiles, & Chriſtiani in illa lege? & qualem habebit gratiam, & ſanctitatem in adventu eius ad abundantiſſimum effectum vnionis Synagogæ, & Eccleſiæ; & ad nexum vtriuſque teſtamenti? Per conſequentiam de minori effluctu ad abundantiorem infertur, quod Elias Deus ſit, & homo, & Redemptor, & quod tantam charitatem, & ſanctitatem habeat in vtraque lege, quod videtur apertè affirmari in imagine Eliæ, & expreſsè contineri in Hiſtoria prophetica citata, nam ſicut Apoſtolus Paulus 1. ad Corinth. cap. 11. dicit: caput Chriſti Deus; ita in capite Eliæ dicitur *Elias*, id eſt, *Dominus Deus*, & in circuitu: Primò vivens, & vltimò moriens, quod in ſenſu litterali, & naturali nec Eliæ, nec Chriſto convenire poteſt, & in ſenſu ſpirituali ſolum Deo, & homini cuius vita erat apud Deum, & ipſe vita erat, & prima cauſa viventium vltimo moriens, quia mortem noſtram moriendo deſtruxit: ergo ex his ſcriptionibus Elias Deus ſignificatur, Author vitæ, & mortis Redemptor.

165 Prædictę ſcriptiones fundantur in eadem editione Hiſtoriæ prophetice, in qua Author Eliam charitatem habuiſſe infinitam affirmat lib. 1. cap. 39. num. 10. ibi: *De fuerte que nunca vimos eſta caridad niña como la de la Eſpoſa, ſino varonil, y fuerte como la del Eſpoſo, y eſto es no tener principio, ni fin.* Charitas Elię non fuit infans ſicut charitas Sponſæ, id eſt, Eccleſię: in primitiva Eccleſia, de qua videtur loqui, charitas fuit virilis, robuſta, & firmior, quia Apoſtoli receperunt primitias ſpiritus. Tum etiam; quia tunc Virgo Deipara lampas inextinguibilis charitatis lucebat, & ardebat. Tum etiam; quia inſtitutus fuit in Eccleſia ſtatus virilitatis, & virorum perfectorum ſecundum D. Paulum, & aſſerere; quod charitas Elię in Synagoga fuit virilis, & in Eccleſia, charitas fuit puerilis; exaltat nimis Synagogam, deprimit Eccleſiam, iniurioſum videtur Chriſto, Apoſtolis, Deiparæ, & primitivæ Eccleſię: & concludit, quod charitas Eliæ fuit virilis, ſicut charitas Chriſti, & ſponſi, quod eſt non habere princi-

pium nec finem, nulliſque terminis claudi, & infinitam eſſe charitatem Eliæ, ſicut charitas Chriſti fuit infinita: ex gratia, & dignitate vnionis hypoſtaticæ fuit Chriſtus caput Sanctorum, & in eo fuit gratia capitis, qua omnes ſanctos ſanctificavit, Elias etiã ſecundum eumdem Authorem vbi ſupra num. 8. caput omniũ Sanctorum proponitur, ibi: *Diſcurra por todas las hileras de Virgines, de Anacoretas, de Doctores, de Martyres, y al cabo de cada vna hallarà à Elias por cabeza de todas.* Et lib. 1. cap. 40. num. 7. ibi: *No ſe puede negar, que el aver ſeñalado con el dedo el Eſpiritu Santo à Elias, fue como declararle por ſanto de Santos.*

166 Et licèt Apoſtoli, locis citatis non explicentur, non ſolum ſinguli, ſed D. Petrus vt caput Eccleſiæ futurus in nomine Collegij Apoſtolici, vivente Domino, & coram Domino Ieſu-Chriſto, veniam fecit Eliæ; vnde in dedicatoria dicitur, quod Apoſtoli præbuerunt Eliæ reverentiam, & de Elia in Transfiguratione ait Hiſtoricus propheticus lib. 1. cap. 41. num. 6. in fine, ibi: *Entonces los tres amados Pedro, Juan, y Diego, en nombre de todo el Colegio le reconocieron: (à Elias) y San Pedro, que avia de ſer Cabeza de la Igleſia, le hizo vènia, confeſſando ſu alteza, y olvidado de ſi, pidiò tabernaculo para Elias, deſeoſo de vèr aquella Trinidad: à la verdad ella era la mayor Trinidad que ſe ha viſto en la tierra.* Facere veniam alicui, ſignum eſt recognoſcentis ſuperioritatem; ſed quid mirum; ſi ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſecundum eumdem Authorem voluntariè ſe ſubiecit Eliæ, quem Authorem fecerat Virginalis ſtatus; idem lib. 1. cap. 22. num. 2. ibi: *En la forma que voluntariamente ſe ſugetò* (Chriſto al Bautiſmo) *podiamos dezir, que voluntariamente ſe ſugetò à Elias, à quien avia hecho Author del eſtado virginal.* Voluntaria ſubiectio, lege, voto, vel aliqua promiſsione fit; hic Chriſtum voluntarium ſubditum Eliæ facit in ſtatu virginali Monaſtico ab Elia inſtituto, vt tota Eccleſia Chriſtiana, & Catholica Eliana ſit, & ſubdita cum ſuo Capite Chriſto Eliæ, id eſt, Domino Deo, vt aſſeritur in dedicatoria, & ſi vera eſſent, quæ in his aſſertis Hiſtoriæ propheticæ, & dedicatoria affirmãtur de Elia, poſſent etiam dicere, quod Elias fuit Dominus Deus, factus homo, cui filius eius Vnigenitus voluntariè ſe ſubiecit in ſtatu virginali, quod ſi ita eſſet, optimè poſſet Elias legem gratiæ, evangelium, Eccleſiam, & Sacramenta inſtituere; ſed omnia ſunt falſa, quia de fide eſt, quod Elias fuit purus homo, & in ſtatu ſervitutis veteris legis vixit, & iuxta ritum illius figurativum Deum colebat, in vmbris, & figuris Redemptorem expectabat

ctabat promiſſum,& omnia in figura contingebant illi , ſicut alijs eiuſdem populi,& legis.

§. III.

Proponitur Pontificatus Eliæ in vtraque lege ad inſtituendum prædictum ſtatum religioſum in veteri,& in nova continuandum in Succeſſoribus eius.

167 QVia ſtatus religioſus ſine ſuprema authoritate Eccleſiæ,nec in veteri,nec in nova lege inſtitui potuit,ideò Eliam Pontificiam authoritatem tenuiſſe in veteri lege, & in nova poſt adventum ſuum eadem fruiturum affirmant. In dedicatoria magni Sacerdotis titulo ſcribitur,ibi: *Ecce Sacerdos magnus,qui in diebus ſuis placet Deo, & invenitur iuſtus.* Modo Elias in Paradyſo, nec Sacerdos magnus,nec minor eſt,quia Sacerdotium veteris legis fuit translatum,& ceſſavit,nullum imprimebat caracterem in anima , & licèt Elias in veteri lege Sacerdos fuiſſet,nunc Sacerdos in nova non eſſet,nec eſt Sacerdos magnus ſecundum legem gratię, quia hoc Sacerdotium ſine baptiſmo non datur, & prius debet conſtare,quod baptizatus fuit,de quo,vt docet S. P. Hieronymus,non eſt huius temporis diſputatio.

168 Summus Pontificatus Eliæ, & Sacerdotium inſuperabilem continet difficultatem,quia hæc dignitas Sacerdotalis iure ſanguinis conferebatur deſcendentibus ex tribu Levi. Tum etiam,quia duo Summi Pontifices in illa lege,ponere vnum in Hieruſalem,alium in Iſrael ſchiſmaticum eſt,& in nullo ſtatu vnitas corporis myſtici Eccleſiæ duo capita ſuprema permiſsit; ſed vt Elias ad domũ Carmeli in collocatione,& erectione primi lapidis fundamentalis Iudæos,& Græcos , Gentiles,& Chriſtianos vocaret,& in corde eius mundus eſſet cum Iudæis,Græcis,Gentilibus,& Chriſtianis,& caput eſſet omnium Sanctorum,cui Petrus nomine Collegij Apoſtolici veniam faceret,& Chriſtus Dominus voluntariè ſe ſubiecerit, neceſſariò Summus Pontifex debuit eſſe cum ſuprema vniverſi authoritate,vt evangelicum ſtatum religioſum in Synagoga fundaret cum poteſtate creandi Vicarios,& Succeſſores, & Prælatos illius Eccleſiæ,vel domus Carmelitanæ.

169 Hanc Pontificiam authoritatem ſupremam doceт

cet Hiſtoria prophetica edit.1630. in Elia lib.2.cap.2.num.4. cum facultate eligendi Superiores, & Vicarios poſt ſe, & quod defacto reliquit Eliſeum Vicarium, cui dedit poteſtatem ſolvendi, & ligandi, & ibi: *Y es de notar, que no dize qualquiera coſa que pidieredes te la darà Dios, ſino, yo te la darè:* & verè dignum notatu eſt, quod independenter à Deo hanc ſe daturum poteſtatem promittat Elias ſecundum reflexionem Authoris, (ſemper videtur innuere illud: *Elias Dominus Deus*) divinitatem enim ſapit hæc Authoris animadverſio: lib.2.capit. 16. num. 14. ad illa verba Eccleſiaſtici 43. v. 14. *Elias in turbine tectus eſt*; ait ibi: *En la palabra tectus, de mas de dezirnos, que Elias no muriò, eſta encerrado vn myſterio digno de conſideracion; conviene à ſaber, que Elias por eſtàr vivo, de tal manera dexò ſu Eſpiritu, y poder ampliado à Eliſeo, que no ſolo no ſe privò de èl, ni de el derecho de vſarlo quando otra vez buelva al mundo, como ſe privan los que mueren, ſino que quedò encubierto, como governando, y atalayando à los que dèl vſavan, por lo qual debemos conſiderar en Eliſeo vna cierta dependencia en el vſo de aquel dòn, de Elias como dueño dèl.* Hic notandum eſt, quod Elias hanc poteſtatem conceſsit, & ſpiritum dedit Eliſeo, ſibi facultatem reſervans vtendi illo, dum veniat, & quòd, Vicarij vtebantur ſine ſpiritu prophetico, ſivè poteſtate gubernandi cum dependentia ab Elia tecto: eodem lib.2. cap. 16.num.14.ibi: *Eliſeo vsò de el dòn de profecia con dependencia de Elias encubierto, y con ella paſsò à los demàs Profetas conſagrados, y por tanto fueron Vicarios de aquel Principe primero: del Romano Pontifice dezimos, que lo es de Chriſto, de San Pedro no, ſino Succeſſor, porque aviendo muerto no tuvo la facultad de dexar Vicario, pero Elias ſi, por la razon contraria, aunque quedò encubierto.* Et lib.2.cap. 1.num. 8. *En la familia de Elias lo miſmo es ſer Profeta, que religioſo, y religioſo, que Profeta.* Idem habetur in dedicatoria: at omnes in ſpiritu prophetico dependebant ab Elia tecto: ergo lumen propheticum communicabatur illis dependenter à voluntate Eliæ tecti, quod eſt expreſſum contra D.Petrum Epiſt.2.cap.1.verſ.20. ibi: *Non enim voluntate humana aliquando allata eſt prophetia; ſed Spiritu Sancto inſpirante loquuti ſunt ſancti Dei homines*: ergo ex inſtitutione Eliæ, nullus fuit Propheta, ſed ex Spiritu Sancto revelante, lib.1. cap.12.n.5. docet quod: poteſtas Eliæ fuit maior authoritate Pontificis, qui erat in Hieruſalem: eodem lib.cap.25.n.4. quod maior fuit in poteſtate Moyſe, & Aaron: ergo ſecundum hanc

novam doctrinam ſicut Chriſtus Dñs in terris fuit Pontifex Summus,caputque Eccleſiæ,& poſt Aſcenſionem Romani Pō- tifices, & Chriſti Vicarij ſunt caput viſibilè Eccleſiæ cum dependentia à Chriſto Domino inviſibili, ſic Elias fuit Summus Pontifex in veteri lege,caput viſibilè Eccleſiæ, & poſt raptum Vicarij illius erunt caput viſibilè illius Principatus prophetici, ſeù Eccleſię Elianæ cum dependentia ab Elia inviſibili, ſeù tecto,& in hoc Pontificatu inſtituit Monachatum verum evangelicum ſubſtantialiter,quem gubernabant in veteri lege ſui Succeſſores,& Vicarij cum dependentia ab Elia tecto; ac perconſequens independenter à Pontifice Hieroſolymitano,quod patet; nam ibi Prophetæ dependentes ab Elia tecto erant religioſi evangelici eſſentialiter, vt aſſerunt in ſtatu vero evangelico: Vicarij Eliæ inviſibilis, & Succeſſores in dignitate, & ſuperioritate gubernabant illam Congregationem Elianam evāgelicam, quam inſtituit Elias ante evangelium evangelicum, & ante Chriſtum Chriſtianam, vt aſſerunt, qui in terris fuit caput ſupremum, & in paradyſo eſt caput inviſibile, ſeù tectum: ergo illa Congregatio, ſeù Eccleſia Eliana, quam Elias in primo lapide fundavit in Carmelo,fuit diſtincta,& independens ab Eccleſia Synagogæ vmbratica,& figurativa, & in ſtatu Moſayco,& Aaronico illius imperfectæ legis,ſiquidem gubernabatur authoritate Eliæ viſibili & inviſibili in ſtatu,& dignitate evangelica,& in Pontificatu evangelico.

170 Hæc vltima conſequentia demonſtratur: in tranſitu reſervavit ſibi Elias ſpiritum,& poteſtatem illam,qua gubernavit Congregationem Elianam in veteri lege, vt illa vteretur in nova,dum veniat, vt conſtat expreſsè ex citatis ſupra; ſed Elias dum veniat erit in præſenti Eccleſia Summus Pontifex, concilia congregabit, cauſas fidei declaravit, & Sanctos canonizavit, vt aſſerit Hiſtoria prophetica: ergo ex relatis; hæc fuit idea Authoris; quod Elias 1.Dñs Deus in veteri teſtamento Congregationem Elianam inſtituit, ad quam vocavit Iudæum, & Græcum,Gentilem,& Chriſtianum,in qua vivens in terris fuit Summus Pontifex,caput viſibilè,& poſt tranſitum erat caput inviſibilè,ſeù tectum,à quo dependebat Vicarius Elię,cui Chriſtus voluntariè ſe ſubiecit in ſtatu,quem inſtituit, & Petrus nomine Collegij Apoſtolici veniam fecit, & coram Chriſto Domino reverentiam, & obedientiam præbuit: quod Chriſtus Dominus in vnione Eccleſiæ limitatum effectum fecit,& quod

Elias dum veniat in illo ſpiritu, & poteſtate ſibi reſervatis in veteri lege in Summo Pontificatu, Synagogam, & Eccleſiam vniet abundantiſsime, & erit vltimus nexus vtriuſque teſtamēti: ergo abundantiſsimus effectus vnionis Synagogæ, & Eccleſiæ erit in poteſtate, & ſpiritu illo veteris legis, quia hoc ius ſibi reſervavit Elias, vt illo vteretur in ſuo adventu: Hæc conſequētia maximè eſt notanda: O quam vera eſt illa ſententia Doctoris Maximi! quod de Elia, & Enoch non eſt huius temporis diſputatio, nè rurſum ædificetur Hieruſalem cum ſuis ſacrificijs, & cæremonijs, & fabulis Iudaicis acquieſcamus!

171 Qualiter Elias erit Pontifex in ſuo adventu, aſſerit Hiſtoria prophetica edit. 1. citata 1630. & primo, quia Pontifex debet eſſe filius Eccleſię, & pater fidelium: Sic Elias lib. 1. cap. 33. num. 8. ibi: *Elias es vnico, y ſingular hijo de la Igleſia, y la piedra angular deſte grande edificio.* Et cap. 32. num. 7. dixerat ad illa verba Apocalyp. 12. *Peperit filium*, ibi: *Quien en teatro de tantas letras arrojarà vna novedad? Digo pues, que eſ grande Elias es el hijo deſta Muger, y que eſtà tan ajuſtada con la idèa eſta repreſentacion, que ſubſtituir otro en ſu lugar, es hazer agravio à ambos.* Et ibidem: *Es tambien con nuevo modo, y mayor excelencia que otro, hijo de la Igleſia, porque no ſe le conoce Madre: de manera, que podemos dezir, que lo echò à la puerta della, la que lo pariò, y ſuſtentandoſe con ſu leche ſaliò tal, y por tanto es hijo vnico ſuyo, pues los demàs tienen Madre.* An hæ Sacræ Scripturæ explicationes ſint, novæ, abuſivæ ſine authoritate, & veritate iudicent alij: Certum eſt, quod Sacrum Concilium Tridentinum præcipit divinam Scripturam iuxta Sanctorum Patrum doctrinam interpretari: aliquis ergo debet afferri Sanctus Pater, vel Doctor, qui partum illius ſigni magni de Elia in adventu explicet: Communiter Patres, vel Deiparam, vel Eccleſiam intelligunt, & in filio Chriſtum Dominum, vel corpus eius myſticum explicant. Ex hoc magno ſigno maximi myſterij Chriſti, & Eccleſiæ tota idea imaginis Eliæ in concluſionibus videtur deprompta; nam Elias ſuper ſpheram, ſeù globum lunę depingitur, & in religionis ſcuto habitus Carmelitanus cum ſole, & corona ſtellarum duodecim: ergo ſignum magnum repreſentat mulieris illius Sole amictę, & duodecim ſtellis coronatæ parientis Eliam illam gignentem, & parientem, quia, vt aſſerunt, in adventu ſuo

Elias pariet Eccleſiam in Hiſtor. prophet. lib. 1. cap. 36. num. 3. edit. 1641. iuxta vltimam correctionem: itaque in Elia verificabitur illud Pſalmi 84. *Homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam altiſsimus*; ſiquidem Elias erit filius Eccleſiæ, & pariet Eccleſiam in ſuo adventu.

172 Hic Eccleſiæ filius primogenitus, Eccleſiam gubernans, & pariens erit in adventu ſuo Pontifex Maximus maior Pontifice maximo Chriſti Vicario ſecundum Hiſtoriam propheticam, quia tunc Pontifex Summus Romanus Chriſti Vicarius in terris erit devexatus, contemptus, & remotus in angulo, & Elias congregabit Concilia, Cauſas fidei diffiniet, Sanctos canonizabit, Sacram Scripturam authoritative interpretabit, & hæreticos puniet: ergo exiſtente Romano Pontifice cum ſuprema poteſtate Eccleſiæ à Chriſto capite inviſibili data in ſpiritu legis gratiæ, & hoc Pontifice abiecto, contempto, & remoto in angulo cum ſuo ſpiritu, & poteſtate ex capite inviſibili; Elias veniet, & in poteſtate, ſpiritu, & authoritate, quæ omnia ſibi reſervavit in veteri lege, vt his in nova vteretur, erit Summus Pontifex, & coram Vicario Chriſti vivente, concilia congregabit; at Div. Paulus ad Heb. cap. 7. verſ. 12. docet, ibi: *Translato enim Sacerdotio, neceſsè eſt vt legis translatio fiat.* Et omnia, quæ propria ſunt Romani Pontificis in illo ſpiritu reſervato exercebit in Eccleſia, quam pariet in ſuo adventu, ac perconſequens in partu Eliæ erit alia Eccleſia cum alio capite, vel reſurget, & regenerabitur illa Eccleſia fundata in Carmelo, ad quam vocavit omnes gentes, quæ erant in corde Eliæ ſicut in corde Chriſti. Summus Pontificatus Eliæ poſt adventum eius deſcribitur in Hiſtoria prophetica citata lib. 1. cap. 40. num. 4. edit. 1630. ibi: *Yà queda dicho como Elias tuvo poteſtad extraordinaria, y como delegada (no por comiſsion de hombres, ſi no por mandado de Dios, como San Pablo dezia de la ſuya) de Summo Pontifice de los diez Tribus: à eſta miſma traza me perſuado, que ha de ſer lo miſmo quando buelva al mundo, porque demàs de la correſpondencia de los tiempos deſte varon divino, el Summo Pontifice de Roma ha de eſtàr tan arrinconado, y perſeguido, que ſea neceſſario darle tan grande ſubſtituto: y eſta debe de ſer la cauſa, porque, ni en la Eſcritura, ni en los Santos aya memoria de los hechos del Romano Pontifice en aquella ocaſion.* Et ibidem in margine:

Es Summo Pontifice. Et in indice, verbo Elias: *Doze dignidades, la tercera de Summo Pontifice: Será legitimo interprete de la Sagrada Eſcritura, dirà la pureza della, ſerà Capitan de todos los Eſtados de la Igleſia, y juntarà Concilio vniverſal de ella contra el Anti-Chriſto, y para la converſion del Judaiſmo difinirà de fè todas las Controverſias de Fè, que ſe ofrecieren: y ſi el ſer Summo Pontifice en la Igleſia es ſer cabeza della, y poder exercer todos eſtos actos, porque ſe le negarà à Elias eſta dignidad de Vicario, y ſubſtituto del que lo es, pues executarà los actos referidos*. Et ibidem num. 7. ad illa verba Eccleſiaſt. cap. 48. v. 10. *Qui adſcriptus eſt in iudicijs temporum*. ibi: *Fuera de todo eſto, ſe le concede en el teſtimonio referido Judicatura vniverſal ſobre todos los tiempos, cuyas ſentencias ſeràn declarar la pura, y buena religion, y diſtinguirla de la falſa; dàr por buenas las verdaderas tradiciones, averiguar quales ſean legitimas eſcrituras, canonizar los que verdaderamente ſon Santos, y gozan de Dios, y quitar deſte Cathalogo, los que Judios, hereges, y Paganos han introducido, caſtigar con fuego, y cuchillo à los merecedores, y vltra deſto remitir la ſentencia de Dios con los verdaderos penitentes*. Partus Eliæ, & ortus Eccleſiæ ex Elia eo nova explicatio Authoris ad illud Apocalyp. 12. *Peperit filium*, vt ſupra ex locis citatis in hoc §.

173 His excellentijs, gratijs, prærrogativis, & dignitatibus in veteri, & nova lege inſignitum depingebat Eliam Hiſtoria prophetica in 1. edit. 1630. vt eſſet veri Monachatus inſtitutor in Synagoga, & iſtis ferè coloribus repræſentatur in dedicatoria Concluſionum anno 1688. poſt vltimum decretum Sancti Officij; & in quinta concluſione aſſerunt revelationem ab Eccleſia approbatam, qua dicitur Eliam inchoaſſe Ordinem Carmelitanum non ſolum in figurali, cæremoniali, & ſymbolico ſtatu Monaſtico; ſed in vero eſſentiali, & ſubſtantiali poſſe credi fide divina theologica. Itaque ſit 1. hypoteſis, ſi Elias in veteri lege fuit ante evangelium evangelicus, & ante Chriſtum Chriſtianus in vero ſtatu; & Summus Pontifex in ſpiritu, & veritate legis gratiæ, & in lapide primo angulari Carmeli vocavit Iudæum, & Gentilem, & omnes gentes ad illam Eccleſiam, in qua poſt tranſitum reliquit Vicarios in eodem ſpiritu, & veritate, vt regerent, & gubernarent illam congregationem Elianam cum dependentia ab ipſo Elia inviſibili, ſeu tecto, & Elias habuit ſanctitatem, & charitatem ſine principio, & fine, ſicut charitas, & ſanctitas Chriſti fuerunt, vt aſſeritur in citata Hiſtoria prophetica, & in Concluſionum dedicatione: in hac ſuppoſitione, nullum inconveniens eſt, quod fuiſſet Author, & inſtitu-

tor veri ſtatus Monaſtici evangelici in Synagoga, quia non inſtitueret illum in Synagoga, ſed in vera Eccleſia evangelica Catholica ab ipſo inſtituta,& in Carmelo fundata. 2. Si ante adventum Chriſti Domini, Elias fuit ante evangelium evangelicus,& ante Chriſtum Chriſtianus in re,& in vero ſtatu, & in veteri Synagoga fuit ſtatus iuſtitiæ, iuſtificationis,gratiæ,adoptionis,filiationis, & perfectionis, & fideles illius populi erant filij iuſti,& perfecti,& Chriſtiani in re,& in ſtatu, & Elias erat Chriſti Miniſter non in littera occidente, ſed in ſpiritu vivificante,vt aſſerunt Salmanticenſes,non eſſet inconveniens,quod actu inſtitueret verum ſtatum religioſum ſubſtantialiter evangelicum in illa lege; quia non eſſet lex vetus imperfecta,figurativa mortis,& peccati,vt docet D.Paulus,ſed lex perfecta gratiæ, iuſtitiæ, iuſtificationis,& perfectionis, & novi teſtamenti. 3. Si Elias in Synagoga fuit purus homo, & in ſtatu ſervitutis figurativo,& vmbratico illius legis mortis, & peccati, & fuit Miniſter in illo populo in littera occidente,ſecundum illam legem,& doctrinam D.Pauli; & ante redemptionem generis humani in Sanguine Chriſti Domini,& legem gratiæ,non fuit in Synagoga ſtatus iuſtitiæ, gratiæ, iuſtificationis, & perfectionis evangelicæ; non inſtituit Elias in veteri lege ſtatum verum religioſum ſubſtantialiter evangelicum in ſpiritu,& veritate legis gratię eiuſdem rationis cum ſtatu religioſo Chriſtiano: & quia prima, & ſecunda hypoteſis ſunt falſę,& falſam continent doctrinam,iuxta tertiam,quæ vera eſt; ex defectu virtutis, & perfectionis in Elia primo inventore,& Authore ad effectum huius ſtatus,negatur illius exiſtentia in veteri lege,& §. ſequenti demonſtratur.

§. IV.

Elias non inſtituit de facto ſtatum prædictum religioſum in veteri lege.

174. VArijs argumentis hęc concluſio ſtabilitur per totam controverſiam: aliqua Salmanticenſes ſibi obijciunt in hac diſputatione,quibus aliquando tædio reſpondent; itaque illa reproducere placuit,vt ex ipſis Salmanticenſium ſolutionibus impugnatis argumenta ſint grata;& primum pro concluſione ex dictis arguitur: vt Elias de facto inſtitueret

verum

verum ſtatum religioſum ſubſtantialiter evangelicum in veritate,& ſpiritu legis gratiæ, neceſſariò deberet habere virtutem evangelicam,gratiam,activitatem, perfectionem,ſpiritum, & veritatem evangelij ad inſtituendum efficienter effectum ſubſtantialiter,& eſſentialiter evangelicum in ſtatu vero evangelico,vel vt cauſa principalis authoritative, vel vt inſtrumentalis coniuncta,vel ſeparata,vel vt Miniſter continens virtutem, & facultatem à principali Authore; ſed nullo modo habuit Elias in veteri lege gratiam,virtutem, authoritatem, activitatem, & perfectionem ad efficiendum,vel inſtituendum aliquem effectum verum evangelicum in vero ſtatu legis gratiæ, & ſpiritus illius in illa lege: ergo Elias non inſtituit efficienter prædictum ſtatum ſubſtantialiter evangelicum in ſpiritu legis gratiæ: Maior eſt certa: Minor probatur; quoad omnes ſuas partes; & quoad primam,& ſecundam partem patet,quia ſolus Chriſtus Dominus potuit,vtDeus authoritative,& principaliter inſtituere in aliquo ſtatu hominum veritatem,virtutem, & perfectionem,& ſpiritum legis gratiæ; & inſtrumentaliter, vt inſtrumētum coniunctum,vt homo per ſuam humanitatem vnitam verbo divino: inſtrumentaliter,vt inſtrumentum ſeparatum etiam patet,quia nullum fuit Sacramentum, vel ſignum ſenſibile in veteri lege,quo conſtituerentur fideles in ſtatu vero evangelico ſubſtantialiter per virtutem aliquam,& perfectionem infuſſam ex applicatione inſtrumenti,vel ſigni: quoad vltimam partem etiam conſtat,quia vt docet D.Paulus,& late oſtendimus in 2. p.Diſc.5.§.7.& 8. Miniſtri in veteri lege fuerunt in littera occidente,& miniſteria eius mortis, & damnationis: & idonei Miniſtri veritatis,virtutis,& perfectionis legis gratiæ primi fuerunt Apoſtoli in ſpiritu vivificante: ergo Elias nec vt cauſa principalis,nec inſtrumentalis,nec vt Miniſter inſtituit in veteri lege ſtatum verum aliquem ſubſtantialiter evangelicum in veritate,& ſpiritu legis gratiæ eiuſdem rationis cum ſtatu vero evangelico Chriſtiano inſtituto à Chriſto Domino in lege gratiæ.

175 Confirmatur,vt Elias de facto efficeret,vel inſtitueret prædictum ſtatum religioſum ſubſtantialiter evangelicum in veritate,& ſpiritu legis gratiæ de facto,deberet eſſe in ſtatu vero ſubſtantialiter evangelico in eodem ſpiritu, & veritate; ſed Elias in veteri lege non fuit in ſtatu ſubſtantialiter evangelico in ſpiritu legis gratiæ,& libertatis; ſed in ſtatu ſervitutis,figura-

tivo,& vmbratico in littera occidente: ergo de facto Elias non inſtituit prædict.m ſtatum religioſum: Maior eſt certa, quia in genere cauſa efficientis nemò dat, quod non habet vt cauſa, vel vt inſtrumentum elevatum: Minor probatur: in veteri lege fuit Elias in ſtatu ſervitutis legis, mortis,& peccati, vt docet Apoſtolus, nondum erat redemptus in ſanguine Chriſti; ſed in ſtatu ſerv.tutis veteris legis vmbratico,& figurativo: ante redemptionem Chriſti Domini nullus fuit in ſtatu vero evangelico ſubſtantialiter in veritate, & ſpiritu legis gratiæ inſtituto: ergo Elias in veteri lege non fuit in ſtatu vero ſubſtantialiter evangelico in ſpiritu,& veritate legis gratiæ eiuſdem rationis cum evangelico Chriſtiano: Minor probatur: ſtatus verus evãgelicus ſubſtantialiter,& eſſentialiter, non conſtituitur per gratiam ex fide in Chriſtum futurum; ſed per gratiam ex lege iuſtificante ex meritis Chriſti præſentis,& paſsi; ſed in veteri lege nullus fuit in ſtatu vero evangelico ſubſtantialiter per gratiam ex lege iuſtificante: ergo nullus fuit in ſtatu vero evangelico ſubſtantialiter in veritate,& ſpiritu legis gratiæ conſtituto: Maior eſt certa, quia ſtatus evangelicus conſtituitur à lege libertatis ſolvente ſtatum ſervitutis, & peccati per gratiam ex lege iuſtificante; ſed gratia ex fide in Chriſtum non erat ex lege iuſtificante ex ſe, nec ſolvebat ſtatum ſervitutis, & peccati generis humani ex lege iuſtitiæ: ergo ad ſtatum evangelicum, ſeù ad veritatem evangelicam,& ſpiritum legis gratię in ſtatu vero evangelico ſubſtantialiter,& eſſentialiter inſtituendum in veteri lege non fuit ſufficiens fides in Chriſtum futurum ex gratia ex meritis ipſius futuri, ſed neceſſariò,& eſſentialiter requiritur lex gratiæ iuſtificans ex meritis Chriſti paſsi, ſolvenſque ſtatum ſervitutis,& peccati,& conſtituens ſtatum evangelicæ veritatis, virtutis, perfectionis,& libertatis in ſpiritu legis gratiæ.

176 Secundo probatur concluſio ratione ex Div. Thoma deſumpta, ex qua ſatis efficax conficitur argumentum: in veteri teſtamento ante redemptionem generis humani ex meritis Chriſti futuri nullus purus homo habuit virtutem, & authoritatem ad inſtituendum in Synágoga ſacrificium, & holocauſtũ ſpirituale, quo homo perfectè ſatisfaceret Deo, omnia, & ſeipſum Deo ſacrificans,& offerens, quod quidem ſacrificium, & holocauſtum tantæ vis, perfectionis,& meriti eſt, vt pro graviſſimo peccato imponi non poteſt pro pœnitentia, quia quaſi

tranſ-

tranſcendit omnem ſatisfactionem; ſed ſtatus religioſus verus cum triplici voto eſt huiuſmodi ſacrificium, & holocauſtum: ergo à nullo puro homine potuit inſtitui, nec inſtitutus fuit in veteri illa lege ſacrificiorum carnalium, taurorum, arietum, & agnorum: Maior certa eſt, quia tanta vis nullo ſacrificio veteris legis fuit data, nec dari potuit, niſi ex meritis Chriſti paſsi: Minor eſt expreſſa D. Thomæ Opuſc. 18. cap. 11. ibi: *Cum vero omne, quod habet, omne quod vivit, omne quod ſapit, Omnipotenti Deo voverit, holocauſtum eſt, quod quidem imoletur per tria vota prædicta: vnde manifeſtum eſt, eos, qui huiuſmodi vota Deo emittunt quaſi propter holocauſti excellentiam, antbonomaſticè religioſos vocari.* Et poſt pauca: *Sicut ergo holocauſtum ſacrificium eſt perfectum, ita per vota promiſſa perfectè homo Deo ſatisfacit, cum, & de exterioribus rebus, & de proprio ſpiritu holocauſtum offert. Ex quo patet, quod religionis ſtatus non ſolum perfectionem charitatis, ſed etiam perfectionem pœnitentiæ continet, in tantum, quod nulla ſunt peccata tam graviora, pro quibus poſsit homini imponi pro ſatisfactione religionis aſſumptio, quaſi religionis ſtatu omnem ſatisfactionem tranſcendente.* Verba Angelici Magiſtri clariſsima ſunt, & expreſsè conſtituit hoc magnum holocauſtum ſtatus religioſus in triplici voto, in quo enim eſſentia, & ſubſtantia ſtatus religioſi evangelici conſiſtit. Hoc igitur holocauſtum ſpirituale evangelicum, quo homo perfectè ſatisfacit Deo, defendunt Salmanticenſes inſtitutum fuiſſe ab Elia in Synagoga Iudæorum inter illa materialia, carnalia, & cruenta Sacrificia, quæ Deus Optimus Maximus nolebat, & deſpexit: nos vero hoc holocauſtum inſtitutum fuiſſe in lege gratiæ dicimus ex gratia conſummata in Sacrificio Crucis, vt ſuo exemplo Crucem ſuam amplecterentur in triplici voto, & omnia terrena abdicantes ad culmen perfectionis evangelicæ pervenire poſſent faciliùs religioſi, & Deo adhærere mundo cum Chriſto crucifixi.

§. V.

§. V.

Proponuntur fundamenta noſtræ ſententiæ, quæ ſibi opponunt Salmanticenſes, & ſolutiones eorum impugnantur.

177 PRimo ſibi obijciunt Salmanticenſes & pro noſtra ſententia arguunt: Si ſtatus religioſus ſecundum eſſentiam talis fuiſſet in veteri teſtamento, illius fieret mentio in aliquo libro Canonico; ſed in nullo fit: ergo. Triplici ſolutione reſpondent. Prima: quod in re hiſtoriali probabili non debet quæri expreſſum ſcripturæ teſtimonium, quod ſi ſuæ ſententię aſsiſteret, actum eſſet de contraria. Secunda, quod non diſtinguit inter mentionem implicitam, & explicitam, atque adeò eodem modo impugnat ſtatum religioſum in Apoſtolis, quippè illorum vota, & profeſsio ſub his formalibus, & explicitis vocibus non inveniuntur in aliqua ſcriptura Canonica. Tertia, quod deſtruit traditiones Eccleſiaſticas, & favet Calvino, & Sequacibus non admittentibus, niſi verbum ſcriptum. Deinde addunt ſtatum religioſum aſsignari implicitè in locis ſcripturæ, in quibus refertur vita Eliæ, Eliſei, & B. Ioannis Baptiſtæ, & quod in re hiſtoriali, & ad factum pertinente parum, aut nihil intereſt, quod plures teſtes taceant, & negative ſe habeant, ſi alij poſsitivè affirment.

178 Sed funiculus hic ex triplici ſolutione facilè rumpitur; quia controverſia hæc non ſolum eſt facti hiſtorialis, vt aſſerũt Salmanticenſes; ſed iuris divini, in qua quamplurimæ difficultates theologicæ involvuntur circa differentiam vtriuſque legis, & myſteria Eccleſiæ, agitur etiam de inſtitutione præcipui ſtatus evangelici in veteri teſtamento, quod maximi ponderis eſt, & ad ius divinum pertinet, & ſine textu Sacræ Scripturæ poſt tot Eccleſiæ ſęcula decurſa, verum ſtatum religioſum publicum conſilijs perfectionis, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicum, à puro homine inſtitutum fuiſſe defendere, puris coniecturis, & ſolitarijs congruentijs infirmum argumentum eſt, vt advertit Melchior Cano in relectione de Sacram. in gen. 2. part. E contra ſilentium ſcripturæ ſacræ in re gravi iuris, & facti divini cum alijs gravißimis fundamentis ex ipſa Scriptura, & expreſsis SS. PP. teſtimonijs in contrarium, alijſque tacentibus, ſolidiſsimum argumentandi genus eſt, & pręcipuè, ſi in ſacra

era ſcriptura opportunus, & convenientiſsimus ſe obtulit locus laudandi illud factum, vel ex illo commendandi aliquos in ſacra ſcriptura viros inſignes, vel virtutes eorum celebrandi ex quibus celeberrimi fierent; ſed à cap. 44. Eccleſiaſtici vſque ad caput 50. Viros glorioſos veteris teſtamenti ab Adam incipiēs laudat Scriptura, & commendat Spiritus Sanctus, virtutes eorum, & facta extollens, & nominatim Eliam ex multis virtutibus, & operibus celebrat, & inſtitutionem ſtatus veri religioſi in ſubſtantia evangelici, vota, & conſilia perfectionis ab illo adinventa, quæ ſummæ laudis eſſet, non commemorat: ergo non fuit inſtitutor veri ſtatus religioſi, nec vota emiſsit, neque ſtatum perfectionis inſtituit, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicum. Quis credet, quod Sacra Scriptura, vel Spiritus Sanctus per eam alia particularia opera, & facta Eliæ referens minus perfecta, hæc maxima, perfectiora, & ad ſtatum futurū Eccleſiæ evangelicę pertinentia, in laudibus Eliæ omitteret? An ſit hoc legitimum arguendi genus apud Sanctos Patres, & Cōcilia Eccleſiæ, iudicent alij præter Salmanticenſes.

179 Deſcriptio Monachatus in vitis Eliæ, & Eliſei figurativa certè fuit & vmbratica, ſicut cætera legis veteris; quia etiā vita veteris teſtamenti prophetalis fuit, vt ſæpè diximus ex D. Auguſtino, & D. Thoma: Sacerdotium, & omnes ſtatus Eccleſiæ, & ipſa vita Salvatoris Domini noſtri in illis figuris veteris teſtamenti typice deſcribebantur, nec aliud Doctores Catholici intelligere poſſunt, ex vitis, & geſtis Eliæ, & Eliſei, niſi Monachorum legis gratiæ figuram quamdam, & vmbram, vt cōſtat, ſi recta intentione teſtimonia eorum legantur. Novus ſtatus verus religioſus, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicus in veteri lege lōgè eſt à traditionibus Eccleſiaſticis, immo ipſius Eccleſiæ traditioni opponitur, quia vitam communem in ſtatu religioſo ex cap. 1. Act. Apoſt. colligunt Patres antiqui, & ferè omnes Doctores moderni ab hoc exordio, eam commendat, & laudant: ergo, qui certum, & indubitatum principium huius vitæ deſignant in libris ſacris, Calvinum, & Sequaces impugnant, veris traditionibus Eccleſiaſticis.

180 Secundo, quia ex eorum ſententia ſequeretur Monachatum veteris legis, & novę eſſe eiuſdem rationis eſſentialis: Conſequens eſt falſum, quia derogaret dignitati ſtatus religioſi evangelicæ: ergo. Confirmatur primò, quia alias, eadem licentia poſſet quis dicere verum fuiſſe Apoſtolatum in veteri teſta-
men-

mento,quod eſſet pluſquam temerarium. Confirmatur ſecundo; quia illi Monachi veteris legis non erãt Chriſtiani:ergo nec veri Monachi, quia Monachatus deſignat ſpecialem vivendi modum in religione Chriſtiana. Ad argumentum reſpondent exemplo Eccleſię, quæ poteſt conſiderari,vel ſecundum eſſentiam,& ita eſt vna ſpecificè in ſtatibus legis ſcriptæ, & evangelicæ: vel ſecundum modum,& gradũ perfectionis,& ita proùt exiſtens in lege gratiæ longè excedit ſeipſam proùt exiſtentem in lege ſcripta; ſic eodem modo Monachatus.

181 Sed inſtantia vnitatis Eccleſiæ ad vnitatem ſtatus religioſi in vtraque lege ex plurimis deficit,quia ad vnitatem Eccleſiæ ſufficit vnitas fidei: ad vnitatem ſtatus requiritur vnitas legis illum conſtituentis; & ad determinatum ſtatum evangelicum requiritur ſtatus fidei evangelicæ ſignis viſibilibus legis gratiæ, & Sacramentis, proteſtantibus fidem, & ritum evangelicum: itaque argumentum ex vnitate Eccleſiæ,quæ fit per fidem, ad vnitatem ſtatus quæ conſtituitur ex lege, nihil probat: Ad ſtatum religioſum evangelicum non ſufficit fides interna; ſed requiritur ſtatus fidei evangelicæ ex lege gratiæ ſecundum ritum religionis Chriſtianæ: Cum vero in veteri lege, alius fuerit ſtatus fidei,alia lex,& alius cultus ſecundum aliũ ritum, ideò ex vnitate veræ fidei communis omni ſtatui Eccleſiæ ratione finis,ſeù obiecti ad ſtatus eiuſdem Eccleſiæ inſufficiens eſt argumentum,& multo magis ad ſtatus ſpecificos pręſentis Eccleſiæ,& legis gratiæ. Idemque argumentum poſſunt facere Iudæi: Eccleſia in vtroque teſtamento eſt eiuſdem rationis: ergo ſtatus Eccleſiæ,ex lege Chriſti,& Synagogæ ex lege Moyſis ſunt eiuſdem rationis; quod probare poterunt ex Salmanticenſibus: eadem vota in veteri lege ex inſtitutione Elię, Deo inſpirante, emiſſa ſub ritu veteris legis conſtituunt eumdem ſtatum verè evangelicum ſubſtantialiter eiuſdem rationis cum Chriſtiano: ergo eadem pręcepta moralia inſtituta,vel data à Moyſe,Deo expreſsè diſponente, & mandante, conſtituunt eumdem ſtatum Eccleſiæ, & Synagogæ eiuſdem rationis cum evangelico ſtatu Chriſtiano: Salmanticenſes tenentur reddere diſparitatem; nos autem,qui ſpiritum, & veritatem legis gratiæ,non in præceptis tantum,nec in votis,nec in rebus ſenſibilibus conſiſtere dicimus,ſed in gratia Spiritus Sancti data ex lege nova, faciliter reſpondemus cum Apoſtolo, quod omniá in veteri lege erant figurativa, & vmbratica, & di-

diverſæ rationis quoad ſtatum, virtutem, & veritatem, & quod omnia miniſteria, & ſtatus præſentis Eccleſiæ, in qua Chriſtus omnia fecit nova, ſunt diverſæ rationis, & ex lege nova; nova, & diſtincta eſſentiæ, & ſubſtantię; à Monaſterijs, ſacrificijs, & ſtatibus Synagogę; quidquid dicat Collegium Salmanticenſe Carmelitanum Excalceatum, quia in hoc Angelico Doctori adverſatur.

182 Ad primam confirmationem reſpondent, quod hic non agitur de poſsibilitate, ſed de facto, & vt aſſerant verum Monachatum in lege antiqua plura habent fundamenta; at vero ad ſtatuendum pro eo tempore Apoſtolatum nullum occurrit fundamentum. Sed contra eſt; quia argumentū probat inconveniens, ſcilicèt, quod ex eiſdem principijs, quibus vtuntur Salmanticenſes ad probandam exiſtentiam veri ſtatus religioſi in veteri lege, poſſet quis dicere, verum etiam extitiſſe Apoſtolatum quoad eſſentiam, & ſubſtantiam evangelicum, ſine perfectione tamen legis gratiæ, quod admiſsis diſtinctionibus Salmanticenſium de ſtatu perfecto, & minus perfecto de diviſione modi, à ſubſtantia; non careret fundamento; nam Maximus Doct. Hieronymus Pater noſter de Iſaia ait, quod magis videtur Evangeliſta, quam Propheta; vnde communiter dicitur Evangelicus Propheta; quare ergo Iſaias non poſsit dici, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam verus Evangeliſta, & Apoſtolus, & quare non poſsit dici, quòd Iſaias in veteri teſtamento inſtituit verum ſtatum Apoſtolicum, & evangelicum quoad ſubſtantiam, & eſſentiam, minus tamen perfectum, eiſdem principijs, quibus nunc defenditur verus ſtatus religioſus, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicus? Hoc ſolvere tenentur Salmanticenſes; nam recurrere ad poteſtatem clavium, nodum non ſolvit, quia poteſt dici cum eiſdem Salmanticenſibus, quod poteſtas clavium non pertinet ad ſubſtantiam, & eſſentiam Apoſtolatus, & Evangelicatus, & idem de alijs privilegijs, quibus gaviſi fuerunt Apoſtoli, & Evangeliſtæ ex Chriſti Domini præſentia; ſed hęc omnia pertinere ad modum, & gradum perfectionis, quam nunc habet Apoſtolatus in lege gratiæ, ſufficereque ad eſſentiam, & ſubſtantiam Apoſtolatus, & evangelicatus, quod fuerint miſsi, & vera annuntiaverint: ergo ex eiſdem principijs, & medijs, & diſtinctionibus Salmanticenſium, poſſet quis dicere verum fuiſſe Apoſtolatum, & Evangelicatum in veteri teſtamento quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicos;

quia

quia prius inſtituit Apoſtolos, & poſteà dedit eis poteſtatem clavium Chriſtus Dominus; itaque inconveniens non ſolvitur ex doctrina Salmanticenſium, ſed confirmatur.

183 Ad ſecundam confirmationem reſpondent, quod dupliciter poteſt aliquis eſſe Chriſtianus vno modo *re tantum*, alio modo *re, & nomine*. Ad primum ſufficit, quod, quis habeat fidem Chriſti, & quia fideles antiqui, tàm Monachi, quàm laici illam habuerunt, propterea fuerunt in re Chriſtiani, & aſſerunt conſtare ex Patribus num. 9. ab illis laudatis. Ad ſecundum, præter præſentiam Chriſti requiritur, vt *re, & nomine* aliquis dicatur Chriſtianus, promulgatio legis evangelicæ cum peculiari prędictę vocis inſtitutione, & vſu; ſed id minimè deſideratur ad ſubſtantiam ſtatus religioſi, conſtat enim Apoſtolus prædictum ſtatum habuiſſe ante mortem Chriſti Domini, & tamen tunc non appellabantur Chriſtiani, quia huius vocabuli vſus cępit Antiochiæ poſt Chriſti mortem, vt conſtat Actor. 11. & obſervavit Baronius ad annum Chriſti 43. num. 11.

184 In hac ſolutione manifeſtè confundunt Salmanticenſes quæſtionem de re, & de nomine; nam alia eſt quæſtio quando incęperint Apoſtoli eſſe Chriſtiani, & alia quando hoc nomine incęperint appellari: Chriſtiani ſunt, ſecundum Cathecismum puerorum, qui habent fidem Chriſti, quam profeſsi fuerunt in Baptiſmo; itaque Apoſtoli à Baptiſmo, in quo fuit impreſſus caracter, qui participatio Sacerdotij Chriſti eſt, vt infra ex D. Thoma explicabimus, incæperunt *in re* eſſe Chriſtiani: vocabulum autem poſteà adinventum fuit ad ſignificandum ſtatum; itaque ſtatus religioſus non fuit fundatus in nomine; ſed in re Chriſtianitatis: ergo parum, vel nihil refert, quod Apoſtoli poſteà cæperint appellari Chriſtiani.

185 Diſtinctio Salmanticenſium Chriſtianitatis *in re tantum*, & *in re, & in nomine* ſuas patitur difficultates, de quibus poſteà; ſed adhùc chriſtianitate in re admiſſa in veteri teſtamento, ante lavacrum regenerationis Sanguinis Chriſti, illi Chriſtiani eſſent in ſtatu ſervitutis illius legis imperfectæ; ſed ſtatus verus religioſus evangelicus eſt ſpecialis modus vivendi Chriſtianorum perfectæ libertatis legis gratiæ: ergo ex chriſtianitate circumciſsionis, non ſolvitur argumentum factum ex chriſtianitate Baptiſmi, quia ſi illi fideles chriſtianitate ex fide potuiſſent eſſe veri religioſi quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelici, etiam Cathecumeni poterunt eſſe in vero ſtatu re-

religioſo evangelico ante receptionem ſacri Baptiſmatis in fonte.

186 Cautè enim legenda eſt hæc Salmanticenſium doctrina de chriſtianitate *in re* veteris legis; quã Patribus attribuũt num.9.huius diſputationis laudatis,& tantum ibi pro hac ſua ſententia adducunt Euſebium lib.2.Hiſt.cap.1. dicentem: *Eos, ſi non nomine, rebus tamen,& religione Chriſtianos fuiſſe ſi quis dicat, non mihi videtur errare.* Quod non eſſet error,aſſerit Euſebius, rebus, & religione Chriſtianos fuiſſe veteres illos Patres aſſirmare; quia Chriſtum Dominum ſperabant futurum,& per fidem in illum iuſtificabantur, religionemque Chriſtianam, cultumque illius pręfigurabant; & Patres Salmanticenſes in re chriſtianos fuiſſe abſolutè docent; ſtatum chriſtianitatis legis gratiæ nomine tantum,& promulgatione legis evangelicæ diſtinguentes à chriſtianitate veteris legis,quod manifeſtè falſum eſt;nam licèt verum ſit, quod illi veteris teſtamenti appellari poſsint Chriſtiani,& affirmari Chriſtianos fuiſſe aliquo modò allegoricè,vel analogicè, veri tamen chriſtiani non fuerunt propriè in re,nec ſecundum cultum religionis Chriſtianæ, & caracterem chriſtianitatis. Quis vmquam dixit,quod Cathecumeni in re chriſtiani veri ſint vſque ad receptionem Baptiſmatis? Vndè ſi Cathecumeni,qui chriſtiani poſſũt dici in fide Chriſti præſentis, tàm in anima per caracterem receptum in Baptiſmate, quàm exterius per cultum diſtinguuntur in re à Chriſtianis baptizatis, quanto magis Patres veteris teſtamenti, licèt chriſtiani aliquomodo appellari poſsint,diſtinguerentur à Chriſtianis legis gratiæ? Quod manifeſtum fit; nam illi per Sacramenta veteris legis nullum recipiebant caracterem in anima,vt docet D.Thomas 3.p.quæſt.63.art.1.ad 3.& per ſigna externa mancipabantur cultui illius legis imperfectę,& ſervitutis:Chriſtianis autem legis gratiæ imprimitur in anima indelebilis caracter per Sacramenta à Chriſto Domino inſtituta,qui quidem caracter participatio quædã eſt Sacerdotij Chriſti, quo homo ordinatur ad cultum pręſentis Eccleſiæ,vt ſupra citatus D.Thomas art.3.in corp.ibi: *Secundo autem deputatur quis fidelis ad recipiendum, vel tradendum alijs ea,quæ pertinent ad cultum Dei, & ab hoc propriè deputatur caracter Sacramentalis. Totus autem ritus Chriſtianæ religionis derivatur à Sacerdotio Chriſti.*

187 Hunc ritum Chriſtianæ religionis inchoavit Chriſtus Dominus per ſuam paſsionem,vt docet Angelicus Magi-

ſter

ſter ibidem,quæſt.62.in corp.ibi: *Similiter etiam per ſuam paſsionem initiavit ritum Chriſtianæ religionis offerens ſeipſum oblationem, & hoſtiam Deo, vt dicitur Epheſ.* 5. Fideles veteris teſtamenti non habebant hunc caracterem Chriſti, qui eſt proprium conſtitutivũ Chriſtianiſmi in re; ſed ſanctificationes ſacrificiorum figurales erant,& per illas applicabantur fideles cultui divino ſecundum illam legem: ergo in re non erant Chriſtiani per aliquem caracterem in anima impreſſum,nec per vſum exteriorum rerũ ſecundum cultum religionis Chriſtianæ; ſed ad verum ſtatum religioſum evangelicum conſtituendum,illum profitentes debent prius eſſe ordinati per caracterem in anima impreſſum ad ritum religionis evangelicæ inſtitutum per paſsionem Chriſti Domini: ergo illi fideles veteris teſtamenti licèt aliquomodo Chriſtiani fuerint,& appellari poſsint,veri religioſi evangelici non fuerunt,nec eſſe potuerunt,ſiquidem non erant propriè, & in re chriſtiani ſecundum ritum chriſtianæ,& evangelicæ religionis.

188 Confirmatur,quia fideles veteris teſtamenti tantum poſſunt appellari Chriſtiani ex fide Chriſti futuri revelati quatenus erat in apprehenſione animæ,qua fide ordinabantur ad cultum Dei per vſum exteriorum rerum ſecundum illam legẽ; ſed hoc non ſufficit vt in re conſtituerentur chriſtiani, & religioſi evangelici,quoad eſſentiam, & ſubſtantiam legis gratiæ; ergo in re non fuerunt chriſtiani, nec religioſi in ſtatu quoad eſſentiam evangelico: Maior probatur ex Div.Thoma 3. p. q. 62.art.6.ad 2. ibi: *Dicendum,quod illa ſanctificatio erat figuralis: per hoc enim ſanctificare videbantur, quod applicabantur cultui divino, ſecũdum ritum veteris legis,qui totus ordinabatur ad figurandum paſsionem Chriſti.* Minor probatur ex eodem Angelico Magiſtro ibidem in corpore: *Nil autem prohibet id, quod eſt poſterius tempore,antequam ſit, movere ſecundum quod præcedet in actu animæ, ſicut finis, qui eſt poſterior tempore movet agentem ſecundum quod eſt apprehenſus, & deſideratus ab ipſo; ſed illud,quod non dum eſt in rerum natura, non movet ſecundum vſum exteriorum rerum: vnde cauſa efficiens non poteſt eſſe poſterior in eſſe, ordine durationis ſicut cauſa finalis*: ergo Chriſtus Dominus in apprehenſione illorum fidelium per fidem non conſtituit eos in re chriſtianos, quia cultus Dei per ritum religionis Chriſtianæ inchoavit per ſuam paſsionem,vt ſupra diximus ex eodem D.Thoma ibidem art. 5. in corp. Tum ſic: Status religioſus non poteſt eſſe quoad ſubſtantiam,& eſſentiam evangeli-

gelicus, niſi ordinet profitentes illum ad cultum Dei ſecundum ritum religionis Chriſtianæ per vſum exteriorum rerum legis gratiæ: ergo illi veteris teſtamenti iuſti ex fide Chriſti futuri, & apprehenſi non potuerunt eſſe veri religioſi evangelici in re, virtute, & veritate evangelij; ſed tantum figurativi, & vmbratici per cultum veteris legis, qui totus ordinabatur ad figurandum Paſsionem Chriſti, vt ſupra diximus ex D. Thoma. Ex dictis patet quomodo appellari poſsint religioſi, & Chriſti fideles antiqui Patres.

189 Tandem reſpondetur ex doctrina D. Ambroſij ſupra in hac 3. p. Diſc. 1. §. 1. quod illi veteris legis fideles, & iuſti, qui Chriſtum ſperabant, erant Chriſti, ſicut filij, & hæredes ſine re: ergo, & Chriſtiani ſine re, quia nec caracterem, nec ritum religionis Chriſtianę, nec Chriſtum præſentem, nec ius ad hæreditatem in ſanguine Chriſti tunc habebant.

190 Sanctus Pater Auguſtinus, qui Radio Divinę Sapientiæ illuſtratus, nihil ad Chriſtianæ fidei intelligentiam pertinens ſui accumine ingenij reliquit in tactum, etiam ad nomina deſcendit, & in vocibus latentia venena penetravit ſubtiliter, & vocabulorum abuſum damnavit, ne cum Iudęis Chriſtianiſmus confundatur in nomine Aſcellicus Epiſcopus propoſuit Auguſtino; an Iudęi converſi, & facti Chriſtiani poſſent ſpiritualiter Iudęi appellari in Chriſtianiſmo. Eo quod Iudæi filij Abrahami ex libera ſpiritualiter præfigurabant Chriſtianos quibus facta fuit ſpiritualis repromiſsio, quos *in re* Chriſtianos nuncupant Salmanticenſes in illa lege, & Epiſtola 200. Multa ſubtiliter, & divinitùs diſputat Sanctus Pater Auguſtinus circa differentiam vtriuſque legis, ex doctrina D. Pauli, & primum diſcrimen inter Iudęos, & Chriſtianos *in re* oſtendit, ibi: *Nonnè mirabilia magna ſunt iſta, profundumque myſterium, vt multi ex Iſrael non nati, ſi vt Iſrael, & multi non ſint filij cum ſint ſemen Abrahæ? Quomodo enim non ſunt, Quomodo nos ſummus, niſi quia non ſunt filij promiſsionis ad Chriſti gratiam pertinentes, ſed filij carnis nomen innane geſtantes? Ac per hoc nec illi ſunt Iſrael, ſicut ſummus; nec nos ſummus Iſrael, ſicut ſunt illi; nos enim ſummus ſecundum ſpiritalem regenerationem, illi ſecundum carnalem generationem; intuendum eſt quippè, ac diſcernendum alium eſſe Iſrael, qui propter carnem nomen accepit, alium vero, qui propter ſpiritum* rem, *quæ illo nomine ſignificatur obtinuit.*

191 Paulò poſt ad vocabulum, ſeù nomen deſcendens; ait Sanctus Doctor, ibi: *Ecce quemadmodum ſummus Iſrael adoptione divina, non humana cognatione gloriantes, nec in manifeſto, ſed in occulto, nec*

littera, ſed ſpiritu, nec carnis, ſed cordis circumciſione Iudæi, quæ cum ita, ſe habeant, non tamen debemus conſuetudinem ſermonis humani, inepta loquacitate confundere, & in rebus diſcernendis frequentata vocabula perturbata ſignificatione miſcere, vt eos, qui Chriſtiani ſunt, & appellatione vſitatiſsima Chriſtiani vocantur, inuſitato vocabulo aliquis affectet appellare Iudæos: vel cum ſit ipſe voce vtrque Chriſtianus Iſraelitæ potius nomine delectetur, & quod in myſterio debet ſemper intelligere parcius autem ore proferre, hoc in quotidiana loquendi conſuetudine magis eligat frequentare inepta inſolentia; & ſi dici poteſt imperita ſcientia. Numquid enim Apoſtoli, per quos ea didicimus; iſta neſciebant: Quomodo nos potius ſimus ſemen Abrahæ ſecundum Iſaac promiſsionis hæredes, & Iudæi ſpiritu, non littera, cordis circumciſione, non carne; & non ſecundum carnem Iſrael: ſed Iſrael Dei? Sciebãt vtique iſta multo ſapientius, certiuſque quã nos, & tamen in loquendi conſuetudine Iudæos, & Iſraelitas eos appellabant, qui ſecundum carnem de Abrahæ ſtirpe venientes ab omnibus vocitabantur hoc nomine. Sanctus P. Auguſtinus ſubtiliter docet quare Iudęi non fuerunt Chriſtiani in re licèt Chriſtianos ſpiritualiter ſignificarent, & præfigurarent: & qua ratione non ſunt appellandi Chriſtianis, qui in veteri lege circumcidebantur: & ſufficit, quod Apoſtoli, qui ſapientius, & certius quam nos Dei ſpiritum in vtroque teſtamento intellexerunt, & iuſtos veteris legis Patres commendarunt, numquam eos Chriſtianos dixerunt, nec Sancti Patres Eccleſiæ perturbata ſignificatione vocabuli Iudæos veteris legis *in re* docuerunt fuiſſe Chriſtianos, nec Chriſtianos nuncuparunt.

§. VI.

Proponitur tertium argumentum cum ſuis ſolutionibus, & impugnatur.

192 Tertio arguitur pro noſtra ſententia; ad ſtatus religioſi prædicti ſubſtantiam, neceſſariò requiritur votum obedientiæ; ſed Elias, qui celeberrimus inter Monachos veteris teſtamenti fuit, non fecit votum obedientiæ, nec habuit Superiorem cui illam promitteret: ergo. Confirmatur, quia ad prædictum ſtatum requiritur traditio perſonæ profitentis, & eodem modo aliqua acceptatio ex parte Superioris; ſed nullus apparet in veteri teſtamento, qui poteſtatem habuerit acceptandi vota, & religioſorum traditiones: ergo. Ad argumentum reſpondent æqualiter impugnari ſtatum religioſum in Antonio, Benedicto, & alijs, de quibus conſtat verè fuiſſe Monachos, & cum fuerint primi Superiores non videntur habuiſſe

buiſſe Superiorem, cui obedientiam promiſſerint.

193 Sed dictum Salmanticenſium evidenter eſt falſum; nam nullus poteſt eſſe Monachus in ſtatu proprio religioſo evangelico ſine his tribus votis, & quolibet deficiente, nõ erit proprius ſtatus religioſus, ſed Analogicus, & improprius, vt docent ipſi Salmanticenſes vbi ſupra de Ordinibus Militaribus: ergo ſi Antonius, & Benedictus fuerunt propriè veri Monachi votũ obedientiæ emiſſerunt, quod eſt præcipuum fundamentum huius ſtatus, vt docet D.Thom.Opuſc.19.cap. 11. Confirmatur; nam ſtatus religioſus iam fuerat inſtitutus à Chriſto Dño, & ab Apoſtolis per vniverſum mundum prædicatus, & ab Eccleſia receptus cum his tribus votis, & conſilijs, quam inſtitutionem non ignorabant Antonius, & Benedictus: ergo ſecundum prædicationem Apoſtolicam, & Chriſti inſtitutionem vota emiſſerunt.

194 Nec valet dicere: quod primi Superiores fuerunt; & non habebant Superiorem, cui obedientiam promitterent; quia tempore Antonij, & Benedicti religiones, & Monachatus ſubijciebantur Epiſcopis, & eis obedientiam præſtabant Prælati, nũquam enim defuit in Chriſti Eccleſia Superior, cui obedientiam præſtarent Monachi, & religioſi legis gratiæ. Occurrunt Salmãticenſes: quod etiam in veteri lege erat Summus Sacerdos, cui obedientiam præſtare potuit Elias; Sed hoc effugium invincibilibus laborat difficultatibus. Primò, quia argumentum procedit de facto, & nos de fide habemus, quod Pontifex legis gratię hanc habet poteſtatem, & ſolutio eſt de poſsibili, & non cõſtat, an Pontifex veteris legis habuerit hanc poteſtatem ſpiritualem acceptandi vota, & traditionem religioſorum ſecundũ legem gratiæ. Secundò, quia non conſtat, an revelata fuerit Sũmo illi Sacerdoti veteris legis inſtitutio veri ſtatus religioſi evãgelici Eliani. Tertiò; quia tota poteſtas Summi Sacerdotis erat ad ordinandum illum populum ad cultum Dei ſecundum illam legem, ritum, & cęremonias illius, & non habebat poteſtatem in ordine ad ſtatus in ſubſtantia, & eſſentia evangelicos. Quartò; quia ſi Elias emiſiſſet votum obedientiæ Summo Sacerdoti, vt in vero ſtatu religioſo quoad ſubſtantiam evangelico conſtitueretur, deberet obedientiam promittere propter regnũ Cęlorum promiſſum in evangelio, & ex profeſsione Eliæ revelarentur Pontifici, & omni populo regnum Cęlorum, & præmia æterna, quod negant Patres laudatis laudati 1.p.Diſc.1. §. 3. & præcipuè D.Ioannes Chryſoſt.Homil.66.recepta, & approbata ab Eccleſia in Officio S.Iacobi Apoſtoli die Octavæ, quæ in Hiſ-

pania recitatur, de ipſis Apoſtolis cum Chriſto Dño degentibus ait ibi: *Non enim de ſublimi Sede illa, quæ ad dexteram patris eſt, aliquid cicbant, qui vel multo inferiora, quæ quotidiè auribus eorum conculcabãtur non percipiebant.* Hęc D. Chryſoſt. Quomodo ergo ante Chriſti Dñi adventum Monachi illi circumciſi regnum Cęlorum, & præmia ęterna ſcirent, vt vota emitterent, quæ Dño vivente, & docente ignorabant Apoſtoli vſque ad mortẽ, & paſsionẽ eius.

195. Aliud effugium proponitur à Salmanticenſibus, nè his opprimantur anguſtijs. Sufficere dicunt ad ſubſtantiam ſtatus religioſi exercitiũ obedientiæ in præparatione animi, ſivè quod aliquis promittat Deo obedire Prælato legitimè præcipienti, & quod peraccidens eſt, quod talis Prælatus non detur. Sed hoc non ſufficit, & ſibi ipſis videntur contrarij Salmanticenſes; nam in hoc tractatu 20. dub. 1. vota, donationem, & acceptationẽ mediante religione, vel Superiore neceſſariã eſſe ad ſtatum religioſum docent; quia ſtatus firmitatem, & immobilitatem neceſſariò importat ex D. Thoma, & cõmuni omnium ſententia, & ſine voto obedientiæ, mediante aliquo Superiore, qui vota acceptaret, promittens ſui iuris permaneret, vt docent idẽ Salmanticenſes dub. 1. citato n. 10. ergo illa præparatio animæ ad obediendum Superiori non ſufficeret ad ſtatum religioſum cõſtituendum ſine acceptatione Prælati. Tum etiam; nam ſtatus religioſus conſtituitur in ordine ad Eccleſiam per ſigna ſenſibilia, & exteriora; ſed promiſsio facta Deo in præparatione animi obediendi non eſt ſenſibilis, nec fit per ſigna externa: ergo non eſt ſufficiens ad conſtituendum verum ſtatum religioſum immobilem in ſenſibilitate Eccleſiæ. Tum etiam; quia eodem modo requiritur votum obedientię, quo votum caſtitatis, & paupertatis; ſed præparatio animi ad ſervandum caſtitatem, & paupertatem non poſſunt conſtituere promittentem in ſtatu religioſo: ergo obedientia in præparatione animi non potuit conſtituere Eliam in ſtatu vero religioſo.

196. Contra hanc infalibilem doctrinam opponunt Salmanticenſes teſtimonium Angelici Magiſtri ex 2.2. q. 188. art. 8. ad 2. ibi: *Dicendum, quod actu obedire eſt neceſſarium his, qui indigent exerceri ſecundum directionem aliorum ad perfectionem capiendam; ſed illi, qui iam perfecti ſunt, & ſpiritu Dei ſufficienter aguntur, vt non indigeãt actu alijs obedire, habent tamen obedientiã in præparatione animi.* Quod optimè congruit Elię, vt aſſerunt, qui ſanctiſsimus fuit, & valdè ſolitarius, & promptiſsimam ſemper habuit voluntatẽ ad obediendũ; & annumerant actus, quibus Elias Deo præcipienti obedivit.

Sed

197 Sed hoc teſtimonium D. Thomæ contrarium Salmanticenſium doctrinæ ſupponit, vt ex titulo articuli evidenter colligitur, in quo proponit, ibi: *Vtrùm perfectior ſit religio in Societate viventium, quam agentium ſolitariam vitam.* In quæſt. præcedenti 187. tria vota eſſentialia eſſe ad religionem conſtituendam docuerat, & præſertim votum obedientiæ art. 5. in quæſtione citata de differentijs ſtatus religioſi, vel religionum diſputat: ergo in ea quæſt. & art. 8. ſupponit religionem voto obedientiæ conſtitutam, & ſuppoſito voto, ad maiorem perfectionem præparationem animi ſufficere docet cum alijs ibi in corpore art. aſsignatis; quod probat D. Hieronymi Patris noſtri teſtimonio: ergo ex D. Thoma illa præparatio animi ex voto debet eſſe, vt profitentem in ſtatu perfectiori ſolitudinis conſtituat. Hanc doctrinam recognoſcunt ipſi Patres Salmanticenſes in diſputat. 1. dub. 3. num. 3. in hoc tractatu, vbi ex loco Div. Thomæ citato pro concluſione ſtatuunt, non requiri ad ſtatum religioſum eſſentialiter, quod religioſi vivant in communitate, quia ſtatus religioſus eſſentialiter conſideratus conſiſtit in tribus votis cum traditione, & acceptatione, quæ ſalvari poſſunt independenter à vita communi: ergo vita communis non requiritur ad eſſentiam ſtatus religioſi: Hæc Salmanticenſes ibi, ſupponentes neceſsitatem votorum ex D. Thoma: ergo ad vitam ſolitariam perfectiorem, vita communi in Societate, votum ſupponit emiſſum Angelicus Doctor, vt animi præparatio ad obediendum ſufficiat ad ſtatum magis perfectum, alias ſimplices Eremitæ; qui in præparatione animi obedientiam, paupertatem, & caſtitatem in vita ſolitaria haberent, ex propoſito, non ſolum in vero ſtatu religioſo eſſent, ſed in ſtatu perfectiori vita Cœnibitica in ſocietate viventium.

198 Ad confirmationem reſpondent: quod Elias, qui Dei iuſſu Eliſeum vocavit ad diſciplinam propheticam habuit poteſtatem acceptandi traditionem ex votis, illamque acceptavit, vt ſupponunt conſtare ex dictis num. 66. Sed in hac ſolutione, ſeù effugio ſtatum religioſum cum diſciplina prophetica confundunt, niſi vellint Salmanticenſes, Monachos illos veteris teſtamenti profeſsione ſtatus religioſi, fuiſſe Prophetas, & in diſcipulatu Eliæ idem eſſe religioſus, ac Propheta, vt in Hiſtoria prophetica edit. 1. anno 1630. lib. 2. cap. 1. n. 8. Si vero diſciplina Prophetica, vel Prophetæ à religioſis diſtinguebantur, iuſſus Dei, quo Elias vocavit Eliſeum ad vitam propheticam, imper-

tinens eſt ad poteſtatem acceptandi vota, & traditionem; num multi extiterunt Prophetę in veteri teſtamento, qui religioſi nõ fuerunt, vt conſtat, & ad vitam propheticam, id eſt, ad prophetizandum non requiritur acceptatio Superioris, ſed lumen ſuperius. Dicere, quod omnes religioſi inſtituti Eliani Prophetæ erant, ridiculum eſt, & fundamento caret: Si vero Patres Salmanticenſes vocationem ad diſciplinam propheticam, & vitã religioſam eamdem intelligant, idem eſt, ac dicere, quod Dei iuſſu Monachatum inſtituit Elias; hoc prohibuit aſſerere vltimum Sanctæ Inquiſitionis Decretum: In numero 66. vbi hanc poteſtatem vota acceptandi probare dicunt, minimè eam probant, ſed vmbram tantum votorum, votaque emitti poſſunt purè ſimplicia, ſine aliqua acceptatione, quam poteſtatem in Sancto Propheta Elia adhùc deſideratur in Patribus Salmanticenſibus.

199 Pluſquam falſum etiam eſt; quod hîc num. 101. aſſerunt Salmanticenſes, quod ſi Eccleſia modo non contradiceret, poſſet vnus Eremita alteri Eremitæ laico obedientiam promittere, & alter poſſet illius vota, & traditionem nomine Dei acceptare, quod ſufficeret ad ſtatum religioſum ſecundum eſſentiam conſideratum; nam contra eſt, quod ſupra Diſc. 1. §. 7. ex Fagnano, quod vota neceſſariò debent emitti in aliqua religione, vt ſtatum religioſum conſtituant, quæ quidem conditio indiſpenſabilis eſt à Papa, quia alias ille, qui vota emitteret, & obedientiam pręſtaret laico, ſæcularis perſeveraret, & nulla Eccleſiaſtica poteſtate poſſet ad vota coerceri, nec laicus poteſtatem habet ad conſtituendum ſtatum religioſum Eccleſiaſticum: ergo ille promittens vota eſſet religioſus, & Sæcularis, quod implicat vero ſtatui religioſo.

200 Ex difficultate votorum, aliud ſibi proponunt Salmanticenſes argumentum, ſeù cõfirmationem; quia vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ ſunt de re valdè difficili, & ſuperante veteris legis imperfectionem, & nõ eſt credibile, quod vota in illa lege aliqui numcupaverint abſque ſpeciali Dei revelatione; ſed de hac revelatione non conſtat: ergo: Reſpondent: quod prędicta difficultas votorum ſuperari potuit, & de facto fuit ſuperata per gratiam, quæ illis dabatur in veteri teſtamento, mediante fide in Chriſtum Redemptorem, ſicut eadem gratia vicerunt alias difficultates, cuiuſmodi eſt ſuperare Martyrium.

Hęc

201 Hæc ſolutio inſubſiſtens eſt,quia argumentum non procedit ex difficultate votorum præciſè, ſed ex difficultate in illa lege imperfecta,quę non iuvabat,nec gratiam conferebat, nec in illa fuerunt inſtituta media, ſeù inſtrumenta ad perfectionem acquirendam,& difficultates ſuperandas, vt in lege gratiæ; quia in illa lege manuducebatur populus per bona tẽporalia promiſſa,& timore pęnarum: itaque ex ipſa lege terrena promittente difficiliora redderentur vota de abdicandis terrenis,ipſaque privatione ex votis,& promiſsione legis augeretur concupiſcentia circa prohibita ex votis, & ad ſuperandam concupiſcentiam lex non conferret gratiam,ac perconſequens vota potius damnationem,& mortem occaſionaliter inducerent, quam perfectionem iuxta dicta ex D.Thoma 2.p.Diſc.5. §.6.7.& in hoc Diſcurſu §.1.

202 Vlteriùs reſpondetur: Quod conſilia evangelica, & vota Religioſa,in quibus conſiſtit abnegatio ſui ipſius cum renuntiatione temporalium,nova ſunt præcepta in Eccleſia à Chriſto Domino inſtituta,& data,vt ſæpè diximus, & probavimus ex Sanctis Patribus,& ex officijs Breviarij Romani: & hic apponimus aliud teſtimonium D.Greg.Magni,approbatum, & receptum ab Eccleſia in ſecundis lectionibus pro vno Martyre, vbi expreſsè,& clarè dicitur,quòd abnegatio ſui ipſius,& renũtiatio rerum temporalium ſunt nova præcepta,vel mandata à Chriſto Domino Redemptore noſtro data,& propoſita, quæ ante redemptionem non erant cognita à veteri homine: ſic legitur in homil.in Matthæum cap.16.ad illa verba:Si quis vult venire poſt me,&c. in tertio Nocturno,ibi: *Quia Dominus,ac Redemptor noſter, novus homo venit in mundum, nova præcepta dedit mundo*: Et quæ fuerint hæc nova præcepta,explicat lect.2. ibi: *Certè cùm ſe ſequentibus nova mandata proponeret, dixit: Niſi quis renuntiaverit omnibus,quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Ac ſi apertè dicat: Qui per vitam veterem, aliena concupiſcitis, per novæ converſationis ſtudium,& veſtra largimini.* Hæc Sancta Mater Eccleſia ex Magno Gregorio: ergo conſilia evangelica, in quibus abnegatio ſui ipſius cum temporalium abdicatione,nova ſunt in Eccleſia, & à Chriſto Domino propoſita,& data in evangelio, & veteri homini ante redemptionem,non fuerunt data, imò nec cognita in veteri lege: & notandum eſt, quòd in hoc Dogmatè conveniunt Quatuor Doctores Latini,D.Greg.Magnus hic:D. Ambroſius laudatus in hac 3.p.Diſc.1.§.2.D.Auguſtinus in hac

3.p. Diſc.1.§.4.& infra Diſc.4.§.5.& 1.p.Diſc.2. §. 4. & ibidẽ Maximus Doctor S.P.N.Hieronymus: Dogma igitur eſt Quatuor Eccleſiæ Doctorum, cum quibus etiam conveniunt Doctores Græci, præcipuè D.Baſilius in Homilia in feſto eiuſdem Doctoris; & D.Ioannes Chryſoſtomus in Homilia in feſto D. Barnabæ, in quibus etiam approbat Eccleſia nova eſſe conſilia evangelica à Chriſto Domino data, & inſtituta, & novum prœliandi genus in paupertate ex conſilijs: ergo novum eſt, & cõtra Doctores Eccleſiæ, & doctrinam ab Eccleſia approbatam, aſſertum Salmanticenſium, quòd ex gratia data in veteri lege, cognoverunt conſilia Iuſti veteris legis, difficultates ſuperarunt, & vota emiſſerunt in vero ſtatu religioſo veteris teſtamenti.

203 Nec valet dicere: quod ex gratia per fidem in Chriſtum ſuperarent difficultates votorum: Nam gratia ex fide cõmunicabatur perſonis ſecundum imperfectionem illius legis, & ſtatum generis humani corrupti per peccatum Adami iuxta doctrinam D.Ioannis Chryſoſtomi receptam, & approbatam ab Eccleſia in Officio S.Iacobi Maioris, vt infra, Diſc.2. §. 3. & ibidem §. 4. in quibus dicitur, quod Domino cum eis vivente ante mortem eius, & paſsionem adhùc imperfecti erant, regnũ cœlorum non intelligebant, nec Crucis myſteria, nec difficilia legis gratiæ fuerunt eis propoſita, quia ex lege veteri carnales erant: quomodo ergo poteſt credi, & defendi quod diſcipulis Eliæ in veteri fuit data gratia ad ſuperandas difficultates, & credenda myſteria, quæ diſcipulis Chriſti, ante mortem eius redemptionem à peccato Adami non fuit conceſſa ſub lege cũ Chriſto degentibus, & illum prædicantem audientibus? in nova autem lege ex ipſa lege conſilia proponente datur gratia adiuvans, & alia Sacramenta, & inſtrumenta gratiæ conſummatæ ad ſuperandas difficultates, & concupiſcentiam reprimẽdam: itaque ex gratia per fidem in Chriſtum futurum impertinens eſt argumentum ad ſtatum religioſum ex votis in illa lege.

204 Differentiam gratiæ iuſtorum veteris, & novæ legis quoad effectus illius in ſtatu ſervitutis, & libertatis legis gratiæ ſubtilitèr, & profundè explicat Sapientiſsimus Magiſter Soto Primarius Doctor Salmanticenſis in 4.diſt.2.p.1.quæſt.1. art.4.circa finem, ibi: *Illa ergo hic prætermiſſa quòd gratia illorum ſæculorum ad completum, abſolutum, perfectumque gradum gratiæ, non pertigerit,*

tigerit, argumentum eſt, quòd amici, illi quidem ſunt, quibus ea omnia ſunt communia, in quibus ius amicitiæ fundatur: ea vero, in quibus amicitia inter Deum, & homines fundamentum habet, ſunt illa cœleſtia ſempiternæ vitæ: illa autem, ante Chriſtum paſſum, nemini Deus conceſsit: ergo homines illorum temporum non erant in gratia Dei abſoluta, & conſummata. Profectò ſi quis ob crimen aliquod læ æ maieſtatis ſuis eſſet multatus bonis, quamvis poſteà veniam Principis obtineret, quovſque illum in integrum honorem, & ſtatum priſtinum reſtitueret, non diceretur in eius amicitiam perfectam reconciliatus, ſed potiùs ſemper eſſe in debito, ac ſubinde in depoſito ſervari quovſquè pretium illius patrati ſceleris, alius pro illo perſolveret. Hoc autem exemplo ait Paul. Rom. 3. Chriſtum remiſſionem præcedentium delictorum ſuo ſanguine feciſſe, eorum, ſcilicèt, omnium hominum, qui illucuſquè fuerant in ſuſtentatione Dei. Ergo quovſquè Chriſtus, gratiam redemptionis, ex qua illi pendebant, meruit, fecitque in Cruce, non erant in perfecta gratia Dei. Hæc inſignis Theologus; ſed conſilia legis gratiæ ſunt perfectorum, amicorum, & ſtatus religioſus ſubſtantialitèr evangelicus ſupponit ſtatum verę, & perfectæ amicitiæ, inſtitutum, & conſtitutum à lege gratiæ, & perfectam reconciliationem in ſanguine Chriſti: ergo conſilia evangelica, & legis libertatis, non fuerunt data iuſtis illis veteris legis nondùm redemptis & liberis, nec amicis Dei perfectis.

205 Intollerabile eſt novum Salmanticenſium aſſertum in ſolutione argumenti, ſcilicèt, quod fides communis illius legis fuit ſufficiens, vt in illa lege vota emitterentur in vero ſtatu religioſo ſubſtantialiter evangelico: quia vt ſupra diximus ex D. Thoma pauca fuerunt revelata in veteri lege, quæ humanam inquiſitionem excederent, & de ſtatu fidei veteris teſtamenti diximus 1.p. Diſc. 1.§.4. & alibi. Tum etiam; quia Patres Salmanticenſes cum ſuo Hiſtorico prophetico defendũt, quod ad hunc ſtatum religioſum ſubſtantialiter evangelicum, vt vota emitterentur in illo, revelata fuit Chriſti exemplaritas, vita evangelica, virginitas Deiparæ ex ſacro voto, ſpiritus legis gratiæ, manifeſtus: fuit etiam ſtatus iuſtitiæ, perfectionis, & filiationis, regnumque cęlorum cum promiſsionibus æternis; ſed affirmare quod hæc fuerunt revelata in veteri lege ex fide communi illius temporis, eſt manifeſtus Pelagianiſmus impugnatus, & damnatus à Doctore Maximo, & delatus à Div. Auguſtino Summo Pontifici Innocentio I. & ab eodem Sancto Doctore contra Fauſtum convictus, & damnatus, vt Manichæorum error: ergo evangelicis conſilijs, & in ſpiritu, & veritate evangelij,

lij, ſtatum verum religioſum in veteri lege inſtitutum ab Elia defendere ex communi fide illius legis, Pelagianis, & Fauſtinis favet, & Manichęis, quia eſſent revelata Iudæis ex fide communi myſteria legis gratiæ, regnum cœlorum, datus ſpiritus evangelij, & veritas illius in ſtatu illo Eliano: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, vt infert D. Auguſtinus contra Pelagium ſupra 1. p. Diſc. 1. §. 3. & 4. in quibus ex Sanctis Patribus Chryſoſtomo, Hieronymo, Auguſtino, Aquinate, & ex Officijs Eccleſiaſticis demonſtratum fuit, quod regnum Cœlorum non fuit revelatum in illo veteri teſtamento.

206 Addunt; quod, ſi talem revelationem neceſſariam fuiſſe admittant, dicent: quod exiſtentia eius conſtat ex ipſo effectu, ſtatu videlicèt verè, & quoad ſubſtantiam religioſo, quia illum fuiſſe in veteri teſtamento poſitivè affirmant plures, & graves teſtes. Sed ex hac ſolutione, & antecedenti manifeſtè convincitur, quod Salmanticenſes adhùc ignorant primum principium ſuæ ſententiæ, & trepidant in revelatione ſtatus religioſi; & dubitant an neceſſaria, vel non neceſſaria fuerit ſpecialis revelatio, & ſtatum religioſum probant per revelationem, vel inſpirationem Eliæ; revelationem, vel inſpirationem per ſtatum religioſum; revelatio non reperitur in Sacris Scripturis, neque in Patribus. Status religioſus verus quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicus veteris teſtamenti novus eſt, & ſæculo præterito mundo apparuit. Patres antiqui eum non cognoverunt; ſecundum doctrinam Div. Auguſtini in Iudęa, vita communis religioſa vſque ad deſcenſum Spiritus Sancti non fuit audita: ergo aliqua nova authentica revelatio facti eſt neceſſaria, vt revelatio illa ſpecialis ſubſiſtere poſsit.

§. VII.

§. VII.

Proponuntur motiva Salmanticenſium,& encrvantur.

207 PRimum arguunt pro ſua ſententia: In eo ſtatu datur aliquod conſtitutum, in quo dantur omnia principia conſtitutiva illius; ſed in veteri teſtamento fuerunt omnia principia conſtitutiva ſtatus religioſi, quoad eſſentiam: ergo: Minorem probant; nam dantur tria ſimplicia vota, caſtitatis, paupertatis,& obedientię cum aliqua traditione; atqui hæc conſtituunt ſtatum religioſum quoad eſſentiam: ergo:Maiorem probant ex dictis dub.2.dub. 3. dub. 4. & 5. Huic argumento etiam ex dictis reſpondetur per totam hanc 3. partem controverſiæ: quod Patres Salmanticenſes nullo modo probant vota hæc ſimplicia,nec traditionem in veteri teſtamento; ſed tantum quod aliquomodo fuerunt obſervatæ aliquæ virtutes conſiliorum in veteri lege; & quod vota non extiterunt in ea evidenter convincitur ex doctrina SS. PP. iudicent viri docti,& cordati fundamenta vtriuſque opinionis. Secundo reſpondetur: quod licèt ſimplicia vota admitterentur in veteri lege in aliquibus iuſtis, ſtatum, ex eis ſimpliciter emiſsis non probaretur; quia non fuerunt emiſſa in aliqua religione approbata à poteſtatem habente illam approbandi,vt conſtat ex dictis. Tertiò,inſufficientia,& inutilia eſſent illa vota, quomodocumque emitterenter, ad conſtituendum verum ſtatum religioſum,quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicum; ſed tantum conſtituerunt ſtatum vmbraticum, & figurativum ſecundum illam legem; quod, vt meliùs percipiatur,conſiderandum eſt,& diſtinguendum,quid haberet ille ſtatus per vota in veteri lege emiſſa per fidem in Chriſtum futurum, & promiſſum; & quid nunc habet per fidem Chriſti præſentis Crucifixi, mortui,& paſsi in lege gratiæ; quod optimè explicuit Angelicus Magiſter 1.2.q.107.art.2.in corp.ibi: *In veteri autem lege duo poſſunt conſiderari, ſcilicèt, finis, & præcepta: contenta in lege. Finis vero cuiuslibet legis eſt, vt homines efficiantur iuſti,& virtuoſi,vt ſupra dictum eſt: vndè,& finis veteris legis erat iuſtificatio hominum,quam quidem lex efficere non poterat; ſed figurabat quibuſdam cæremonialibus factis,& promittebat verbis,& quantum ad hoc lex nova implet veterem, iuſtificando per virtutem Paſsionis Chriſti,& hoc eſt, quod Apoſtolus di-*

cit ad Romanos 9. quod impoſsibile erat legi; Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati damnavit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis. Hęc D. Thomas: Supponamus ergo in veteri lege vota ſimplicia, (quæ negamus) cum fine illius legis, qui iuſtificatio hominum erat vt in ea iuſti, & perfecti efficerētur; quod in illa lege efficere vota non poterant ex ipſa lege: ergo ſicut præcep ta veteris legis ſolum præfigurabant quibuſdam cęremonialibus factis, promittebant verbis perfectionem legis gratię, & conſtituebant ſtatum fidelium figurativum tantum, & vmbraticum; vota illa quomodocumque emitterentur in illa lege, eſſent cæremonialia quædam, quæ factis figurabant, & verbis promittebant perfectionem ſubſtantialem, & eſſentialem ſtatus religioſi novi teſtamenti, & ſtatum conſtituerent religioſum, vmbraticum, & figurativum, & nullomodo quoad ſubſtantiam, & eſſentiam evangelicum: ergo diſcurſus Salmanticenſium, adhùc admiſsis votis, non prodeſt quidquam ad ſuum intentum.

208 Tandem reſpondetur: quod conſilia in ſubiecto apto, proportionato, & connaturali faciunt conſtitutum, in ſubiecto inepto repugnanti effectui non conſtituunt, nec tribuunt ſuum effectum formalem, ſicut ſcientia in lapide non faceret ſcientificum: itaque lex illa figurativa incapax erat veritatis, quam repræſentabat, ſicut imago, vitæ; & ſtatus ſervitutis fidelium ante redemptionem generis humani erat incapax recipiendi virtutem, & veritatem, & ſpiritum evangelij antequam removeretur impedimentum peccati; & ideò conſilia evangelica non fuerunt data ſecundum doctrinam D. Thomæ, & Sanctorum Patrum, quæ, ſi darentur, conſtituerent ſtatum religioſum ſpecialis ſervitutis in illa lege, & ex incapacitate ſubiecti non eſſet verus, nec ſubſtantialiter evangelicus, nec eiuſdem rationis cum ſtatu religioſo Chriſtiano, quia deficerēt in illis conſilijs, & votis gratia ex lege, virtus, & veritas evangelij, in quibus conſiſtit eſſentia, & ſubſtantia ſtatus evangelici; & eſſent illa vota cæremonię quædam vacuæ, ſicut alię legis gratiæ.

209 Argumentum prędictum confirmant, & occurrere dicunt invincibili difficultati, quam effugium appellant: vt vota Monaſtica ſtatum conſtituant, requiritur, quod concurrant in eodem ſubiecto; ſed Elias, Eliſeus, & filij Prophetarum non ſeorſim, & diviſive, ſed ſimul obſervarunt virtutes conſiliorum

ex voto: ergo: Minorem non probant, ſed conſtare aſſerunt ex dictis num. 25. 31. 44. & 45. Sed ad hoc argumentum etiam facilis eſt ſolutio ex dictis; quod non ſufficit, vt emittens conſtituatur in vero ſtatu religioſo, quod tria hæc vota ſimul, & coniunctim emittat; ſed indiſpenſabiliter requiritur, quod illa emittat in aliqua religione approbata, vel inſtituto confirmato à poteſtatem habente. Hanc approbationem, & confirmationem ſtatus religioſi Eliani in veteri teſtamento non reperimus, nec à Patribus Eccleſiæ audivimus, neque eam Patres Salmanticenſes probant: ergo votis, quæ abſolutè negamus, coniunctim admiſsis, verum ſtatus religioſus non probatur in veteri teſtamento.

210 Cęterùm, probationes ex numeris citatis nullæ ſunt, quia ex Patribus ibi laudatis, tantum obſervantia aliquorum conſiliorum diviſivè conſtat, & quamvis coniunctim ſimulque in aliquo ſubiecto obſervantia perpetua omnium conſiliorum inveniretur, votum non inde probatur, vt ex multis ſupra oſtendimus ex Angelico Doctore, & in hac 3. p. Diſc. 1. §. 5. ergo ex obſervantia perpetua virtutum, quas laudant Patres in Elia, Eliſeo, & alijs veteris teſtamenti, non licèt inferrè votum, quia votum quamplurimum differt perfectione à propoſito, elevatque virtutes ad altiorem gradum, & propria voluntas cum eis conſecratur Deo. Eſt etiam quid facti diſtinctum à propoſito, quod probari debet per fide digna teſtimonia, vel inferre ex legitimis principijs; nam ſi hæc argumentatio ex obſervantia virtutum ad votum teneret; omnes virtutes iuſtorum poſſent dici ex voto, quod nullus hucuſque dixit, nec dicere poteſt.

Ad ea, quæ ex Eſſenis referunt, ſatis conſtat ex dictis 2. p. Diſc. 1. §. 2.

§. VIII.

§. VIII.

Alia proponuntur argumenta, & præcipuè deſumpta ex exemplaritate Eliæ.

211 ARguunt ex SS. PP. teſtimonijs, qui Sanctum Prophetam Eliam proponunt, vt exemplum Monachis legis gratiæ, & ſic in forma procedunt: exemplar in eo quod exemplar eſt, debet eſſe æqualis ad minus perfectionis cum exemplato; ſed Elias proponitur à Sanctis Patribus, vt exemplar Monachis legis gratiæ, quantum ad perfectionem ſubſtantialem religioſi ſtatus: ergo: Conſequentia patet: Maior autem eſt D. Thomæ quæſt. 8. de verit. art. 8. & lib. 3. contra Gentes, cap. 19. & facilè (vt aſſerunt) oſtenditur, quia exemplatum in eo, quod tale, imitatur exemplar, indeque, ſuam perfectionem quaſi tranſcribit, nullus autem imitatur id, quod imperfectius eſt; & addunt doctrinam celebertimi Magiſtri Ioannis à Sancto Thoma in 3. p. q. 24. diſp. 20. art. 2. vbi docet: quòd nulla ratio communis exemplari, & exemplato eſt propria in exemplato, & impropria exemplari; atqui Elias fuit exemplar Monachorum legis gratiæ: ergo verus Monachus, & religioſus: & laudant Patres Eliam vt exemplum Monachis proponentes.

212 Hoc argumento ſimulate Salmanticenſes contra vltimum Sanctę Inquiſitionis decretum procedunt, in quo Sanctæ Inquiſitionis Tribunal prohibet aſſerere, quod Monachatus veteris legis fuit perfectius, quia omnem perfectionem à Chriſto Domino accepiſſe ibi declarat, & ſine perfectione legis gratiæ permittit aſſerere extitiſſe Monachatum in veteri lege; ſed argumento Salmanticenſium neceſſariò concluditur ex præmiſſis, quod ille Monachatus veteris legis fuit æqual s ad minus perfectionis cũ Monachatu legis gratiæ: ergo concludit, quod decretum Sanctę Inquiſitionis affirmare prohibuit: Maior conſtat in Decreto Sancti Officij: Minor probatur, quia ſecundum Salmanticenſes, exemplar in eo, quod exemplar eſt, debet eſſe æqualis ad minus perfectionis cum exemplato, & ratio communis exemplari, & exemplato non poteſt eſſe propria exemplato, & impropria exemplari; ſed Elias, vt aſſerunt, fuit exemplar Monachorum legis gratiæ: ergo Elias fuit in ſtatu

tu religioſo, & in Monachatu æqualis ad minus perfectionis cum ſtatu religioſo, & Monachatu legis gratiæ: Hoc ergo argumento contra prædictum decretum procedunt; ſicut procederet contra decreta Pontificia, qui debitum proximum, vel remotum contrahendi peccatum originale in Deipara defendere, & probare proponeret, & argumentis actualem contractionem probaret: ergo hoc argumento nihil probant, quia nimis probant. Cautè etiam legendi ſunt Salmanticenſes; quia in teſtimonijs SS. PP. referendis parum fideliter procedunt. Nullus ex Sanctis Patribus, qui hic laudatur, Sanctum Prophetam Eliam vt exemplar proponit Monachis legis gratiæ, ſed in exemplum, & aliud eſt exemplar philoſophicè, vel theologicè, aliud exemplum rethoricum; nam ad verum philoſophicum exemplar, quod verè cauſa exemplaris ſit, ea requiruntur, quæ à Salmanticenſibus ex D. Thoma aſsignantur; ad exemplum vero ſufficit ſimilitudo, & Analogia aliqua in his, quæ comparantur, & ſæpè videmus, quod diverſi ſtatus, immo, & religionis ad exemplum proponuntur religioſis ſtatibus, patetque, in illis veteris teſtamenti Pontificibus, & Sacerdotibus, qui paſsim à Sanctis Patribus, & Doctoribus proponuntur in exemplum Pontificibus, & Sacerdotibus legis gratiæ.

213 Hic notare oportet: quod Patres Salmanticenſes ad ſtatum ſuum religioſum propugnandum num. 87. in hoc §. 3. advertunt: quod in rebus facti ſivè ad hiſtoriam pertinentibus parum favent ingenij argutiæ; ſed ſtare oportet fidelium teſtiũ dictis iuxta communem, & ſinceram verborum ſignificationẽ, quia alioquin nil firmum in Hiſtoria reperietur, quod labefactari non poſsit, per diſtinctiones: *propriè, impropriè, abſolutè, ſecundum quid*, & alias ſimiles: Placeat etiam, hanc regulam ſervare Patribus Salmanticenſibus in proprio, & ſincero ſenſu verba Sanctorum Patrum intelligere, & tot diſtinctiones Monachatus, & ſtatus religioſi noviter adinventas, & Sanctis Patribus ignotas ab hac controverſia excludere, & ex antiquis Patribus, & Doctoribus, nullum erit teſtimonium ex productis, quod in proprio ſenſu, & ſecundum proprietatem verborum verum ſtatum religioſum à veteri lege non excludat, & in Chriſto Domino incæpiſſe apertè non doceat; nullumque ex productis ab ipſis Salmanticenſibus vota, & ſtatum religioſum in veteri teſtamento probabit, ſecluſis ingenij argutijs, & novis adinventis diſtinctionibus, quibus in hac controverſia Salmanticenſes abutuntur. Si-

214 Simili argumento arguunt ſecundo: vt aliquis dicatur Dux, Author, & Inſtitutor in aliquo vivendi modo, opus eſt vt eumdem modum formaliter, aut eminenter habeat; ſed Elias appellatur à Sanctis Patribus Dux, Author, & Inſtitutor Monachorum: ergo fuit verus Monachus, & religioſus quoad eſſentiam, & ſubſtantiam: Minorem probant ex Parenti noſtro Hieronymo, Iſidoro, Caſiano, Bernardo, & alij.

215 Ad hoc argumentum patet ex dictis ſupra in hac 2.p.Diſc.6.§.3.& 4.quia Sancti Patres, & Doctores tempus veteris, & novæ legis diſtinguentes Authores, & Inſtitutores Monachatus etiam diſtinguunt, quod manifeſtè conſtat ex Parenti noſtro Hieronymo, qui Eliam, Eliſeum, & filios Prophetarũ veteris teſtamenti appellat Monachos Epiſt. 13. quod eſt idem ac figurativos appellare; verum Monachatum, qui in abdicatione rerum temporalium conſiſtit, in veteri teſtamento non fuiſſe auditum expreſsè docet, vt patet in teſtimonio adducto 1.p.Diſc.2.§.4.& alibi.

216 Nec nos terret inſulſus ille ſyllogiſmus: D. Hieronymus dicit Principem ſui inſtituti eſſe Eliam, ſed hic non fuit verè Monachus: ergo nec Hieronymus: nam Doctor Maximus, Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, & Macharios, qui omnes veri evangelici Monachi fuere, primos ſui propoſiti ſivè inſtituti Principes deſignavit: ergo veritas Monachatus D. Hieronymi, non pendet à Monachatu veteris teſtamenti Eliano: deinde advertendum eſt, quod Patres Salmanticenſes in hoc argumento etiam perfectum Monachatum legis gratiæ in veteri teſtamento concludunt, vel eminenter, vel formaliter in Elia, vt patet ex dictis ad primum argumentum. Tandem Div. Hieronymus iuxta annotationem Mariani debet intelligi, qui in Schol. ad Epiſt. 3. notat ibi: *Monachorum autem duplex erat genus, Hieronymi tempore, hoc eſt eorum qui in ſolitudinem aliquam, aut deſertum ſoli ſecedentes, Anachoretæ propterea ſunt appellati, & eorum, qui communi victu, & oratione communiter in Monaſterio aliquo plures degebant.* Et in prima acceptione Monachos, & Monachorum Princeps appellat Eliam, & Eliſeum, & alios veteris legis, quia in aliquam ſolitudinem, aut deſertum ſecedebant.

217 Ex ſimilitudine, & conformitate vitę inter Eliam, & Baptiſtam etiam conficiunt argumentum: Elias, & Ioannes Baptiſta eumdem profeſſi ſunt vivendi modum; ſed B. Ioannes fuit vere, & proprie Monachus quoad ſubſtantiam ſtatus religioſi:

gioſi: ergo,& Elias: ad probationem maioris,& minoris multa referunt teſtimonia SS.Pp.& Doctorum Ioannem Eliæ ſimilem prędicantium.

218 Ad hoc argumentum poſſumus reſpondere,quod Patres Benedictini Caſinenſes ad probandam antiquitatem Monachatus,ſupra ſtatum Clericalem, in celeberrima lite contra Canonicos Lateranenſes ſupra præcedentiam. Monachatum Eliæ,Eliſei,& Ioannis Baptiſtæ propoſuerunt Sacræ Romanę Rotæ,Sacriſque Cardinalium Congregationibus, & Summo Pontifici;& Scipio Lanzelotus Sacrę Aulæ Advocatus Conſiſtorialis coram omnibus negavit Eliam,& alios veteris teſtamenti Ioannemque Baptiſtam veros fuiſſe Monachos cum votis,ſed ſimplices Eremitæ,vitamque ſolitariam tenētes, & quāvis Monachi appellentur,vota non emiſſerunt,vt patet de Paulo primo Eremita capite Perlatum 19. quæſt. 3. de Machario Can.ſcripſit 27.quæſt.2.ibi Gloſſa: *Quod Eremita non eſt perſona religioſa,niſi ſpecialiter ſe voveat alicui religioni.* Et tamen Paulus, & Macharius Monachi appellantur,& inter Monachos antiquos numerantur à SS.PP.ergo ex appellatione Monachi,& Monachatu Eliæ,nullum firmum,immo nec probabile argumentum fieri poteſt ad Monachatum,& ſtatum religioſum verū quoad ſubſtantiam,& eſſentiam evangelicum votis, & conſilijs conſtitutum in veteri lege.

219 Similitudo,vel conformitas vitæ inter Eliam,& Præcurſorem in modo vivendi minus favet, quamvis concedatur Ioannem Baptiſtam fuiſſe verum Monachum evangelicum; quia modus poteſt eſſe ſimilis,& ſtatus diſtinctus; nam ad ſimilitudinem in modo vivendi ſufficit imitatio virtutum cum propoſito,& ad ſtatum requiritur profeſsio cum votis: Elias vitam egit ſolitariam in paupertate,& caſtitate ex divina inſpiratione,ſed extra ſtatum;quia vota non emiſerat, vt de virginitate docet D.Thom.ſupra citatus: Ioannes vero Baptiſta, quia iam obſervatio conſiliorum inceperat in B.Virgine,& ſimul currebant lex,& evangelium,cuius doctrina, & opera præparatoria erant ad Chriſtum,probabilius eſt,quod vota emiſerit in ſtatu perfectionis inchoato in Deipara,ChriſtoDño approbante,cuius familiari converſatione fruitus fuit antequam in Eremum intraret.Ad verum ſtatum religioſum cum votis Eliæ, in veteri teſtamento nullum reperitur fundamentum, nec aliqua congruentia illum facit probabilem: immo potiùs imperfectio il-

hus legis, & ſtatus ſervitutis illius populi excludit verum ſtatum religioſum, quoad ſubſtantiam evangelicum ante Dñum noſtrũ Ieſum Chriſtum, & Mariam Matrem eius. Nec illationes Salmanticenſium vim aliquam habent, quia Doctores moderni verum Ioannis Baptiſtæ Monachatum non inferunt præciſſe ex vita ſolitaria, quam non ignorant ſine votis amplecti poſſe; ſed verum Monachum fuiſſe Præcurſorem inferunt ex propinquitate ad Chriſtum, ex prçſentia Salvatoris, ex inchoatione obſervantiæ conſiliorum in virgine, ex eo, quod ſimul currebant lex, & evangelium, & quod perfectiori revelatione cognovit myſteria fidei, Sacramenta ſalutis, & ſtatus Eccleſiæ, vt docet D.Thomas 2.2.quæſt.1.art.7.per totum.

220 Debilior eſt repetitus Salmanticenſium diſcurſus, ſcilicèt, cum aliquod factum refertur, intelligendum eſt accidiſſe ſicut per ſe loquendo, & connaturaliter fieri poſtulat, niſi contrarium certo conſtet; ſed vita Monaſtica connaturalius ſervatur cum votis: ergo Elias, & alij ſolitarij veteris teſtamenti vota emiſſerunt.

221 In via D.Thomæ facilis eſt ſolutio; nam certo conſtat in Angelico Doctore, quod conſilia perfectionis non fuerunt data in veteri teſtamento, & quod eorum obſervantia aliquomodo fuit inchoata in Deipara Domina noſtra; idem conſtat ex Patribus, & Doctoribus per totam hanc controverſiam laudatis: conſtat etiam; quod plurima ſunt revelata ad faciliùs, & connaturalius virtutes exercendas, & finem legis acquirẽdum, quæ in veteri teſtamento non fuerunt data, & ſtatui illius populi, & legis repugnarent. Peccant etiam Salmanticenſes in arguendo, ex novo ad vetus teſtamentum, vt ſępè diximus.

222 Ad illud, quod numero 94. addunt: quod Ioannes Baptiſta vixit inter Eſſenos, & eorum vitam, & inſtitutum amplexatus eſt, licèt aliqui neotherici ex ipſis Carmelitis id referant, falſum eſt, & contra SS.PP. communem ſententiam, qui nullum hominum vidiſſe Ioannem teſtantur poſt ſeceſſum in Eremum; ita ſenſiſſe etiam Eccleſia videtur in Hymno eiuſdem Præcurſoris, in quo canit: *Nè levi poſſes maculare vitam crimine linguæ.* Et vita Eſſenorum maculata fuit erroribus, & vitijs, quibus à Sanctis Patribus criminantur, vt ſupra 2.p.Diſc.1.§.3. & in hac 3.p.Diſc.1.§.6.ex D.Ioan.Chryſ.

()(·§·)()

DIS-

DISCURSUS QUARTUS.

De probabilitate Sententiæ Salmanticenſium, ſeù Reſtrictus totius controverſiæ.

§. I.

Proponuntur principia, quibus non fit probabilis ſententia Salmanticenſium.

223 LOngè probabiliorem ſuam affirmativam ſentẽtiam exiſtimant Salmanticenſes: ſed quia maior probabilitas, ex pondere rationum, & menſura fundamentorum, ex numero teſtimoniorum, & qualitate teſtium eſt iudicanda, viris doctis relinquitur examinandum quæ ſit abſolutè probabilior ſententia; & de probabilitate reſpectiva, ſivè de incomprobabilitate cum aliquibus principijs, ſeù ſententijs vltimus diſcurſus erit; & primum de his, quibus non fit probabilis ſtatus verus religioſus cum conſilijs in veteri lege ſubſtantialiter evangelicus, in ſpiritu, & veritate legis gratiæ inſtitutus vt defenditur à Salmantic.

224 Primò non fit probabilis ſententia Salmanticenſium, teſtimonijs Sanctorum Patrum, & Doctorum, in quibus laudatur Monachatus Eliç, & Eliſei, & aliorum veteris legis, quorum virtutes commendantur à Sanctis Patribus: patet; quia ſi aliquis Rabbinus, vt probaret, verum fuiſſe Sacerdotium veteris legis cum virtute, perfectione, & veritate legis gratiæ, accumularet omnia teſtimonia Sanctorum, in quibus laudant illud Sacerdotium, vt inſtitutum à Deo in illa lege, & Sacerdotes commendant ex eorum virtutibus, prçcipuè ex illis, quæ ad miniſterium illud Sacerdotale pertinebant: nullus Catholicus affirmare audebit, quod ex his teſtimonijs probabile fit ſententia Rabbini in lege gratiæ, ſcilicèt, quod Sacerdotium illud fuit verum in veritate evangelica, & ſubſtantiam, & eſſentiam Sacerdotij evangelij habebat in illa lege, quia Sancti Patres, & Doctores iuxta differentiam temporum, & legum ſunt intelligendi: ergo ex Patribus, & Doctoribus laudantibus Monachatum

Eliæ,& Eliſei in veteri lege,non ſit probabile,quod ille Monachatus fuerit verus veritate evangelica,& in ſpiritu legis gratię inſtitutus propter eamdem differentiam temporum,& legum. Ex quibus nullus diceret, quod Sacerdotium illius legis eſſet eiuſdem rationis cum Chriſtiano;ac perconſequens, nec Monachatus veteris legis licèt commendetur à Sanctis Patribus.

225 Secundo: non ſit probabilis ſententia Salmanticenſium,ex eo,quod ille Monachatus veteris legis tantum eſſentialem,& ſubſtantialem perfectionem Monachatus legis gratiæ habuiſſe dicatur; non vero conſummatam perfectionem;nam: ſi aliquis Pſeudo-Apoſtolorum ſectæ adhærens diceret, quod lex vetus perfecta erat,bonaque eius mandata, ſacrificiaque illius vera;ſed meliora eſſe ſacrificia legis gratiæ,& ipſa lex gratię conſummatè perfecta,quia illa vetera ſacrificia, & lex ſpiritum,& veritatem evangelij continebant eſſentialem,& ſubſtãtialem ex meritis Chriſti futuri; hac doctrina nova non fieret probabile,quod lex vetus fuit abſolutè,& ſubſtantialiter perfecta,bonaque eius mandata bonitate evangelica,& ſacrificia illa vera ex meritis Chriſti futuri; quia merita Chriſti futuri non perficiebant legem, nec ſacrificia per fidem fidelium; ſed eorũ animas,nec ſtatus illius populi erat evangelicus ex fide in Chriſtum futurum; ſed ſervitutis: ergo ſtatus religioſus verè evangelicus ſubſtantialiter ex meritis Chriſti futuri per fidem non ſit probabilis in ſpiritu legis gratiæ in veteri lege inſtitutus eſſentialiter perfectus,licèt non conſummate perfectus eiuſdem rationis cum Chriſtiano.

226 Tertio: non ſit probabilis ſententia Salmanticenſium ex ſanctitate,iuſtitia,& perfectione iuſtorum veteris legis, quia hoc argumento vtuntur Rabbini ad probandum legem veterem fuiſſe perfectam,vt conſtat 2.p.Diſc.5.§.7.& ſi dicant Salmanticenſes,quod Rabbini intendebant probare, quod ex ſe lex illa erat conſummate perfecta,non enervant vim argumenti in hæreſi Pſeudo-Apoſtolorum,qui minus perfectam,ſeù eſſentialiter tantum perfectam,ſeù bonam dicebant veterem legem ex iuſtificationibus ſuis per fidem in Chriſtum venturum & ex mirabilibus in ea factis,& ex perfectione iuſtorum: ergo argumentum ex perſonis iuſtis perfectis ex meritis Chriſti futuri per fidem,nullam probabilitatem affert ſententiæ Salmanticenſium,& Rabbinis Pſeudo-Apoſtoliſque favet.

Quar-

127 Quarto: non ſit probabilis ſententia Salmanticenſium ex eo, quod exemplaritas Chriſti fuerit revelata Monachis Elianis, & Monialibus in inſtitutione illius ſtatus, & virginitas futuræ Deiparæ ex voto, & in hac exemplaritate cognoverunt vitam Chriſti, ſpiritum legis gratiæ, & myſteria redemptionis, & regnum Cœlorum, vt vota emitterent ex fide communi in Chriſtum futurum; quia hoc argumento vtebantur Manichæus, Fauſtus, & Pelagius dicentes, quod Chriſtus futurus explicitè fuit revelatus Iudæis ex fide communi illius legis, myſteria Eccleſiæ manifeſta, ſenſus ſpiritualis ſcripturarum apertus, & regnum Cœlorum promiſſum per fidem in Chriſtum futurum, & ex meritis illius: ergo hac novitate non ſit probabilè aſſertum Salmanticenſium: vt oſtenditur 1.p. Diſc. 4.§.3.4.

228 Quinto: non ſit probabilis ſententia Salmanticenſium illo argumento ex cognitione virtutis, & excellentiæ voti: patet in lege gratiæ, in qua luce pleniore fidei cognoſcuntur virtutes, & votorum excellentia, & multi virtutes ſervant in gradu heroico ſine voto; favet etiam Deus ſanctis propoſitis, & ad obſervantiam virtutum conſiliorum etiam ſine voto adiuvat, vt in hac 3.p. Diſc.1.§.5. ex D.Thom. oſtenditur.

229 Sexto: ex Bullis Pontificijs, & Officijs Eccleſiaſticis à Sede Apoſtolica approbatis ſententia, vt proponitur à Salmāticenſibus, & defenditur non ſit probabilis; quia nulla Bulla oſtenditur vera, & ſine ſuſpitione falſitatis, in qua Summus Pōtifex declaret, & affirmet in parte diſpoſitiva, quod Elias inſtituit verum Monachatum in veteri lege; licèt in aliquibus in narrativa inveniatur à ſupplicante relatum, quod in Carmelo hanc religionem Carmelitanam inſtituit, & in his narrativis non dicitur, quod inſtitutio Eliæ fuit in ſpiritu, & veritate legis gratiæ, & quod ille ſtatus, ſeù Monachatus veteris legis fuit eiuſdem rationis cum Monachatu Chriſtiano, vt dicitur à Salmanticenſibus: Hæc maximæ gravitatis ſunt, & niſi expreſsè confirmentur, nec debent exiſtimari in verbis generalibus propoſita, & annuntiata, nec à Summis Pontificibus confirmata, & adhùc expectatur Sedis Apoſtolicæ iudicium. Officia Eccleſiaſtica magnam habent authoritatem, ſed iuxta animadverſionem Melchioris Cano de locis lib. 11. cap. 5. propè finem ibi: *Primum in maximo illi errore verſantur, qui rerum geſtarum memorias tanquam Eccleſiæ oracula accipiunt, ſi eas in Epiſtolis, & decretis ſuis Pō-*

tifices aliquando vſurparint. Non eſt idem, mihi crede, hiſtoriæ approbatio, & vſurpatio. Vtitur quidem interdum Pontifex, ſi quicquam ſuadere cupit, receptis opinionibus, ſententiis, rebuſque vulgatis: at non continuò quæcunque in hunc vſum attulerit, ea Sedis Apoſtolicæ iudicio probat. Et in nullo Officio Carmelitano reperitur approbatum, quod Elias instituit Monachatum verum in veritate evangelica, &c. ſpiritu legis gratiæ ſubſtantialiter evangelicum cum votis, quod ſubſtantialiter, & eſſentialiter ſenſum ſententiæ, & propoſitionis mutat.

230 Septimo: prædicta ſententia vt ponitur à Salmanticenſibus non ſit probabilis ex vltimo decreto Sancti Officij die 25. Februarij 1673. quia Salmanticenſes aſſerunt, quod Monachatus veteris legis fuit verus veritate evangelica, & in ſpiritu legis, & ſubſtantialiter evangelicus eiuſdem rationis cum vero Monachatu Chriſtiano; ſed huiuſmodi Monachatus non continetur in permiſsione Decreti, immo videtur affirmari contra decretum: ergo non ſit probabilis ex decreto, vt contendunt Salmanticenſes. Verba Decreti ſunt ibi: *Como ſe declare, que no avia ſido el Monacato de la ley eſcrita con la ſolemnidad, perfeccion, ni con la poteſtad de llaves, que en la ley de gracia; porque deſte en toda ſu perfeccion el Autor, y Inſtituidor fue nueſtro Señor Jeſu-Chriſto, y del de la ley eſcrita cauſa final, exemplar, y meritoria.* Id eſt, declarãdo, quod Monachatus veteris legis non fuerat cum ſolemnitate, & perfectione, nec cum poteſtate clavium, ſicut in lege gratiæ, quia huius Monacharus in omni ſua perfectione Author, & Inſtitutor fuit Redemptor noſter Ieſus Chriſtus, & Monachatus legis ſcriptæ cauſa finalis, & meritoria. Et præcipit quod non imprimatur: quod fuit inſtitutus expreſſo Dei mandato, ſed ex inſpiratione divina.

231 In hoc iuſto ſanctoque decreto duę continentur propoſitiones affirmativæ, vna permiſſa, & altera prohibita. Permiſſa eſt: in veteri lege fuit Monachatus ſine ſolemnitate perfectione, & poteſtate clavium, cuius cauſa finalis, & meritoria fuit Chriſtus Dominus futurus. Prohibita eſt: in veteri lege fuit Monachatus cum omnimoda perfectione, quam modo habet ex Chriſto Domino Authore, & Inſtitutore præſenti, & paſſo, cuius cauſa finalis meritoria exemplaris, & efficiens fuit Dominus noſter Ieſus Chriſtus in lege gratiæ; ſed virtus, veritas, & gratia, & ſpiritus evangelij dantur in nova lege per Chriſtum Dominum pręſentem, & paſſum, & ſunt effectus meritorum

Paſsio-

Paſsionis Chriſti ſecundum doctrinam Apoſtoli: ergo ſecundùm ipſum decrêtum non permittitur aſſerere, quod Monachatus veteris legis haberet veritatem, virtutem, & ſpiritum legis gratiæ; quod fuit verus in veritate evangelica, & eiuſdem rationis cum Monachatu evangelico Chriſtiano, vt proponitur & defenditur à Salmanticenſibus in hac diſputatione.

232 Duplici etiam propoſitione explicatur: Hæc propoſitio vera, & Catholica eſt, ſcilicèt, in veteri lege fuit Pontificatus ſine ſolemnitate, & perfectione, & ſine poteſtate clavium, & ſine evangelica veritate, cuius cauſa finalis, & meritoria fuit Chriſtus futurus, revelatus Moyſi in exemplari, quod fuit manifeſtatum in monte. Alia propoſitio, ſcilicèt, in veteri lege fuit verus Pontificatus in veritate evangelica in ſpiritu legis gratiæ inſtitutus ſubſtantialiter, & eſſentialiter evangelicus, & eiuſdem rationis cum Pontificatu evangelico Chriſtiano, licèt non ęquè bonus, & perfectus; videtur propoſitio pſeudo-Apoſtolorum, Manichæi, Fauſti, & Pelagij: ergo ex decreto permittente Monachatum in veteri lege, verum non explicatè, & ſine perfectione, ſolemnitate, & poteſtate clavium, & ſine illa perfectione, quam nunc habet ex Chriſto Authore, & Inſtitutore ex eius meritis mortui, & paſsi, non fit probabilis Monachatus veteris legis, vt propugnatur à Salmanticenſibus, ſcilicèt, verus veritate evangelica ſubſtantialiter, & eſſentialiter evangelicus eiuſdẽ eſſentiæ, & ſubſtantiæ, & rationis cum Monachatu Chriſtiano, licèt non cum omnimoda, & conſummata perfectione legis gratiæ. Idem dicebant pſeudo-Apoſtoli de lege veteri, & illius miniſterijs, contra quos ſcripſit, diſputavit, & convincit, & canonicè defendit D. Paulus in Epiſtolis ad Corinthios, Galatas, & Hebræos, veterem legem fuiſſe imperfectam, miniſteria illius figurativa, & vmbratica, mortis & damnationis, vt demonſtratum fuit ſupra 2. p. Diſc. 5. §. 6. & 7. & Diſc. 6. §. 1. & 2.

233 Tum etiam: Monachatus ille veteris legis iuxta decretum permittitur ſine ſolemnitate ex divina inſpiratione inſtitutus; ſed ſic permiſſus non eſſet Monachatus in ſtatu evãgelico ſubſtantialiter, & eſſentialiter: ergo decretum non favet novitati Salmanticenſium: Minor probatur, quia duplex eſt ſolemnitas in ſtatu religioſo evangelico: Vna ex lege gratię, quæ hunc ſtatum divina authoritate propoſuit, conſulit, & perfectiorem demonſtrat ad conſequendum finem divinæ legis: & altera Eccleſiaſtica circa modum emittendi vota, quæ poſteà

adinventa eſt ab Eccleſia, & hæc ſolemnitas accidentalis eſt profeſsioni ſtatus; in veteri lege ex decreto non haberet ſolemnitatem ex publica revelatione, nec ſolemnitatem ex lege gratię, nec ſolemnitatem ex inſtitutione Eccleſiæ: ergo non eſſet Monachatus in vero ſtatu. Patet ex D. Thoma in Matth. cap. 19. ibi: *Omnis ſtatus cum ſolemnitate datur.* Et ibidem: *Vnde perfectionem poteſt habere ſecundum actum, ſed non ſtatum, quia non datur ſtatus ſine ſolemnitate.* Ille Monachatus permittitur in Decreto, in quo non dicitur verus, ex inſpiratione divina interna ſine ſolemnitate publicæ revelationis ex aliqua lege populo illi propoſita, & ſine ſolemnitate adinventa ab Eccleſia: ergo Monachi illi non eſſent in ſtatu Monaſtico religioſo eiuſdem rationis cum Monachatu Chriſtiano; ſed eſſent Monachi in actu per obſervantiam virtutum, ſicut ſolitarij & Eremitæ; non vero in vero eſſent ſtatu religioſo evangelico ſubſtantialiter, quia ſtatus evangelicus ſine aliqua lege, vel ſolemnitate evangelica conſtitui non poteſt.

234 Vrgetur amplius: Pontificatus veteris legis fuit inſtitutus ex Chriſti exemplari revelato Moyſi in monte, & cum ſolemnitate illius legis, & ex mandato Dei expreſſo propoſitus populo illi, & in eo Pontificatu fuerunt Pontifices iuſti, perfecti, & ſancti per fidem in Chriſtum futurum Authorem Inſtitutorem Pontificatus legis gratiæ, & licèt poſsit dici abſolutè: in veteri lege fuit Pontificatus; non licèt affirmare: in veteri lege fuit verus Pontificatus in veritate evangelica ſpiritu legis gratiæ inſtitutus, ſubſtantialiter evangelicus, & eiuſdem rationis cũ Pontificatu evangelico Chriſtiano, licèt non conſummata perfectione, vt aſſerebant pſeudo-Apoſtoli miſcentes legalia cum evangelio: ergo ex decreto permittente in veteri lege Monachatum abſolutè; non fit probabilis verus Monachatus in ſtatu vero religioſo in veritate, & ſpiritu legis gratiæ ſubſtantialiter evangelicus eiuſdem rationis cum Monachatu evãgelico Chriſtiano; ſed Monachatus figurativus, & vmbraticus, ſicut fuit Pontificatus illius legis, licèt ex publica revelatione, & Dei expreſſo mandato inſtitutus ex exemplari Chriſti Moyſi in monte revelato, quia nec lex illa, nec decretum Sancti Officij permittunt ante redemptionem generis humani & mortem Chriſti verum ſtatum evangelicum in veteri lege, in quo miſcerentur evangelica cum legalibus ante Chriſti adventum.

§. II.

§. II.

Indicantur Sedis Apoſtolicæ teſtimonia, & Officia Eccleſiaſtica cum quibus non eſt comprobabilis prædictus verus Monaſticus ſtatus veteris legis.

235 EXpoſitis principijs, ex quibus aſſertum Salmanticenſium non ſit probabilè; expedit alia principia, ſeù teſtimonia indicare, cum quibus non eſt comprobabilis verus ille ſtatus religioſus cum votis evangelicis veteris legis, vt propugnatur à Salmanticenſibus: & primum illa teſtimonia, quæ Pontificiam, ſeù Eccleſiæ habent authoritatem, cum quibus directè, vel per immed atam conſequētiam pugnant aſſerta Carmelitana; ad cuius pleniorem intelligentiam ſupponendum eſt, primo: quod omnibus notum eſt: quod contenta, vel relata in Bullis, ſeù decretis Pontificijs, quæ ſunt in narrativa ſupplicantis non habent Pontificiam authoritatem: illa vero, quæ ſunt in declarativa, ſeù diſpoſitiva Pontificis, authoritate Apoſtolica gaudent. Nullam hucuſque Bullam huiuſmodi, oſtēderunt Salmanticenſes, quæ ſine ſuſpitione recepta ſit in Eccleſia. Secundò circa officia Eccleſiaſtica notanda eſt doctrina Melchioris Cano ſuprà relata, & eſt etiam notandum: quod officia Eccleſiaſtica quoad hiſtorias in eis contentas approbantur permiſsivè, vt recitari poſsint in aliqua Provincia, vel Regno, vel Civitate, vel Monaſterio; & alia approbantur poſsitivè, & præceptivè pro vniverſali Eccleſia præcipiendo Summus Pontifex, quod ab omnibus Eccleſiaſticis publicè, & privatim recitentur per vniverſum orbem, & quod in Breviario Romano inſerantur. Prima officia habent authoritatem Sedis Apoſtolicæ quaſi negativè, vel permiſsivè. Secunda habent poſitivam authoritatem Sedis Apoſtolicæ, & conſenſum omnium Eccleſiarum, quæ ſine dubitatione illa officia recipiunt, & recitant. Tertiò notandum eſt, quod hæc approbatio, vel eſt circa aliquā hiſtoriam humanam alicuius religionis, vel Eccleſiæ particularis, vel Regni, vel vitæ alicuius ſancti; vel approbat aliquam homiliam, vel ſermonem alicuius Doctoris Eccleſiæ vt ponantur in Breviario Romano ad expoſitionem Sacræ Scripturæ, & evangelij, vel ad intelligentiam myſteriorum, vel ad doctrinam, & inſtruendos fideles in fide, & moribus. Approbatio hiſtoriæ,

quia eſt facti, pendet à veritate teſtium, & nititur falibilibus teſtimonijs humanis. Approbatio Homiliæ, vel ſermonis ad expoſitionem Sacrę Scripturæ, vel ad mores, pertinet ad ius divinum ex electione ipſius Eccleſiæ; & licèt doctrina Sanctorum Patrum, & Doctorum ex Sermonibus, & Homilijs approbatis à Sede Apoſtolica, & poſitis in Breviario Romano ex certa ſciētia, motu proprio, & propoſitis recitandis Eccleſiæ vniverſali, nón ſit de fide infalibili certa, & maximæ authoritatis, qu a authoritas illius Sancti Doctoris roboratur, aut confirmatur, & approbatur à Sancta Sede, & proponitur vt vera, & ſecura omnibus Eccleſijs, & fidelibus Chriſtianis; & ideò pluſquam temerarium erit negare doctrinam Sanctorum Patrum, quæ expreſsè approbatur in Breviario Romano.

236 His ſuppoſitis: in celeberrima lite inter Canonicos Lateranenſes, & Monachos Caſinenſes ſupra præcedentiam: Monachi Caſinenſes præcedentiam prætendebant inter alia ex antiquitate ſtatus; & allegarunt quod ſtatus Monaſticus antiquior erat ſtatu Canonicali, & Clericali, & in Rota Romana in Sacris Congregationibus Cardinalium à Sanctiſsimo Dño noſtro ad hanc litem ſpecialiter deputatis, vt maiorem antiquitatem probarent in ſtatu Monaſtico, exordium ab Elia, & continuationem in veteri lege per Eliſeum eiſdem teſtimonijs, quibus vtuntur Salmanticenſes, allegarunt in ſuis ſcripturis iuris, vt conſtat apud Tamburinum ſupra citat. 2. p. Diſc. 7. §. 2. & his viſis, & auditis in Rota, & in Sacris Congregationibus Cardinalium, fuit declarata præcedentia pro Canonicis, & ſtatu Canonicali, quia antiquiores, & digniores erant: ergo ſtatus Monaſticus veteris legis non fuit exiſtimatus verus in Rota, & Sacris Congregationibus, ac novitas Salmanticenſium opponitur his deciſionibus Sacræ Rotę, & Sacræ Cōgregationis decretis. Tādē Pius IV. motu proprio, & ex certa ſciētia, partibus auditis, & viſis Procuratorum allegationibus, declaravit Canonicos, quia antiquiores, & digniores debere præcedere Monachis: ergo Summus Pontifex ex certa ſcientia, & motu proprio declaravit, & diffinivit ſtatum Canonicalem, & Clericalem antiquiorem eſſe ſtatu Monaſtico. Non eſt igitur comprobabile aſſertum Salmanticenſium cum hac Pontificia declaratione ex motu proprio, & certa ſcientia. Breve Pij IV. & allegationes inveniuntur apud Tamburinum ſupra citatum 2. p. Diſc. 7. §. 1.

237 Eſt aliud ſolidiſsimum fundamentum ad probandum,

dum,quod Sedes Apoſtolica, & Eccleſia Romana numquam cognovit,nec hodie cognoſcit Monachatum illum verum Elianum veteris legis; quia aſſerunt Salmanticenſes,& omnes eiuſdem familiæ Scriptores,quod Elias inſtituit hunc ſtatum in ſubſtantia,& eſſentia Evangelicum,& quod Elias ante evangelium fuit evangelicus,& ante Chriſtum Chriſtianus in hoc ſtatu evāgelico, ad quem iuſſu expreſſo Dei, vt aſſerunt novíſsimi Salmanticenſes, vocavit Eliſeum poſt ſe,qui in eodem ſpiritu ſucceſsit in prima dignitate Eliæ,& quod numquam defecit hæc dignitas prima in ſtatu religioſo Eliano vſque ad præſentem Generalem : vnde hæc dignitas inſtituta in veteri lege ab Elia evangelico,& in vero ſtatu evangelico à ſuo exordio eſſet evāgelica,ac perconſequens eſſet Generalatus Carmelitanus primus Prælatus Eccleſiaſticus evangelicus omnibus Generalibus ordinum antiquitate præſtantior,& licèt poteſtate inferior, & dignitate; tamen in ſpiritu legis gratię eſſet prima tempore, & antiquior dignitas evangelica vera in veritate legis gratiæ ipſo Summo Pontificatu,& Chriſti Vicario, ac perconſequens deberet præcedere omnibus Generalibus Religionum in Capella Pontificia ratione primæ dignitatis Monachalis tamquam Succeſſor Eliæ,& Eliſei,& Ioannis Baptiſtę in Generalatu: at in Capela Pontificia in qua caput Eccleſiæ ſedet, ordine Hierarchico ſervato,& ſtatus omnis Eccleſiæ,& membra proprium actum, & locum habent ratione dignitatis,& temporis ſuę inſtitutionis, Generalis Carmelitanus ſedet poſt Generales omnes Monaſticos, ſeù Monachales,immo, & poſt Generales Ordinum Mendicantium S.Dominici,& S. Franciſci, & orta lite ſuper præcedentiam Generalium Ordinum in Capella Pontificia, Magiſter Cæremoniarum declaravit; Baſilianum antiquiſsimũ eſſe omnium Monachorum, cui declarationi annuit Sanctiſsimus,& primus ſedet, vt ſupra oſtendimus 1.p.Diſc.7.§.2.ergo aſſerta Salmanticenſium de antiquitate ſui Ordinis, de inſtitutione Eliæ in vero ſtatu Monachali, de continuatione in vno capite ſucceſsivè ab Eliā vſque ad præſentes Generales,de idētitate religionis Carmelitanæ in Monachis circumciſis, & Chriſtianis in Ordine Carmelitano non ſunt comprobabilia cũ ordine præcedentiæ Capellæ Pontificiæ,in qua eſt prima regula præcedendi,& ſedendi iuxta ordinem dignitatis, & antiquitatis; quia ſi Generalatus Carmelitanus,vt aſſerunt, fuiſſet inſtitutus in vero Monachatu votis evangelicis, & in ſpiritu, &

veri-

veritate evangelij in circumciſsione,& fuiſſet primus baptizatus à Chriſto in Baptiſta,qui fuit huius ordinis primus Generalis in lege gratiæ, vt aſſerunt,ratione huius venerabilis antiquitatis ſederet primus omnium Generalium: non ſedet; ſed poſt omnes Monachales,& Mendicantes Dominicanos, y Franciſcanos: ergo antiquitas huius ſtatus Monaſtici veteris nec ius, nec locum habet in Capella Pontificis Romani: pro nihilo igitur exiſtimatur.

238 Sunt etiam aliqua officia in Breviario Romano, ſeù Hiſpano,cum quibus non eſt comprobabile aſſertum Salmanticenſium. Supponunt Salmanticenſes, quod maiora conſilia evangelica data fuerunt in veteri lege,vt Monachi, & Moniales vota emitterent propter regnum Cœlorum: non eſt comprobabile cum doctrina Eccleſiæ in Officio Omnium Sanctorum,in quo ex Sermone S.Auguſtini in Homilia dicitur, quod minora præcepta propter regnum terrenum data fuerunt in veteri teſtamento,& maiora propter regnum Cęlorum in novo: Expenditur 1.p.Diſc.1.§.4.Opponitur etiam Officio Dominicæ 2.poſt Epiph.in quo in Homilia eiuſdem D. Auguſtini lect.3.dicitur ibi:*Servaſti vinũ bonũ vſq; adhùc.Bonũ enim vinumChriſtus ſervavit vſque adhùc, id eſt, Evangelium ſuum*: ergo ante evangelium in nullo ſtatu hominum fuit ſpiritus evangelij,nec illius veritas,opponitur etiam doctrinæ ab Eccleſia approbatæ, & receptæ in offic.de vno Martyre,vt hic Diſc.3.§.6.

239 Votum paupertatis in abdicatione rerum temporalium non eſt comprobabile cum Officio S. Andreæ, in quo dicitur,quod B.Andreas diſcipulus Baptiſtæ, quem faciunt Monachum Elianum ſub Generalatu Baptiſtę, vſu,& actu retia tenebat, in Reſp.2.ad 1.Noct.& in Homil.ex D. Gregorio Magno; quod temporalia poſsidebat: vſu actu temporalia tenere, & poſsidere incomprobabile eſt cum voto evangelicæ paupertatis: expenditur 1.p.Diſc.2.§.1.Opponitur huic voto paupertatis veteris legis,Officium S.Barnabæ Apoſt.in quo, ac in Homilia D.Ioannis Chryſoſtomi dicitur,quod novus, & inſolitus modus præliandi in paupertate in Apoſtolis incępit, quod incomprobabilè eſt cum voto paupertatis Monachorum,& Monialium veteris legis: expenditur in hac 3.p.Diſc.1.§.4. & habetur in Breviario Romano die 11.Iunij.

240 Votum virginitatis,& caſtitatis in ſtatu incomprobabile eſt cum Officio S.Cęciliæ die 22.Nov.quia ſi in veteri lege

lege fuiſſet votum virginitatis,vel caſtitatis in ſtatu, virginitas habuiſſet cultum; ſed non habuit cultum in illa lege,vt patet in prædicto officio in Homil.citat.ad 3.Noct.lect.1.expenditur 1. p.Diſc.3.§.2. nec eſt comprobabile cum ſecundo Officio de communi virg.in quo in Homilia eiuſdem S. Ioannis Chryſoſtomi legitur expreſsè, quod conſilium virginitatis non fuit revelatum in veteri lege,& quod Chriſtus Dominus latenter perſuadebat Iudæis virginitatem eſſe poſsibilem : expenditur in hac 3.p.Diſc.1.§.3.Monaſterijs Virginum,& integris communitatibus veteris legis opponitur Officium primum de Cõmuni Virginum,in quo ad 2.Noct.legitur Sermo S. Ambroſij, & in eo,quod virginitas non facilè invenitur in terris,niſi poſtquam Dñs carnem ſumpſit ex Virgine: expenditur 1.p.Diſc.3. §.2. Exemplaritati voti virginitatis Deiparæ Dominę noſtræ revelatę Monachis,& Monialibus veteris teſtamenti,vt votum ſuum emitterent virginitatis ad imitationemDeiparę,& prima eſſet in dignitate opponitur Officium Octavæ Conceptionis B. Mariæ die 15.Decemb.in Homilia S.Ioannis Chryſoſt. in qua lect.3.legitur ibi: *Noluit Evangeliſta recenti adhùc tempore, novi illius admirandique partus Iudæis eſſe manifeſtum,quod Chriſtus natus fuiſſet ex Virgine. Neque enim propriùs noſter hic ſermo eſt, ſed a nobis de Patrum atque inſignium virorum traditione ſuſceptus.* Et reflectendum eſt, quod D.Matthæus evangelium ſcripſit poſt ChriſtiDomini miracula,poſt Reſurrectionem,& Aſcenſionem,& propter difficultatem tanti myſterij noluit recenti tempore manifeſtare,& revelare Iudæis,quod Chriſtus naſceretur ex Virgine cum quo incomprobabile eſt,quod tot ante ſæcula Monachis, & Monialibus revelatum fuit partus Virginis,& quod Chriſtus naſciturus erat ex Virgine Deo voto conſecratæ contra doctrinam receptam ab Eccleſia,quam D.Chryſoſtomus accepiſſe teſtatur de Patrum,atque inſignium virorum traditione.

241 Aſſerunt Patres Salmanticenſes: quod vita æterna, pręmia cęleſtia,& regnum Cęlorum revelata fuerunt in ſtatu illo Monaſtico evangelico,vt Monachi,& Moniales in veteri lege emitterent vota propter regnum cęlorum iuxta conſilia evangelica. Hoc aſſertum non eſt comprobabile cum Officio Omnium Sanctorum,in quo dicitur,quod in veteri lege data fuerunt minora præcepta propter regnum terrenum,& maiora in novo teſtamento propter regnum cęleſte. Minus comprobabile eſt cum Officio S.Iacobi Maioris,in quo in Homilia

S.

S. Ioannis Chryſoſtomi lect. 1. legitur ibi: *Quòd igitur nihil ſpiritale petebant, nec de cæleſti regno quidquam cogitabant, perſpicuum eſt.* In quibus verbis ſpecialiſsima reflexione animadvertendum eſt, quod Apoſtoli iam vocati à Chriſto Domino ad ſuam familiaritatem, & diſciplinam; quia nondum myſterium Crucis erat conſummatum, & nondum gratia in corda ipſorum infuſſa, nil ſpiritale petebant, nec de regno Cęlorum cogitabant, vt nobis proponit Eccleſia, & Salmanticenſes audeant dicere, quod Monachi, & Moniales, vt vota evangelica emitterent in ſtatu religioſo ſubſtantialiter evangelico omnes tot ante ſæcula Chriſti ſpiritualia petebant, & terrena relinquebant propter regnum Cęlorum. Alia reflexio debet fieri in hac doctrina ab Eccleſia propoſita, & approbata ad explicandam differentiam diſcipulorum Chriſti ante, & poſt mortem Salvatoris, vt fideles Catholici, & Chriſtiani ſciant diſcrimen gratiæ novi, & veteris teſtamenti, & perfectionem legis gratiæ recognoſcant, & confiteãtur ex meritis Chriſti paſsi contra Pſeudo-Apoſtolos, Manichæos, & Pelagianos: Docet igitur Eccleſia ex D. Ioanne Chryſoſtomo, quod Apoſtoli imperfecti erant in illo ſtatu; quod nõ cogitabant de regno Cęleſti quidquam: inter Apoſtolos primus vocatus fuit D. Andręas, & cum eo alij ex diſcipulatu Præcurſoris, vt certum, & manifeſtum eſt in Sacra Hiſtoria evangelica. Salmanticenſes, & alij eiuſdem familiæ aſſerunt, quod D. Ioannes fuit Succeſſor Eliæ in Generalatu ſui Ordinis prophetici, quod D. Andræas fuit Monachus Elianus cum votis, & quod diſcipuli Præcurſoris erant viri religioſi evangelici quoad ſubſtantiam; quod omnia in profeſsione Eliani inſtituti reliquerunt propter regnum Cœlorum: Eccleſia docet, quod erant in diſcipulatu Chriſti imperfecti, quod nihil ſpirituale petebãt, quod non cogitabant de regno Cęleſti ante myſterium Crucis: Hæc evidenter incomprobabilia ſunt, & oppoſita, niſi vellint, quod diſcipuli Ioannis in Chriſti diſcipulatu imperfectiores fierent, cogitationes Chriſti præſentia mutaverint, & ad terrena ſe ſe familiaritate Chriſti converterint, & terrena, quæ in diſcipulatu Ioannis renuntiaverant, in diſcipulatu Chriſti deſiderarent, & peterent.

242 Cum hoc Officio Eccleſiaſtico etiam eſt incomprobabile; illud ſingulare, & novum aſſertum Salmanticenſium, & Hiſtorici, prophetici, quod in Chriſti exemplaritate revelata ad prædictum ſtatum inſtituendum cognoverunt Monachi, & Mo-

Moniales veteris legis veſtigia Salvatoris,vitam eius, & Crucē, paupertatem,& alia,quæ ad ſtatum religioſum pertinent ; & hac revelatione ſuperaverunt affectionem ad terrena. In hoc Officio,& Homilia in 1. lect. expreſsè legitur contrarium de Apoſtolis ante mortem Chriſti,ſed quod tempora lium renuntiatio propter ſpiritualia opus fuit,& effectus conſummatæ redemptionis,& gratæ Spiritus Sancti : ergo aſſertum novum eſt incomprobabile cum doctrina Eccleſiæ. Huic aſſerto novæ exemplaritatis Chriſti revelatæ Elianis opponiturOfficiumDominicæ Quinquageſimæ,in qua legitur evangelium ſecundum Lucam cap.18.& ibi: Quod Chriſto Domino præcedente mor tem,& paſsionem eius,diſcipuli non intellexerunt verbum illud,quia myſterium erat eis abſconditum,vt ſupra in hac 3. p. Diſc.1.§.4.& Eccleſia proponit Homiliam D.Gregorij Magni, & in 1.lect.ibi: *Sed quia carnales adhùc diſcipuli nullo modo valebant capere verba myſterij, venitur ad miraculum.* Eccleſia docet : quod diſcipuli Salvatoris à Domino prædicante non intellexerunt verbum paſsionis,& mortis,quod erat eis abſconditum.Salmāticenſes aſſerunt,quod omnes Monachi,& Moniales veteris legis in diſcipulato Eliç,ex Chriſti exemplaritate eis revelata, intellexerunt Chriſti veſtigia,mortem,Crucem,vitam, paupertatem,quia erant evangelici,& in ſpiritu legis gratiç Monachi, & religioſi ante evangelium evangelici, & ante Chriſtum Chriſtiani : ergo ſecundum doctrinam Eccleſiæ Apoſtoli ante redemptionem,& mortemChriſti ſub eius diſcipulatu adhùc erāt carnales; & Monachi veteris teſtamenti ſub diſcipulatu Eliæ erant ſpirituales,& evangelici ſecundum doctrinam Salmanticenſium,quod incomprobabile eſt cum evangelio , & cum prædicto Officio Eccleſiæ.

243 Hęc ſunt Eccleſiaſtica Officia,cum quibus non ſunt comprobabilia aſſerta Salmanticenſium,& ſunt maximi ponderis; nam hæc officia non cōtinent hiſtorias humanas,& Acta Sanctorum,ſed dicta Sanctorum Patrum, & Doctorum , quę Sancta Sedes Apoſtolica motu proprio,& certa ſcientia elegit, approbavit,recognovit,& confirmavit,& approbata, & recognita propoſuit in Breviario Romano vniverſali Eccleſiæ , & omnibus Chriſti fidelibus,vt canonicè recitentur ad intelligentiam Sacroſancti Evangelij,& ad inſtituendos fideles in vera fide,& rectis moribus,in qnibus errare non poteſt Sancta Sedes, præſertim in doctrinis & dogmatibus SS.PP.propoſitis vniverſali Eccleſiæ.

§. III.

Prædictus ſtatus religioſus veteris legis cum votis, & conſilijs non eſt comprobabilis cum doctrina Angelici Præceptoris.

244 EMinentiſsimus D. Cardinalis Capiſuccus in Magiſterio Sacri Palatij, duo controverſiarum edidit egregia volumina, in quibus illas elegit diſputare quæſtiones, quæ in via D. Thomæ difficiliores apparent, vel ab ipſis Thomiſtis omittuntur noviſsimè, vel in quibus aliqui ex domeſticis contribulibus à via Angelici Magiſtri declinant; & in præfatione ad lectorem tom. 1. ſic alloquitur: *Porrò ſunt, & alij, qui cum S. Thomam ad Lunam dumtaxat legerint, videri volunt penetraſſe fundum, nec tamen penetrarunt. Eiuſdem ſe fidos profitentur diſcipulos, & tamen ſeù vertiginoſa opinandi licentia, ſeù quocumque deſultorio complacendi ſtudio, alijſvè affectibus, vel cauſis à S. Doctoris eclyptica quovis motu trepidationis declinant. Experior interdum, ac miror ex ipſiuſmet domeſticis Scholæ noſtræ contribulibus, nonnullos tametſi raros, ac raro præter Angelici planetæ orbitam tranſverſim rapi; nam ſicubi nodoſo cuipiam argumento rotam impingunt, aut pavidi reſiliunt, aut ſequelam ſui Magiſtri nonnihil obliquant, velut rectum ſententiæ rigorem delicatis auribus mitigaturi; aut re ipſa hoc agunt, quod ij, qui ad privata ſui horologij dictamina ſolem corrigunt. Et tamen hos velut S. Thomæ ſequaces contra S. Thomam Antithomiſtæ præſidenter allegant. Neutrum hic diſsimulo, nec tacitè alterutri connivendum reor.* Inter alias controverſias hanc de ſtatu religioſo veteris legis in 16. diſputat, & cũ Angelico Magiſtro negativam propugnat, argumenta recentiorum ſolvit, & communem omnium Theologorum negativam appellat; eamdem ſententiam vt communem omnium Thomiſtarum defendit Illuſtriſsimus Araujo tom. 1. in 2. 2. q. 99. diſput. 4. ſect. 3. Nullus ergo Thomiſta, vel ſerio diſputans, vel Magiſtrum interpretans aliquando dixit, quod in veteri lege fuit ſtatus religioſus cum votis, & conſilijs.

245 Patres Salmanticenſes; qui ſeveriores Thomiſtæ exiſtimantur, & in hac diſputatione maximi doloris cordis fuiſſe oberatiſsimis diſcipulis (vt aſſerunt) à via D. Thomæ declinare, in hac nova ſententia toto zelo à doctrina D. Thomæ aberrant, quia nulla eſt in Angelico Magiſtro clarior, expreſsior, & formalior ſententia, quam negativa ſtatus religioſi, & conſilio-

ſiorum in veteri lege, in Summa Theologię, in diſtinctionibus, & ad Hannibaldum, in Opuſculis, in Commentarijs ad D. Paulum, in Expoſitione ad Evangelia, & in ſermonibus vix reperitur tractatus Theologicus D. Thomæ, in quo negativam ſententiam non explicet, vel innuat directè, vel indirectè: itaque ex hac nova ſententia Salmanticenſium quamplurimi articuli D. Thomę labefactantur; & concluſiones Thomiſticæ enervãtur, & ruunt, quæ quidem ſententia, ſi à Sede Apoſtolica fuiſſet approbata, & confirmata, vt aſſerunt Salmanticenſes in Bullis authenticis, & Decretis Pontificijs; multi articuli Div. Thomæ infirmarentur, & eius miracula obumbrarentur, & in multis theologicis concluſionibus, & Sacræ Scripturæ expoſitionibus aberraſſe Magiſtrum neceſſe eſt confiteri; ſed Angelicus Magiſter, qui intellectum omnium Patrum, & Doctorum quemadmodum ſortitus eſt, Sanctorum Patrum ſententiam docuit, roboravit, ſolidiſsimis rationibus ex Sacra Scriptura confirmavit, vt conſtat in hac controverſia: & quia Salmanticenſes falsò imponunt D. Thomę ſuam novitatem, teſtimonia, relata, & producta hic indicare neceſſarium exiſtimavi, vt orbi appareat, qua veritate, qua fide, Salmanticenſes Div. Thomę imponunt novam ſententiam ab Angelico Magiſtro impugnatam, & eius diſcipulis numquam benè viſam, vt linceis oculis examinentur in Salmanticenſibus alia Sanctorum Patrum dicta.

246 Angelicus Magiſter 1.2.q.108.art.4.in corp.& queſt. 107.art.2.in corp.& Opuſc.17.directè, & in proprijs terminis docet, quod conſilia evangelica non fuerunt data in veteri lege: verba referuntur in hac controverſia 1.p. Diſc. 1. §. 2. In Epiſt. Pauli idem docet, & addit, quod in veteri lege inſtituta fuerunt, quæ ſpectant ad imperfectionem, & in nova, quæ ad perfectionem conducunt: verba referuntur in 2. p. Diſc. 5. §. 7.& 8.& nunc addimus teſtimonia illa in 3.diſtinct.40.q.1. artic.4.ad tertiam quæſt. ibi: *Sed quantum ad explicationem iſtorum præceptorum, ſic præcepta novæ legis quodammodo ſunt difficiliora, quia magis explicatur virtus præceptorum moralium in nova lege, quam in veteri. Et ſuperaddit lex nova conſilia, quamvis ad ea non cogeat.* Et ad Hannibaldum ibidem eadem diſtinctione quæſt. vnica art.4. in corp. ibi: *Secunda pœnes cauſam finalem, & quoad finem proximum, quia finis legis iuſtitia imperfecta in declinatione mali, quod contrariatur præceptis eſt: finis vero evangelij perfecta iuſtitia in operatione boni perfecti, quod continetur in præceptis, & conſilijs, & quoad finem vltimum, quia*

evangelium apertè promittit,& confert bona æterna. Lex vero, non niſi ſub figura temporalium promittebat æterna, eo quod nondum poterant æterna dari. Et in evangelia in cap. 5. Matth. ad illa verba: *Non veni ſolvere*; ibi: *Sexto conſilia addendo infra 19. Vadè,& vendè omnia, &c.* In his locis Theologis, Scholaſticis,& expoſitivis, non ſemel; ſed ſemper,& ſæpè negat Angelicus Doctor conſilia, vel per expreſſam negativam in veteri lege, vel per expreſſam affirmativam, quod in nova lege fuerunt data: ergo aſſertum Salmanticenſium incomprobabile eſt cum his certis, claris, & expreſsis teſtimonijs,& verbis D.Thomę.

247 Nè locum relinqueret D. Thomas dubitationi, ſeù ſubtiliſsimæ interpretationi, vel imaginationi, explicuit quando,& quomodo incępit obſervatio conſiliorum 3.p.q. 28. art. 4. ad 2.& in 4. diſtinct. 30. q. 2. art. 1. docet, quod obſervatio cōſiliorum aliquomodo incępit,& inchoata fuit in MARIA Domina noſtra,& perfectè,& conſummatè fuit in Chriſto: ergo aſſertum Salmanticenſium,& nova eorum diſtinctio, quod obſervatio conſiliorum inchoata fuit in Elia,& in ſuo ſtatu religioſo ab illo inſtituto,& conſummata in Chriſto, non ſunt cōprobabilia cum doctrina D.Thomæ de inchoatione,& incæptione conſiliorum in B.Virgine.

248 Ex fine, motivo,& præmio conſiliorum etiam eſt incomprobabile aſſertum Salmanticenſium, cum doctrina D. Thomę; nam vt conſilia conſtituerent ſtatum religioſum verum, vota emittenda eſſent propter regnum Cęlorum,& præmia æterna, quod non negant Salmanticenſes, nec negare poſſunt, quia alias non eſſet ſtatus verus veritate evangelica, nec in ſpiritu legis gratiæ inſtitutus eiuſdem rationis cum ſtatu religioſo Chriſtiano. D.Thomas pluribus in locis expreſsè,& apertè docet, quod in veteri lege non fuerunt pro miſſa bona ſpiritualia cęleſtia, ſed terrena, præſertim lib. 1. de regimine Princip. cap. 14.& in Epiſt. Pauli ad Hebręos cap. 10. lect. 1. teſtimonia dantur in 1.p. Diſc. 1. §. 3.& idem docet in Epiſt. ad Hebræos, cap. 8. lect. 2.& ad cap. 9. lect. 2. vt ſupra laudatus 2. p. Diſc. 6. §. 1.& in 3. ad Hannib. vbi ſupra eamdem ſententiam expreſsè docet,& in 3. vbi ſupra eodem art. in terminis hanc quæſtionē diſputat,& negativam ſententiam docet,& ſibi primum argumentum oppoſuit in Abrahamo, cui facta fuit mercedis repromiſsio,& perfectiſsimus fuit in illa lege,& ad 1. reſpondet, ibi: *Ad primum dicendum, quod vbicumque promittuntur æterna in veteri lege,*

ge, hoc eſt ſub quadam figura, & ſimilitudine. Et ſecundum hoc etiam Deus ſe mercedem Abrahæ conſtituit ad litteram, quaſi remuneratorem in multiplicatione ſeminis, & in terræ promiſſæ collatione. Vel dicendum, quod hoc intelligitur de promiſsione communiter omnibus facta in veteri lege, nō autem de illa, quæ fiebat ſpecialiter ad aliquos perfectos viros, qui ad legem novam pertinebant: ergo Div. Thomas ſentire videtur, quod adhùc viris illis perfectis non fuit facta expreſſà, & clara promiſsio, & revelatio bonorum cœleſtium, & ſpiritualium, ſed in aliqua figura. Si dicant Salmanticenſes, quod iuxta ſecundam Reſponſionem D. Thomas revelationem hæreditatis concedit in veteri lege; vt ex ipſis verbis Magiſtri conſtat, quod illa revelatio, quam admittit, eſt ſpecialis, & interna: Salmanticenſes docent, quod fuit communis, & ex fide communi illius legis: ergo non eſt comprobabile hoc aſſertum de revelatione communi in ſtatu religioſo omnibus Monachis, & Monialibus cum doctrina D. Thomæ.

249 Ex ſingulis votis conſtat eadem incomprobabilitas, & præcipuè ex voto virginitatis, & caſtitatis in veteri lege, in 4. ad Hannibaldum diſtinct. 29. quæſt. vnica art. 3. docet D. Thomas, quod in illa lege tempus virginitatis non advenerat, ſicut in Chriſto advenit, & in 4. diſtinct. 49. q. 5. art. 3. quæſtione 1. ad 3. quod illo tempore Matrimonium præferebatur virginitate, & quod non erat omninò laudabile à commixtione carnis abſtinere propter expectationem benedicti ſeminis 3. p. q. 28. artic. 4. quod Virgo Deipara ante deſponſationem votum conditionatum emiſerat, & ad 1. quod videbatur lege prohibitum non dare operam ad relinquendum ſemen ſuper terram. Salmanticenſes docent, quod omnes Monachi, & Moniales ex inſtitutione Eliæ emittebant votum virginitatis abſolutum in vero ſtatu religioſo: teſtimonia D. Thomæ referuntur ad litteram in 1. p. Diſc. 2. §. 2. & ſerm. 2. de Annuntiatione ait de Virgine, ibi: *Inchoavit vitam Angelorum, quia inſtituit vitam virginum.* Et lib. 3. contra Gent. quod conſilium virginitatis fuit reſervatum legi gratiæ: Expenditur teſtimonium ſupra 1. p. Diſc. 3. §. 4. ergo votum virginitatis, vel caſtitatis abſolutum, vel conditionatum in ſtatu aliquo veteris legis incōprobabile eſt cum doctrina D. Thomę.

250 Circa votum paupertatis maxima conſideratione dignum eſt teſtimonium D. Thomæ ex lib. 1. contra Gentes relatum in hac 3. p. Diſc. 1. §. 4. & illud ex 1. 2. q. 108. art. 2. relatum 1. p. Diſc. 1. §. 4. in quo D. Thomas docet, quod Chriſtus Dñs par-

particularia quædam ſtatuta dedit diſcipulis pro illo tempore, vt paulatim exercitarentur in abdicatione rerum temporaliū: ergo hæc abdicatio non erat anteà inſtituta ab Elia. Salmanticenſes aſſerunt: quod Elias inſtituit paupertatem cum voto, & in illo ſtatu vixerunt quamplurimi Monachi in perfectiſsima paupertate ex voto evangelico. D. Thomas loco citato expreſsè docet: quòd Chriſtus paulatim exercebat diſcipulos ſuos, inter quos erat Andręas Monachus Elianus, in abdicatione rerum temporalium: ergo aſſertum Salmanticenſium non eſt comprobabile cum doctrina D. Thomæ: videantur eius verba cum reflexionibus loco citato in hac controverſia, & Opuſc. 17. cap. 16. expreſsè docet paupertatem inſtitutam fuiſſe à Chriſto in ſuis diſcipulis.

251 Votvm obedientiæ, quod maximum eſt in ſtatu religioſo, & ſpirituale holocauſtum profeſsionis perficit, & cōſtituit vt docet D. Thomas Opuſc. 18. cap. 11. primum, & præcipuum exemplum habuit in Chriſti Domini obedientia vſque ad mortem, per quam peccatum inobedientiæ delevit, ſic Div. Thomas vbi ſupra cap. 10. vnde in ſtatu illo ſervitutis, & inobedientiæ ante obedientiam Chriſti Domini in morte ſtatum evangelicæ, & ingenuæ obedientię concedere in veteri lege, non eſt comprobabile cum hac doctrina D. Thomæ, quæ expenditur in hac 3. p. Diſc. 1. §. 6. Hęc ſunt teſtimonia D. Thomæ cum quibus incomprobabilis eſt verus ſtatus religioſus; vt defenditur à Salmanticenſibus, qui ſuam ſententiam Angelico Magiſtro imponunt, quo fundamento §. ſequenti examinatur.

§. IV.

Proponitur teſtimonium D. Thomæ pro ſua ſententia à Salmanticenſibus productum cum ſuis interpretationibus.

252 Aliqua ex teſtimonijs citaris D. Thomę ſibi opponunt Salmanticenſes, nempè ex 1. 2. q. 108. art. 4. in quo dicitur, quod conſilia convenienter non fuerunt data in veteri lege: & ex eadem quęſt. art. 2. in quo dicitur, quod fuerunt addita in lege nova, vt in 1. p. Diſc. 1. §. 2.

253 Reſpondent obæratiſsimi diſcipuli D. Thomæ in formá: conſilia non fuerunt obſervata in illa lege ex ipſa lege, concedunt: non fuerunt obſervata ab aliquibus per gratiam ex fide in Chriſtū futurū conſulentem ipſa conſilia ex lege gratiæ, negant. Sed hæc ſolutio nō eſt ad rē, quia q. 108. art. 4. S. Th. docet abſolutè, & expreſsè, quod cōſilia nō fuerūt data in illa lege

 quia

quia ſervitutis erat: ergo excludit omnem obſervantiam, quia vt aliquomodo obſervarentur, neceſſe erat vt darentur, proponerentur,& revelarentur,& quomodolibet ſit, obſervantia ſupponit conſilia,quæ D.Thomas negat. Tum etiam; quia ratio D.Thomæ ſive ex lege,ſive ex fide,vel revelatione, obſervantiam conſiliorum excludit in illa lege: ratio D. Thomæ eſt: quia illa erat lex ſervitutis; & conſtituebat ſtatum ſervitutis;ſed ex fide in Chriſtum futurum non fuit ſolutus ille ſtatus ſervitutis; ſed à lege gratiæ: ergo ratio D.Thomę omnem obſervantiam conſiliorum excludit in vero ſtatu religioſo ſubſtantialiter evangelico: vnde Salmanticenſes ſupponunt conſilia, quæ in veteri lege negat D.Thomas, & obſervantiam eorum diſtinguunt. Aliam addunt interpretationem dicentes: quod Elias inſtituit verum ſtatum ſubſtantialiter tantum perfectum cum conſilijs,& Chriſtus Dominus conſummatum cum perfectionibus quas modo habet. Sed expreſsè opponitur D.Thomę dicenti 3.p.q.28.art.4.ad 2.& in 4.diſtinct.40.q.2.ad 2.quod obſervatio conſiliorum inchoativè incæpit in B. Virgine, & in Chriſto fuit conſummata,vt ſupra locis citatis in hac controverſia: ergo excluditur inchoatio Eliæ. Opponitur etiam Div. Thomæ in Commentarijs in Epiſt.Pauli ad Hebr. cap.9 lect.2. ſupra laudatus 2.p.Diſc.6.§.1.vbi ait: quod in veteri lege inſtituta fuerunt,quæ pertinent ad imperfectionem: ergo reijcitur inchoata obſervatio conſiliorum,quæ ſpectant ad perfectionē. Ex alijs etiam teſtimonijs D.Thomæ manifeſtè conſtat novas has interpretationes repugnare litteræ,& ſenſui Doctoris Angelici,& ipſa ſua novitate infirmantur; nam nullus hucuſquè Thomiſta eas imaginavit,& omnes Theologi vno ore confitentur Angelicum Doctorem,ſemper,& pluribus in locis docuiſſe,quod conſilia religioſa non fuerunt data in veteri lege, ſed in nova ex plenitudine gratiæ Chriſti Domini.

254 Vt hanc ſuam novitatem Salmanticenſes in Scholam D.Thomæ introducant, teſtimonia,quibus vtitur Hiſtoricus propheticus,reproducunt,quæ ad intentum non pertinent, vt patet ex dictis 1.p.Diſc.2.§.3. & aliud teſtimonium noviter inventum proponunt,& addunt Patres Salmanticenſes; quo evidenter palamque conſtare affirmant Div. Thomam ſtatum religioſum verum recognoſcere in veteri lege, & præſupponunt: primo; quod lex vetus duravit vſque ad mortem Chriſti; ſecundo,quod lex nova non incæpit obligare vſque ad mor-

tem Chriſti; tertio, quod lex evangelica primam inchoationem accepit à Chriſto Domino illam prædicante, & quod ante Chriſti prædicationem ſolùm vigebat lex vetus ſcripta.

255 In his ſuppoſitis primam lucem, ſeu auroram legis gratiæ fugiunt Salmanticenſes in Oriente, & ſilentio prætereunt illud tempus medium, in quo ſimul currebant lex, & evangelium, vt ſæpiſsimè docet D. Thomas: itaque Patres, & Doctores Dominam noſtram Matrem Chriſti auroram legis gratiæ venerantur, & prædicant: à Chriſto Domino, & B. MARIA incepit coruſcare evangelium in Præcurſore: & D. Thomas 3. p. q. 38. art. 1. ad 2. ait: quod fuit terminus legis, & initium evangelij, & quod verbo, & opere inducebat homines ad evangelium. Patres Salmanticenſes confundunt initium legis gratiæ cum publica promulgatione illius. Lex gratiæ perfectè incæpit in Chriſto, qui à primo inſtanti ſuæ animationis fuit lex viva gratiæ, & Author illius, & inceperunt effectus legis gratiæ primo in ſua ſanctiſsima humanitate perfectiſsimè, deinde in Matre; ante nativitatem in Ioanne Baptiſta in vtero exultante, in nativitate in Patribus ab Angelo evangelizante vocatis, poſteà in Epiphania in Gentilitate, & deinde ſicut Domino placuit: itaque lex gratiæ ab Incarnatione perfectè incæpit, & ſemper fuit in pectore Chriſti: currebat etiam cum veteri lege vſque ad tempus prædiffinitum à Patre, & in morte Chriſti ceſſavit lex vetus, & publica legis gratiæ promulgatio facta fuit in Sacroſancto die Pentecoſtes adveniente Spiritu Sancto.

256 Nunc arguunt Patres Salmanticenſes ſuo argumento, quod demonſtrativum appellant, in forma illud proponunt: lex evangelica non habuit ſtatum ante quā illam Chriſtus predicavit, quia non obligavit ante eius mortem, nec incæpit ante eius prædicationem; ſed ex Div. Thoma ante prędicationem Chriſti fuit ſtatus religioſus: ergo ſtatus religioſus fuit ante legis evangelicæ tempus: Minorem probant Quodlib. 5. art. 21. ad 1. ibi: *Dicendum quod ſummum in vita humana poteſt accipi dupliciter; vno modo ſecundum comparationem ſtatus ad ſtatum, ſecundum quod in humana vita vnus ſtatus eſt maior alio, & aliquis, & ſummus, & ſic nihil prohibet aliquid fieri repentè ſummum. & hoc apparet tàm in ſpirituali, quàm in ſæculari. Inveniuntur enim aliqui ſtatim à pueritia ad ſtatum religionis, qui eſt perfectiſsimus, convolaſſe, vel proprio arbitrio ſicut B. Ioannes Baptiſta, & B. Benedictus.* In quibus S. Doctor affirmat: quod à pueritia fuit Baptiſta ad ſtatum perfectionis aſſumptus,

&

& in pueritia Ioannis nondum inceperat Chriſtus prædicare legem gratiæ: ſentit ergo D. Thomas, quod ante ſtatum, & tempus legis gratiæ iam erat ſtatus religionis, & perfectionis.

257 Hac demoſtratione gloriantur obæratiſsimi diſcipuli D. Thomę, ſe verum illius ſenſum inveniſſe poſt tot celeberrimos Interpretes contrarium ex Magiſtro docentes; ſed verè, nec demonſtratio eſt, nec vmbram argumenti habet, & multa ſupponunt falſa: Primo: quod lex gratiæ non habuit ſtatum antequam Chriſtus illam prædicaret, quia prædicatio, ſeù promulgatio legis ſupponit legem factam, & inſtitutam, & ſtatum illius: lex gratiæ antequam prædicaretur publicè Iudęis, & proponeretur diſcipulis inſtituta fuit in Chriſto, quia eſt lex ſpiritualis, & fuit inſtituta in gratia, & ſpiritu Chriſti, habuit ſtatū in ipſo Domino noſtro, & Matre eius, in qua incępit obſervatio conſiliorum, quam conſummavit Chriſtus in ſpiritu, & ſanguine ſuo. Secundo: ſupponunt falſum Salmanticenſes dicendo: quod ante prædicationem Chriſti non fuit tempus legis gratiæ, quia tempus legis gratiæ incæpit ab Incarnatione, & Nativitate, ortus fuit ſol iuſtitiæ, & gratiæ: itaque ſtatus perfectiſsimus Deiparæ, & ſtatus perfectionis Baptiſtæ converſio, & vocatio diſcipulorum alia opera Chriſti fuerunt effectus ſpiritus legis gratiæ, & ad illum ordinabantur, quia iam in Chriſto erant inſtituta in perfectiſsimo ſtatu, licèt quoad fideles, & Eccleſiam conſummanda erant ex plenitudine gratiæ ipſius per mortem, & Paſsionem, & adventum Spiritus Sancti: cum verò à Nativitate Chriſti ſimul currebant lex, & evangelium, vt docet Div. Thomas, & certum ęſt, & lex gratiæ perfectum ſtatum habebat in Chriſto Domino, & Matre eius, quorum familiaritate fruitus fuit Præcurſor Chriſti Domini, ſpiritu, & exemplo B. MARIÆ, in qua obſervatio conſiliorum incæperat, ad ſtatum perfectionis à pueritia fuit aſſumptus, & elevatus, non in ſpiritu Eliæ, in quo venit, ſed in ſpiritu Chriſti ad quem fuit miſſus, vt ſtatum legis gratię prænuntiaret hominibus; itaque demonſtratio Salmanticenſium ex doctrina D. Thomæ contra ipſos concludit, quod ante tempus legis gratię non fuit ſtatus perfectionis, qui incæpit in Chriſto, ad quem fuit vocatus, & aſſumptus B. Ioannes Baptiſta inſtructus à Deipara Domina noſtra, & non ab Eſſenis Iudæis, vt noviſsimè commentatur Hiſtorici Carmelitæ. Eſt igitur omninò incomprobabilis, & repugnans cum

doctrina D. Thomæ ſtatus verus religioſus cum conſilijs inſtitutus in veteri teſtamento ab Elia ſubſtantialiter evangelicus eiuſdem rationis cum Chriſtiano prout defenditur à Salmanticenſibus.

§. V.

Indicantur teſtimonia D. Auguſtini cum quibus non eſt comprobabilis prædictus ſtatus cum conſilijs.

258 SP. Auguſtinus apud omnes Scriptores Scholaſticos, & Expoſitivos contra aſſerta Salmanticenſium militat, & pluribus in locis docet clarè, & expreſsè, quod Monachatus, & vita communis incæpit in Chriſto Domino in Eccleſia, & per Sanctos Apoſtolos; quod Eccleſia Monaſteria peperit; quod vita communis non fuit audita in Iudæa ante Spiritus Sancti adventum, nec intellecta inter quos cantabatur vſque ad prædicationem Apoſtolorum, per quos ſuum ſumpſit exordium: teſtimonia ad litteram referuntur 1. p. Diſc. 2. §. 4.

259 Votum virginitatis, ſeù caſtitatis non eſt comprobabile cum teſtimonijs adductis 1. p. Diſc. 3. §. 4. Votum paupertatis minus probabile eſt in veteri lege cum teſtimonio D. Auguſtini relatum in hac 3. p. Diſc. 1. §. 4. ex Epiſt. 89. ad Hilarium, ibi expreſsè docet, quod abdicatio rerum temporalium non fuit cognita in illâ lege, nec revelata, & exercita vſque ad Chriſtum, & evangelium, & nunc additur teſtimonium eiuſdẽ S. Doctoris ex cap. 22. de cathechizandis rudibus, ibi: *Itaque novum teſtamentum hæreditatis ſempiternæ manifeſtat, in quo renovatus homo per gratiam Dei ageret novam vitam, hoc eſt vitam ſpiritualem, vt vetus oſtenderent primum, in quo carnalis populus agens hominem veterem, exceptis paucis intelligentibus Patriarchis, & Prophetis, & nonnullis latentibus Sanctis, carnaliter vivens carnalia præmia deſiderabat à Domino Deo, & in figura ſpiritualium bonorum accipiebat omnia: ergo bona terrena contempſit homo factus Dominus Chriſtus, vt contemnenda monſtraret, & omnia terrena mala ſuſtinuit, quæ ſuſtinenda præcipiebat neque in illis quæreretur fælicitas, neque in iſtis infælicitas timeretur.* Et ibidem cap. 23. *Non erant illi temporalia beneficia, terrenumque regnum deſiderantes à Deo, nec promiſſum regem Chriſtum carnaliter ſpectãtes, ſed immortaliter intelligentes, & diligentes eum, qui pro ipſis ab ipſis tanta mortaliter pertulit, & eis vſque ad ſui ſanguinis effuſionem peccata*

do-

donavit, & immortalitatem à ſe ſperandam, & deſiderandam exemplo ſuæ reſurrectionis oſtendit: itaque iam veteris hominis terrena deſideria mortificantes, & ſpiritalis vitæ novitate fragrantes, ſicut præceperat in Evangelio Dominus, vendebant omnia quæ habebant, & prætia earum rerum ante pedes Apoſtolorum ponebant, vt ipſi diſtribuerent vnicuique ſicut cuique opus erat, viventeſque in Chriſtiana dilectione concorditer non dicebant aliquid ſuum, ſed erant illis omnia communia, & anima, & cor vnum in Deum. Hæc omnia D.Auguſtini teſtimonia directè opponuntur aſſertis Salmanticenſium.

260 Præcipuum, immo, & vnicum fundamentum huius ſtatus novi, veteris legis verè evangelici religioſi repugnat cum doctrina D.Auguſtini; vt Hiſtoricus propheticus difficultatem invencibilem exiſtentiæ huius ſtatus ante evangelium evangelici ſuperaret, excogitavit illam exemplaritatem Chriſti revelatam ad vota, de qua in 1.p.Diſc.1.§.4.& dixit: quod in fide in Chriſtum futurum cognoverunt paupertatem, humilitatem, & obedientiam, & vota emiſſerunt Monachi, & ex meritis Chriſti futuri per fidem in illum conſtitutus fuit ille ſtatus verus religioſus in ſpiritus legi gratiæ ſubſtantialiter evangelicus eiuſdẽ rationis cum Chriſtiano; & hoc vnicum fundamentum Salmãticenſium eſt, quo ſuam ſententiam probant, & argumenta cõtraría ſolvunt; ſed contra Div.Auguſtinum vbi ſupra de cathechizandis rudibus cap.19.ibi: *Cum cæteræ autem gentes ſymulachris, & dæmonijs ſervirent, in eo planè populo multo evidentius futura Eccleſia figurata eſt. Erat enim ibi multitudo carnalis, quæ propter viſibilia beneficia colebat Dominum: erant autem ibi pauci futuram requiem cogitãtes, & cæleſtem patriam requirentes, quibus prophetando revelabatur futura humilitas Dei regis, & Domini noſtri Ieſu-Chriſti, vt per eam fidem ab omni ſuperbia, & furore ſanarentur: horum Sanctorum, qui præceſſerunt tempore Nativitatem Domini, non ſolum ſermo, ſed etiam vita, & coniugia, & facta, prophetia fuit huius temporis, quo per fidem Paſsionis Chriſti ex gentibus congregatur Eccleſia; per illos Sanctos Patriarchas, & Prophetas carnali populo Iſrael, qui poſteà etiam Iudæi appellati ſunt, & viſibilia beneficia miniſtrabantur, quæ carnaliter à Domino deſiderabant, & coertiones pœnarum corporalium, quibus pro tempore terrerentur ſicut eorum duritiæ congruebat.*

261 Cum doctrina D.Auguſtini in hoc teſtimonio expræſſa, præcipua fundamenta Salmanticenſium non ſunt comprobabilia. Primò: quia clariſsimè diſtinguit fidem ante Nativitatem Domini, & fidem Paſsionis Chriſti, & docet; quod illi

in

in fide ante Nativitatem Chriſti iuſti, quibus revelata fuit humilitas Dei regis, vt iuſtificarentur per merita illius futuri, erant in ſtatu figurativo, & prophetali: & quod per fidem Paſsionis Chriſti conſtituitur ſtatus evangelicus verus præſentis Eccleſiæ: ergo dato, & non conceſſo, quod aliquibus veteris legis in fide illa revelarentur paupertas, virginitas, & obedientia Dei regis, & in illo ſpiritu viverent, ſtatum conſtituerent propheticum, & figurativum ante Nativitatem Chriſti. Secundo: quod illi iuſti Patriarchæ, & Prophetę, quibus humilitas, & paupertas Dei regis revelatę fuerunt, populo adhærebant, & miniſtrabant illi beneficia temporalia viſibilia, quę à Deo deſiderabant, quod incomprobabile eſt cum ſtatu publico paupertatis voluntariæ ex voto in illa lege. Tertiò: quod iuſti illi Patriarchæ, & Prophetę, qui futuram requiem cogitantes cœleſtem patriam requirebãt, pauci erant, & ſuper Pſalm. 72. ſupra citatus 1. p. Diſc. 1. §. 3. dicit, quod fuerunt paucìſsimi cœleſtis regni intellectores in illa lege, quod incomprobabile eſt cum aſſerto Salmanticenſium dicentium; quod non fuit neceſſaria ſpecialis revelatio in illa lege ad ſtatum verum religioſum ſubſtantialiter evangelicum, ſed quod ex fide communi potuit inſtitui ſtatus, in quo vota paupertatis caſtitatis, & obedientiæ emittebantur propter regnum Cœlorum. Quartò: quod ex illis paucis, vel paucìſsimis regni cœleſtis intellectoribus, Patriarchæ, & aliqui Prophetæ Matrimonium contraxerunt ad relinquendum ſemen in Iſrael propter expectationem benedicti ſeminis, quod incomprobabile eſt cum illis Monaſterijs, & integris Communitatibus Monachorum, & Monialium veteris legis, in quibus votum caſtitatis perpetuæ emittebatur, vt aſſerunt Salmanticenſes.

(*.§.*)

§. VI.

§. VI.

Ex citatis teſtimonijs D. Thomæ, & D. Auguſtini fit reflexio ad ipſos Salmanticenſes impugnantes ſcientiam mediam Ieſuitarum cum decretis conditionatis.

262 **P**P. Salmanticenſes accerrimè pugnant cum ſciētia media Ieſuitarum, & eam principaliter reijciunt tamquam contrariam Sanctis Doctoribus Auguſtino, & Aquinati, & adhęrentem Semi-Pelagianis: Tum ſic; apud Salmanticenſes non eſt probabilis in doctrina D. Auguſtini, & D. Thomæ ſcientia media cum decretis conditionatis inter ſcientiam viſionis Dei, & ſimplicis intelligentiæ: ergo minus probabilis eſt ſtatus medius religioſus cum conſilijs evangelicis inſtitutus ab Elia inter veterem, & novam legem perfectus ſubſtantialiter ex meritis Chriſti futuri, & perficiendus conſummative ex meritis Chriſti paſsi.

263 Hęc conſequentia probatur: Primò; quia ad ſcientiam mediam cum ſuis decretis conditionatis aliqua teſtimonia producunt Ieſuitę D. Auguſtini, & D. Thomæ; ſed ad hunc ſtatum medium religioſum inter veterem, & novam legem perfectum ſubſtantialiter evangelicum, & verum, & non conſummatum, evangelicum nullum teſtimonium poterunt afferre Salmanticenſes ex SS. Doctoribus Auguſtino, & Thoma: ergo ex hac parte magis incomprobabilis eſt ſtatus medius, quam ſcientia media in doctrina Auguſtini, & Thomæ: Minor probatur, quia hi Sancti Doctores non cognoverunt niſi ſtatum illum figurativum vmbraticum imperfectum veteris legis, & ſervitutis per fidem in Chriſtum Redemptorem; & ſtatum verum evangelicum perfectum per fidem Paſsionis Chriſti, quia licèt aliquibus perſonis fuerit revelatus ſpiritus legis gratiæ, quæ ad evangelium pertinebant quoad animam, nullus fuit in ſtatu legis gratiæ, ſed in ſtatu veteris legis, nec vlli ſtatui hominum fuit datus, & revelatus ſpiritus legis gratiæ ante redemptionem; quia omnes erant in ſtatu ſervitutis, & peccati, vel afferant Patres Salmanticenſes aliquod teſtimonium ex his Sanctis Doctoribus pro hoc ſtatu medio perfecto ſubſtantialiter, & non conſummate perfecto in veteri lege.

264. Secundo, quia D. Auguſtinus contra Fauſtum, dicentem;

tem; quod in veteri lege fuit hæreditas promiſſa in qua promiſſione ſpiritus legis gratiæ conſiſtit, ſemper in libris contra Fauſtum docet, quod hæreditas non fuit promiſſa in illa lege, quia in ea omnia erant figurativa, & ſpiritus evangelij clauſus, velatus, & occultus vſque ad Nativitatem Chriſti: ergo D. Auguſtinus nullum ſtatum medium cognovit in veteri lege ſubſtantialiter perfectum in ſpiritu legis gratiæ, & conſummatum in nova lege. Videatur idem S. Auguſtinus in libris contra Fauſtum, præcipuè lib. 4. cap. 1. & 2. & lib. 19. cap. 31. ſupra 1. p. Diſc. 1. §. 3. Tum etiam: quia contra Pelagium dicentem: quod regnum Cœlorum fuit revelatum in veteri lege, & ſenſus ſpiritualis ſcripturarum apertus, mandataque veteris legis bona, hunc Pelagianum errorem pluribus in locis impugnat, eum detulit Innocentio I. Conſtat ex teſtimonijs relatis 1. p. Diſc. 1. §. 3. ergo non cognovit in veteri lege ſtatum medium in quo revelatum fuerit regnum Cœlorum, vel data fuerint mandata, vel conſilia evangelica, & ſenſus ſpiritualis ſcripturarum fuerit apertus, inſtitutum in ſpiritu evangelij, perfectum ſubſtantialiter in ſpiritu legis gratiæ, & conſummandum per Chriſtum in evangelio: Vbi notandum eſt: quod Fauſtus, & Pelagius non negabant Chriſtum Redemptorem, & hęc omnia concedebant ex meritis Chriſti futuri, & per fidem in illum, ſicut Salmanticenſes per fidem in Chriſtum futurum, ex meritis ipſius conſtituunt ſtatum illum medium evangelicum afferant Salmanticenſes teſtimonia ita clara, & expreſſa contra ſcientiam mediam. Div. Thomas de veteri lege diſputat, & de differentijs inter illam, & novam 1. 2. à quæſt. 98. vſque ad 107. incluſive per multos articulos, & in 3. ſentent. diſtinct. 40. in quibus omnia pertinentia ad veterem legem, & ad differentias inter vtraſque docet, & ſemper omnia illius veteris legis abſolutè figurativa, & imperfecta docet, & ſpiritum legis gratiæ datum, ſenſumque ſcripturarum apertum, conſilia data in nova expreſsè affirmat, hunc ſtatum medium perfectum ex conſilijs evangelicis verum in veteri lege, nec innuit, immo ex doctrina D. Thomæ contrariũ conſtat in 2. ad Corinth. cap. 3. lect. 2. ad hæreſim Pſeudo-Apoſtolorum, quos ibi impugnat D. Paulus, quia dicebant miniſteria veteris legis fuiſſe vera, legemque bonam, ait Div. Thomas laudatus ſupra 1. p. Diſc. 5. §. 7. ibi: *Sed quia poſſent Pſeudo-Apoſtoli dicere, quod licèt maius miniſterium ſit novi teſtamenti, quam miniſterium ſit novi teſtamenti, quam miniſterium veteris teſtamenti, non tamen eſt*

mul-

multum maius, & ideò bonum eſt, quod illi miniſterio, & iſti intendamus; quod faciebant, quia ſimul ſervabant legalia cum evangelio, & ideò conſequenter Apoſtolus hoc improbat.

265 Hic D. Thomas impugnat medium ſtatum veteris legis; arguebat Apoſtolus contra Pſeudo-Apoſtolos dicentes, quod miniſterium veteris legis fuit perfectum, & canonicè diffinivit fuiſſe imperfectum figurativum mortis, & damnationis. Proponit Angelicus Magiſter ſolutionem Pſeudo-Apoſtolorum dicentium miniſterium legis gratiæ ex meritis Chriſti paſſi meliùs eſt, ſed non multo meliùs quam miniſterium veteris legis per fidem in Chriſtum futurum: ergo Pſeudo-Apoſtoli conſtituebant ſtatum veteris legis perfectum per fidem; ſed minus perfectum quam ſtatum novæ legis, & hoc improbabat Apoſtolus. Arguimus contra Salmanticenſes ex D. Paulo: quod lex illa fuit imperfecta, & nihil ad perfectum ſtatum adduxit, quod in illa omnia miniſteria fuerunt figurativa, & miniſtri ſymbolici, & in littera occidente: ergo verus ſtatus religioſus non fuit in veteri lege: diſtinguunt conſequens: in veteri lege non fuit ſtatus religioſus evangelicus minus perfectus, negant: non fuit ſtatus perfectus conſummatus, concedunt: eadem diſtinctio eſt Pſeudo-Apoſtolorum, quam improbavit Apoſtolus: ergo hic ſtatus medius religioſus evangelicus ſubſtantialiter, & eſſentialiter perfectus, verus in veritate evangelica non tàm perfectus vt evangelicus, ſed eiuſdem rationis cum Chriſtiano coincidit cum ſtatu Pſeudo-Apoſtolorum, quem Div. Thomas impugnat cum D. Paulo. Nullum invenitur in Div. Thoma teſtimonium ita clarè, & expreſsè damnans, vel impugnans ſcientiam mediam in Deo, ſicut hoc damnat, & impugnat ſtatum medium in veteri lege, vt errorem Pſeudo-Apoſtolorum.

266 Explicatur ampliùs; Pſeudo-Apoſtoli poſſent dicere, quod miniſterium novi teſtamenti majus eſt, ſed non multo maius quam miniſterium veteris legis: Salmanticenſes docent: quod ſtatus religioſus in veteri lege habebat perfectionem ſubſtantialem ſtatus religioſi evangelici: ergo lex gratiæ tantum tribuit huic ſtatui perfectionem accidentalem; differentia accidentalis in eadem perfectione ſubſtantiali non eſt multo maior: ergo eodem modo diſtinguunt Salmanticenſes ſtatum religioſum verum in veteri, & nova lege, quo Pſeudo-Apoſtoli diſtinguebant miniſteria vtriuſque legis. Hunc ſtatum medium im-

improbat Apoſtolus,& reprobat D. Thomas inter vtramque legem: afferant Salmanticenſes aliquod teſtimonium, in quo ita clarè,& expreſsè reprobet ſcientiam mediam inter ſcientiã viſionis,& ſimplicis intelligentiæ. Et inſuper D. Paulus, ſecundum D. Thomam condemnavit illud aſſertum Pſeudo Apoſtolorum, quia poſt mortem Chriſti in ſtatu præſentis Eccleſiæ miſcebant legalia cum evangelio, & dicebant miniſteria, & ſtatus veteris legis per fidem in Chriſtum futurum; ſed poſito ſtatu medio religioſo vero veritate evangelica,& non conſummate vero, perfectus quoad eſſentialia,& ſubſtantialia, & non omninò perfectus in ſpiritu legis gratiæ inſtitutus in figuris, & vmbris,& in ritu veteris legis,atque in ſtatu ſervitutis illius,miſcerentur in illa lege evangelica cum legalibus,ſpiritus legisgratiæ cum littera occidente,veritas evangelij cum figuris veteris legis: ergo hic ſtatus medius religioſus expreſsè reprobatur à D.Thoma in Pſeudo-Apoſtolis.Afferant Patres Salmanticenſes aliquem textum D.Thomæ ex quo ita expreſsè concludatur ex ſcientia media,& medijs decretis illius, quod in Deo confunderentur poſsibiles cum futuris, & miſcerentur neceſſarij effectus cum liberis, & contingentibus.

267 Comparando teſtimonia teſtimonijs,magis incomprobabilis eſt prædictus ſtatus medius cum conſilijs evangelicis,quam ſcientia media cum decretis conditionatis in via D. Auguſt.& D.Thom.nam illa affirmativa propoſitio eſt magis incomprobabilis cum doctrina D.Auguſtini,& D.Thomæ,cujus negativa expreſsius,& formalius continetur in D. Auguſtino,& D.Thoma; ſed negativa prædicti ſtatus religioſi medij cum conſilijs,expreſsiùs,& formalius continetur in D.Auguſtino,& D.Thoma,quam negativa ſcientiæ mediæ cum ſuis decretis conditionatis: ergo: Minor probatur: quoad D. Auguſtinum ex relatis teſtimonijs in hac controverſia. Et primo D. Auguſtinus in Pſalm.137.expreſsè dicit,quod Eccleſia peperit Monaſteria.Afferant teſtimonium Salmanticenſes, in quo hac claritate dicat D.Auguſtinus quis peperit ſcientiam mediam, & decreta conditionata.Secundo D. Auguſtinus expreſsè docet,quod ſtatus religioſus habuit exordium per Sanctos Apoſtolos.Afferant Salmanticenſes teſtimonium aliquod ita expreſſum,in quo D.Auguſtinus,declaret exordium ſcientię mediæ. Div. Auguſtinus expreſsè docet, quod vita communis Monaſtica non fuit audita in Iudæa vſque ad Apoſtolos, nec

præ-

prædicata vſque ad deſcenſum Spiritus Sancti. Afferant teſtimonium D.Auguſtini ita clarè indicans tempus in quo non fuit audita ſcientia media, vel in quo primum fuerunt audita decreta conditionata illius. Teſtimonia Div.Auguſtini referuntur 1. part. Diſc. 3. §. 4. Div. Auguſtinus expreſsè docet, quod regnum Cœlorum,& præmia æterna non fuerunt revelata in veteri lege. Hæc ſunt obiecta motiva votorum veri ſtatus religioſi. Afferant Salmanticenſes teſtimonia D.Auguſtini,in quibus in proprijs terminis neget obiecta ſciẽtiæ mediæ,& motiva Decretorum conditionatorum. Teſtimonia D.Auguſtini referuntur ſupra 1.p.Diſc. 1. §. 3. & alibi. Idem poterat demonſtrari ex teſtimonijs D.Auguſtini dicentis, quod virginitas non fuit culta in illa lege,& quod Matrimoniũ propter ſpectationem benedicti ſeminis præferebatur virginitati; ſed dicta ſufficiant ad expreſsiorem incomprobabilitatem ſtatus medij religioſi cum doctrina D.Auguſtini.

268 Quoad Div. Thomam vt certum ſupponimus ſcientiam mediam cum ſuis conditionatis decretis repugnare cùm Thomiſticis principijs,quod benè probabunt Salmanticenſes; ſed valdè gaviſi fuiſſent,& gauderẽt,ſi aliquod invenirent teſtimonium Ang. Magiſtri, in quo expreſsis,proprijs terminis, & ad litteram dixiſſet D.Thomas: quod ſcientia media, & conditionata decreta convenienter non dantur in Deo, ſicut pluribus in locis dicit: quod conſilia evangelica non fuerunt data in veteri lege,& gauderent etiam,& trepidarent ſi invenirent aliquod teſtimonium in D.Thoma in quo expreſsè diceret, à quo fuerunt inventa,& addita conditionata decreta ſcientiæ mediæ, ſicut expreſsè dicit: quod conſilia fuerunt inventa, & addita per Chriſtum Dominum noſtrum in ſuo evangelio: Gauderent etiam Salmanticenſes, & exultarent ſi invenirent aliquod teſtimonium D.Thomæ,in quo diceret, quod obſervatio conſiliorum aliquomodo incæpit in Elia, ſicut expreſsè dicit,quod inchoata fuit in Beata Virgine. Gaudeamus igitur omnes religioſi,& religiones,quia D.Thomas expreſsè dicit, quod obſervatio conſiliorum noſtræ inſtitutionis, & profeſſionis incæpit in MARIA Sanctiſsima Deigenitrice Domina noſtra: Expreſsè docet D.Thomas: quod in veteri lege tantum fuerunt inſtituta,quæ ad imperfectionem ſpectant, quod Virgo Deipara ante Deſponſationem votum emiſsit conditionatum: quod virginitas non fuit revelata,vt virtus in illa lege,

quod

uod expreſsè pugnat cum prædicto ſtatu medio religioſo veteris teſtamenti. Afferant Salmanticenſes alia teſtimonia Angelici Magiſtri ita clarè, & expreſsè pugnantia cum ſcientia media, & conditionatis decretis. Teſtimonia D. Thomæ referuntur 1.p. Diſc. 1. §. 3. & 2.p. Diſc. 5. §. 7. & 8. & in hac 3. part. Diſc. 1. §. 2. & in præſenti Diſcurſu §. 3. Schola Div. Thomæ in quadro poſita ipſa fundamentorum veritate ſubſiſtit, antiquis ſententijs munitur, novis auxiliaribus opinionibus, & interpretationibus non indiget, ingenuitas Thomiſtica, nec dimiſit Angelici Præceptoris ſententias, nec admiſit alienas impoſitas Magiſtro: itaque in hac quæſtione de mente D. Thomæ ipſos Reverendiſsimos Patres, & Sapientiſsimos Magiſtros Dominicanos Salmanticenſiũ amiciſsimos appello iudices, qui Magiſtri litteram, & verum ſenſum iurant, iudicent.

§. VII.

Teſtimonia aliorum SS. PP. & DD. indicantur cum quibus non eſt comprobabilis prædictus ſtatus religioſus veteris legis.

269 S. P. N. Hieronymus laudatus ſupra 1.p. Diſc. 2. §. 4. expreſsè docet, quod Abdicatio, ſeù alienatio rerum temporalium, & propriæ voluntatis non fuit audita vſque ad vocationem Apoſtolorum. Idem docet D. Baſilius, & ex eo Eccleſia laudatus 2.p. Diſc. 3. §. 3. & D. Bernardus laudatus 1.p. Diſc. 2. §. 5. D. Ioannes Chryſoſtomus in Officio Div. Barnabæ citatus in hac 3.p. Diſc. 1. §. 4. & alij plurimi Doctores antiqui, & moderni in 1.p. Diſc. 2. & aliqui vt Bellarminus, & Capiſuccus teſtantur eſſe communem ſententiam Sanctorum Patrum, & Theologorum: his incomprobabilis eſt ſtatus verus religioſus cum votis.

270 Minus comprobabilis eſt cum Patribus Eccleſiæ dicentibus, quod virginitas non fuit culta in illa lege, quia exiſtimabatur prohibita, & impoſsibilis; nam in opprobrium habebatur, quia iudicabant eſſe maledictam, eo quod non erat in vſu. Ita præcipui, & antiquiores Patres Eccleſiæ cum noviſsimis Doctoribus laudantur 1.p. Diſc. 3. per totum. Incomprobabilis etiam eſt hic ſtatus religioſus cum voto caſtitatis, & virginitatis cum ferè omnibus Eccleſiæ Doctoribus, & Magiſtris,

qui

qui ab origine naſcentis Eccleſiæ docent;quod Domina noſtra prima emiſit votum virginitatis.Videantur vbi ſupra 1.p. Diſcurſ.3.per totum.Novæ interpretationes,ſeu explicationes Hiſtorici prophetici demonſtrantur inutiles,abuſsivæ,& violentæ contra ipſa Sanctorum Patrum verba,ſignificationem, & ſenſum ibidem Diſc.vlt.per totum.

§. VIII.

Ex Primatu voti virginitatis Deiparæ fit reflexio ad Sacramentum illud magnum in Chriſto,& Eccleſia contra prædictum ſtatum cum votis evangelicis in Synagoga.

271 AB origine præſentis Eccleſiæ laudant Sancti Doctores Dominam noſtram,ex Primatu voti virginitatis in tempore.Nullus vſque ad præteritum ſæculum, hoc ſacrum votum in veteri innuit,ſed contrarium omnes docent; vt conſtat ex dictis.Hæc prærrogativa antiquiſsima Dñæ noſtræ, non ſolum fundatur in pietate, & conditione veteris legis,ſed in illo Sacramento magno Chriſti,& Eccleſiæ, quia in hoc ſacro voto Deiparæ inchoavit,& incępit Matrimonium ſpirituale,quod Chriſtus contraxit cum Eccleſia,& prius in vtero virginis clauſus cum ſua humanitate, poſteà in Cruce cum præſenti Sponſa etiam Virgine,& Matre,vt docet Div. Auguſtinus de Symbolo ad Cathecumenos cap.4.ibi: *Quis eſt, qui hæc operatus eſt, niſi Virginis filius, & Virginum Sponſus? qui attulit matri fæcunditatem; ſed non abſtulit integritatem. Quod contulit matri ſuæ, hoc donavit,& ſponſæ ſuæ. Denique Sancta Eccleſia,quæ illi integro integra cõiuncta eſt, quotidiè parit membra eius,& virgo eſt.* Et de tempore Sermon. 8.ibi: *Eſt ergo,& Eccleſiæ ſicut MARIÆ perpetua integritas,& incorrupta fæcunditas. Quod enim illa meruit in carne, hæc ſervavit in mente: niſi quod illa peperit vnum, hæc parit multos congregandos in vnũ per vnum.* Vnde ſicut Chriſtus Dominus natus fuit ex Virgine Matre,ſic corpus eius myſticum ortum habuit ex latere Chriſti Virginis,in quo concepta fuit Eccleſia Virgo,& Chriſto copulata,vt virgo,& mater filios generaret,& pareret,quia Chriſtus conceſsit Eccleſiæ in mente, quod in corpore dederat matri.

272 Hoc ſpirituale Matrimonium, ſeu Sacramentum magnum explicat Apoſtolus Paulus ad Epheſ. cap. 5. verſ. 25. ibi: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſan-*

Elificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. Et ibidem verſ. 31. ibi: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam: & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Ex hac doctrina colligitur, quod Chriſtus, vt matrimonium ſpirituale conſummaret cum Eccleſia, prius mundavit, & ſanctificavit illam lavacro aquę in verbo vitę, & illam regeneravit in ſanguine ipſius, & conſummata redemptione, etiam matrimonium conſummavit; Eccleſiam fundavit vt virgo permanens filios pareret ad inſtar virginis, & matris. Hoc matrimonium inſtitutum in virginitate, & fœcunditate inchoatum fuit in B. Virgine Domina noſtra, quæ virgo permanens concepit de Spiritu Sancto, quo matrimonium ſpirituale conſummavit voto ſacro virginitatis prima tempore: quod probatur ex doctrina Apoſtoli: ad contrahendum, & conſummandum ſpirituale matrimonium cum Deo in vero ſtatu, & ſpiritu legis gratiæ, præcedere debuit mũdatio, vel ſanctificatio, vt removeretur impedimentum peccati Adami; ſed ante vniverſalem redemptionem ſola Beata Virgo fuit præſervative redempta, & non contraxit peccatum Adami: ergo Virgo Deipara fuit prima, quæ contraxit matrimonium ſpirituale cum Deo in ſtatu, & ſpiritus legis gratiæ, & illud conſummavit cum Spiritu Sancto voto ſacro virginitatis, vt virgo permanens Deum, & hominem conciperet, & pareret in corpore, & in eo plurimos filios ſpirituales generaret: ergo ſpirituale matrimonium Chriſti, & Eccleſiæ incæpit in matre Virgine voto, quia concepta ſine impedimento peccati, & fuit prima redempta à peccato Adami, & ſine illo concepta prima Sponſa Spiritus Sancti in ſtatu matrimonij ſpiritualis ex virginitate cum voto, quo matrimonium cum Spiritu Sancto conſummavit, & prima virgo fœcunda corporaliter, & ſpiritualiter, vt ad inſtar illius concederet Chriſtus Eccleſiæ in ſpiritu, & mente, quod in ſpiritu, mente, & corpore conceſſerat matri.

273 Cum autem permanente impedimento peccati Adami, matrimonium in ſtatu contrahi, nec conſummari poſſet cum genere humano; licèt Deus eſſet ſponſus promiſſus Synagogæ, maritus eius, ſeù vir, quo matrimonium contraxit fuit lex vetus, vt expreſſè docet D. Ambroſius in Pſalm. 43. ibi: *Si autem mortua fuerit lex, hóc eſt, legis interpretatio corporalis; tunc plebs quaſi mortuo coniuge priore, legitimè nubet ſecundo viro, qui ex mortuis*

re-

reſurrexit. Eſt etiam caput mulieris huius Evangelium. Vnde quidam myſticè interpretati, mortificato ritu Iudaico tamquam fratri defuncti Evãgelio mulierem eam nubere ex lege voluerunt, quia lex annuntiaverit Evangelium. Ideo prior lex vir, poſtea ſecundi viri nuptiæ, hoc eſt, Evangelij Sacramenta ſunt. Duo enim quaſi coniugia, duo ſunt teſtamenta: Vnum coniugium vetus eſt teſtamentum, quod morte viri prioris ſolutum eſt. Et ideò mulier illa cui lex mortua eſt, rectè in ſecundum coniugium convenit, hoc eſt, teſtamentum novum. Et quia in lege illa, promiſſus fuit ſponſus ſecundum carnem, matrimonium illud fuit carnale, & propter expectationem benedicti ſeminis carnaliter contrahebant ſecundum illam legem, quia profitentes in voto caſtitatis in Synagoga, non poſſent ſpectare ex eis ſponſum promiſſum ex ſemine ſuo, & hac ratione Doctores, & Patres docent, quod in illo tempore matrimonium præferebatur virginitati, & conſulebatur in illa lege, in qua opprobrioſa erat virginitas, & maledicta infœcunditas propter expectationem benedicti ſeminis.

274 In hoc matrimonio Eccleſiæ cum marito legis multiplicabantur fideles ſecundum carnem; ſed ſpiritualiter erat infœcunda, & ſterilis Eccleſia, quæ virgo erat, ſed non fœcunda in ſpiritu, vt filios ſpirituales generaret, quod expreſsè docet D. Paulus ad Galatas cap. 4. & ibi Patres, præſertim Doctor Maximus apud Cornelium à Lapide ad textum Apoſtoli num. 118. ibi: *Eccleſia diù ſterilis non peperit antequam Chriſtus de Virgine naſceretur: ſed cum Chriſtum quaſi Iſaac, id eſt, riſum, mundo peperit de Abrahamo, id eſt, de electo patre cum voce ſublimium dogmatum reſonante, proles plurimas Deo peperit.* Et de fœcunditate Eccleſiæ præſentis D. Ambroſius apud eumdem Cornelium in eodem num. ait ibi: *Sancta Eccleſia immaculata coitu, fœcunda partu, virgo eſt caſtitate, mater eſt prole: parturit itaque nos virgo non viro plena, ſed ſpiritu; parit nos virgo, non cum dolore membrorum; ſed cum gaudio Angelorum; nutrit nos virgo non corporis lacte, ſed Apoſtolorum; virgo eſt Sacramentis, & virtutibus, mater eſt populis, cuius fœcunditatem ſcriptura teſtatur; quoniam plures filij deſertæ, quàm eius, quæ habet virum, & ſponſum, eo quod ſivè Eccleſia in populis, ſivè anima in ſingulis Dei verbo, ſine vllo flexu pudoris quaſi ſponſo innubit æterno.*

275 His ſuppoſitis ex communi Sanctorum Patrum, & Doctorum doctrina; ſi Elias in veteri lege inſtituiſſet verum ſtatum religioſum ſubſtantialiter evangelicum in ſpiritu legis gratiæ ante remotionem impedimenti peccati Adami, fuiſſet

in Synagoga ſtatus matrimonij ſpiritualis,in quo generaret filios ſpirituales in ſpiritu legis gratiæ,eſſetque Synagoga virgo, & ſpiritualiter fœcunda,& ex meritis ſponſi futuri haberet Synagoga in ſpiritu,& mente,quod daturus erat matri in corpore,& Eccleſiæ in ſpiritu in matrimonio,& Sacramento magno ex meritis ipſius præſentis,& paſsi in ſanguine ſuo contracto,& conſummato; ſed hoc non poteſt dici,nec affirmari de Synagoga : ergo nec prædictus ſtatus. Maior probatur : ſtatus vitæ Apoſtolicæ,& evangelicæ, triplici voto inſtitutus eſt ſtatus ſpiritualis matrimonij cum Chriſto in Eccleſia in quo Chriſtus Dominus inſtituit,& conſtituit Apoſtolos filios primogenitos ex Chriſto,& Eccleſia, vt per evangelium filios regenerarent, quos Eccleſia pareret virgo,& mater ; ſed hic ſtatus ſecundum Salmanticenſes inſtitutus fuit ab Elia in Synagoga in ſpiritu legis gratiæ, in quo Elias fuit verus pater ſpiritualis,qui in ſpiritu legis gratię filios genuit ſpirituales religioſos evangelicos: ergo antequam removeretur impedimentum peccati Adami à genere humano fuit in veteri lege inſtitutum matrimonium ſpirituale Synagogæ,& Eliæ,& Synagoga fœcunda ad generandos filios ſpirituales ſubſtantialiter evangelicos in illo ſtatu religioſo verè evangelico, ac perconſequens fuiſſet in Synagoga conſummatum illud Sacramentum magnum in vero matrimonio ſpirituali ad generandos filios evangelicos in ſpiritu legis gratię,& in ſtatu vero,& ſubſtantialiter evangelico eiuſdem rationis cum Chriſtiano,vt aſſerunt Salmanticenſes : Hæc conſequentia eſt centrum omnium linearum Hiſtorici prophetici, &Salmāticenſiū:ergo in quo differt ſubſtātialiter Eccleſia ante redemptionem ab Elia fundata in ſpiritu legis gratiæ per fidem ex meritis Chriſti futuri, ab Eccleſia poſt redemptionem generis humani fœcundata,mūdata,& ſanctificata in lavacro aquæ, & verbo vitæ ex meritis Chriſti paſsi?

276 Quia Patres Salmanticenſes in hac diſputatione de ſtatu vero religioſo veteris teſtamenti nomen Synagogæ fugiunt,& ſtatus Eccleſiæ, vel confundentes,vel non omninò explicantes ſub nomine Eccleſiæ procedunt ex vnitate ipſius in vtroq; teſtamēto,poſſunt dicere,quodEccleſia ab origine mūdi fuit virgo,& ſponſa per fidem,&per fidē filios ſpirituales generavit in Synagoga,potuit ergoElias inſtituere ſtatum verum religioſū in quo filios ſpirituales regeneraret per fidē inChriſtū futurum:cōfirmare etiā poſſunt hoc argumētū exD.Hieronymo

P.N.

P.N. in Iſaiam c. 54. ibi: *Hæc ergo* (Synagoga) *quæ quamdiu virum habebat Deum, ſermonemque divinum, & legi iuncta erat, generabat Deo plurimos filios.*

277 Sed Doctor Maximus in Sacris Scripturis, qui ſterilitatē Eccleſiæ ante mortem Chriſti ex D. Paulo docuit, in vtroque teſtimonio veram, & Catholicam doctrinam docet; Eccleſia ſemper fuit Virgo, & Dei Sponſa, & in terris ſuum habuit virum, ſeù maritum, quo conſummavit matrimonium, & filios generavit Deo ante redemptionem, permanente impedimento peccati, vir, ſeù maritus Synagogæ fuit lex vetus, vt ſupra diximus ex D. Ambroſio, & lex vetus fuit carnalis imperfecta in littera occidente ſine ſpiritu, & veritate, & matrimonium legis, & Synagogæ fuit carnalis in littera occidente, & ita ex illo nati fuerunt filij irę, mortis, & peccati in littera occidente, & cultus Dei multiplicabatur per carnalem generationem in fide illius populi, & Synagogæ: in hoc matrimonio per carnalem generationem Synagoga filios genuit in ſtatu illius populi figurativo, vmbratico, & ſine ſpiritu legis gratiæ.

278 Mortuo marito Synagogæ in lege veteri, & genere humano redempto, remotoque impedimento peccati, Eccleſia contraxit matrimonium cum Deo, & Deum, & hominem habuit ſponſum in terris Chriſtum Dominum. Hoc matrimonium ſpirituale incępit cum redemptione, & inchoatum fuit in Deipara, prima Spiritus Sancti Sponſa ſine contractione peccati Adami, Virgo ſacrata voto, vt Deum, & hominem pareret, & conciperet de Spiritu Sancto. Conceptus Chriſtus ex Virgine Matrimonium perfectiùs contraxit cum ſua puriſsima humanitate vinculo vnionis hypoſtaticæ, & conſummata redemptione hoc Sacramentum magnum inſtituit cum Eccleſia, cui conceſsit in mente, & ſpiritu, quod in corpore dederat matri, vt plurimos filios generaret in ſpiritu legis gratiæ in ſtatu veritatis, & libertatis, quos conſtituit hæredes, & in ſtatu evangelico: ad hanc ſpiritualem generationem in ſtatu evangelico ſterilis fuit Eccleſia ante mortem Chriſti, & in ea non fuit matrimonium ſpirituale in ſpiritu legis gratiæ; ſed carnale cum veteri lege, nec fuit in Eccleſia ante mortem Chriſti ſtatus ſubſtantialiter evangelicus perfectionis, nec iuſtificationis, nec adoptionis, ad quem poſſent generari filij ſpirituales Eliæ religioſi evangelici, vt contendunt Salmanticenſes, quia hic ſtatus inſtitutus fuit per Chriſtum, & conſtitutus à lege gratiæ in præ-

ſenti Eccleſia cum qua contraxit matrimonium ſpirituale in Sacramento illo magno, vt Virgo permanens filios ſpirituales in ſtatu evangelico perfectionis, filiationis, & adoptionis generaret: ergo ex communi SS. PP. & Doctorum doctrina de primatu Voti virginitatis Dominæ noſtræ, rectè concluditur, quod matrimonium ſpirituale legis gratiæ incępit in B. Virgine prima Spiritus Sancti Sponſa ex voto, quia non contraxit impedimentum peccati; in qua etiam incępit obſervatio conſiliorum, vt ait D. Thomas, in quibus contrahitur ſpirituale matrimoniũ cum Chriſto, & Eccleſia triplici vinculo evangelicæ perfectionis, quo animæ magis Deo adhærent, & ſpiritualizantur.

279 Hunc ſtatum in Virgine Matre inchoatum, in ſeipſo perfecit Chriſtus, & inſtituit in Sacramento magno, & Eccleſię conceſsit in ſpiritu legis gratiæ, quod conceſſerat matri ex virginitate: ergo ex fœcunditate Deiparæ Dominæ noſtræ ortum habuit per Chriſtum Dominum ſtatus virginitatis, paupertatis, & obedientiæ in Eccleſia ſanguine Chriſti fundata, non in Synagoga, ſeù Eccleſia ſterilis per Eliam ante redemptionem generis humani. Itaque omnes religiones, & religioſi Eccleſiæ ipſam Deigenitricem Matrem venerantur, in qua dignitas, & inſtitutio virginalis ſtatus cum obſervantia conſiliorum incępit. Huic Reginæ Matri, & Primiceriæ laudem dicunt cum Sanctis Patribus, & Doctoribus: O Virgo Virginum, prima omnium mortalium ſine præcepto, conſilio, & exemplo munus ſacræ Virginitatis voto Deo conſecraſti, & cum Angelico Doctore extollunt vocem: B. Virgo Deipara, in qua incæpit obſervantia conſiliorum perfectionis Monaſticæ, ſis benedicta in ſæcula ſæculorum, Regina Mater, Origo, Auxiliatrix omnium religionum legis gratiæ.

Omnia ſub Correctione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.

IN-

§. III.
Aſſerta in quarto,& 5.§.proponuntur,& examinantur.
§. IV.
Refertur doctrina Authoris in §.6.& 7. contenta, ad probandam in veteri lege poteſtatem ad Religiones approbandas.
§. V.
Solvuntur argumenta quibus probare intendunt Adverſarij iuriſdictionem ſpiritualem,& approbationem poſsitivam, & practicam in veteri lege,& determinatè ad religionem propheticam.
§. VI.
Inſtitutio veri ſtatus religioſi Evangelici in veteri lege ex Chriſti exemplaritate,non augeret excellentiam Chriſti, ſed minueret gloriam eius præſentis,& paſsi,& excellentiam præſentis Eccleſiæ deprimeret.
§. VII.
Chriſtus futurus,vt revelatus in veteri lege,non fuit in eaMagiſter virtutis,&perfectionis in ſpiritu legis gratię in aliquo ſtatu veteris legis.
§. VIII.
Proponuntur motiva Apologiſtæ,& aliorum eiuſdem ſententiæ ad probandum Magiſterium Chriſti in veteri lege ad inſtituendum ſtatum verum religioſum evangelicum quoad ſubſtantiam in eodem ſpiritu,& veritate legis gratiæ.

DISCVRSVS SEXTVS.

Motiva ad actualem exiſtentiam veri ſtatus religioſi in Synagoga proponuntur,& impugnantur.

§. I.
Sanctus Propheta Elias in veteri lege non fuit idoneus Miniſter Chriſti in veritate novi teſtamenti ad inſtituendum verum ſtatum religioſum in ſpiritu legis gratiæ ſubſtantialiter evangelicum cum veris conſilijs perfectionis.
§. II.
S.Propheta Elias non fuit in veteri lege,nec in nova poteſt nũcupari verus Pater in veritate legis gratiæ alicuius ſtatus veri evangelici quoad ſubſtantiam,& eſſentiam.
§. III.
Referuntur teſtimonia, quibus ex comparatione Monachatus Eliæ,& Baptiſtæ verum fuiſſe Elianum in illa lege, conantur oſtendere.
§. IV.
Teſtimonijs,Eliam vt exemplar vitæMonaſticæ proponentibus reſpondetur.
§. V.
Alia proponuntur argumenta,& eorum ſolutiones indicantur.
§.VI.

§. VI.

Argumenta ex SS.Patribus Chryſoſtomo,Thoma,&Bernardo proponuntur.

DISCVRSVS SEPTIMVS.

Adverſariorum traditiones examinantur.

§. I.

Ab Elia vſque ad Chriſtum Dominum impoſsibilis oſtenditur continuatâ traditio Monachatus veri circumciſsi.

§. II.

Nec à tempore Chriſti Domini,& Apoſtolorum, poſſunt Adverſarij veram traditionem fundare.

§. III.

Revelatio B.Petri Thomæ examinatur,& diplomata Pontificia ab Authoribus producta, prætenſæ traditioni non favere oſtenditur.

§. IV.

Viſus B.Simonis Stochij refertur, & veritas eius examinatur, notęque ſuſpitionis,& falſitatis proponuntur.

§. V.

Ioannis XXII.Bulla,quæ vulgo dicitur Sabbatina refertur, & ſuſpitionis animadverſiones proponuntur.

§. VI.

Circa Bullam Alexandrinam fit reflexio.

§. VII.

Clementis VII. aliam producunt Bullam Ioannis XXII.& Alexandri V.confirmativam,& ex ea nullam traditionem fundari poſſe,oſtenditur.

TERTIA PARS.

Venerabiles,ac Doctiſsimi Patres Salmanticenſes Carmelitæ Excalceati longam interſerunt diſputationem de vero ſtatu religioſo veteris teſtamenti,& fundamenta Hiſtorici Prophetici,& Apologię varijs exemplis,paritatibus,& reflexionibus Scholaſticè confirmant more ſuo, tom. 8. in Curſ.Theolog. tract. 20. quam quidem diſputationem completa ferè hac controverſia, & in duas partes diviſſa,nondum videram, in qua, licèt eadem ſint fundamenta præcipua, neceſſarium exiſtimavi novis confirmationibus ex dictis ſatisfacere propter authoritatem huius Sapientiſsimi Collegij Salmanticenſium,& tertiam partem addere.

DISCVRSVS PRIMVS.

De his, quæ pertinent ad verum ſtatum religioſum.

§. I.

Diſcrimina inter ſtatum Eccleſię præſentis, & ſtatum Eccleſiæ veteris teſtamenti, aſsignantur, & ſuper ſuppoſitis à Salmanticenſibus fit reflexio.

§. II.

An in ſtatu veteris legis, vel Synagogæ fuerint aliqua conſilia, vel vota?

§. III.

Reſpondetur argumentis, quibus votum virginitatis probare contendunt Salmanticenſes in veteri lege.

§. IV.

De voto paupertatis veteris legis.

§. V.

Argumenta Salmanticenſium pro voto paupertatis veteris legis, ſolvuntur.

§. VI.

An in veteri teſtamento fuerit, obedientiæ votum?

§. VII.

An in veteri lege fuerit aliqua traditio perſonarum ad cultum Dei?

DISCVRSVS SECVNDVS.

De poſsibilitate ſtatus religioſi Evangelici quoad ſubſtantiam, & eſſentiam in ſpiritu legis gratiæ inſtituti ab Elia in veteri teſtamento.

§. I.

An fuerit poſsibilis ſtatus religioſus in veteri lege?

§. II.

Motiva Salmanticenſium proponuntur.

§. III.

Secundo argumento, & illius inſtantijs reſpondetur.

§. IV.

Alia Salmanticenſium argumenta ſolvuntur.

§. V.

Proponuntur fundamenta ſententiæ negativæ, quæ ſibi opponunt Salmanticenſes, & ex eorum ſolutionibus confirmantur.

DISCVRSVS TERTIVS.

De vtilitate, & exiſtentia veri ſtatus religioſi in veteri lege.

§. I.

Status religioſus, vt ponitur à Salmanticenſibus in veteri teſtamento non eſſet conveniens; nec in novo eſt vtilis nova hęc ſententia.

§. II.

Aliqua prænotantur de Inventore, Authore, & Inſtitutore veri Monachatus in veteri lege.

§. III.

Proponitur Pontificatus Eliæ in vtraque lege ad inſtituendum prædictum ſtatum religioſum in veteri, & in nova continuādum in Succeſſoribus eius.

§. IV.

Elias non inſtituit de facto ſtatum prædictum religioſum in veteri lege.

§. V.

Proponuntur fundamenta noſtræ ſententiæ, quę ſibi opponunt Salmanticenſes, & ſolutiones eorum impugnantur.

§. VI.

Proponitur tertium argumentum cum ſuis ſolutionibus, & impugnatur.

§. VII.

Proponuntur motiva Salmanticenſium, & enervantur.

§. VIII.

Alia proponuntur argumenta, & præcipuè deſumpta ex exemplaritate Eliæ.

DISCVRSVS QVARTVS.

De probabilitate ſententiæ Salmanticenſium, ſeù reſtrictus totius Controverſiæ.

§. I.

Proponuntur principia quibus non ſit probabilis ſententia Salmanticenſium.

§. II.

Indicantur Sedis Apoſtolicę teſtimonia, & officia Eccleſiaſtica cum quibus non eſt comprobabili prędictus verus Monaſticus ſtatus veteris legis.

§. III.

Prædictus ſtatus religioſus veteris legis cum votis, & conſilijs, non eſt comprobabilis cum doctrina Angelici Præceptoris.

§. IV.

§. IV.
Proponitur teſtimonium Divi Thomæ pro ſua ſententia à Salmanticenſibus productum cum ſuis interpretationibus.
§. V.
Indicantur teſtimonia Divi Auguſtini cum quibus non eſt comprobabilis prædictus ſtatus cum conſilijs.
§. VI.
Ex citatis teſtimonijs D.Thomæ,& D.Auguſtini fit reflexio ad ipſos Salmanticenſes impugnantes Scientiam Mediam Ieſuitarum cum decretis conditionatis.
§. VII.
Teſtimonia aliorum SS.PP.& DD.indicantur,cum quibus non eſt comprobabilis prædictus ſtatus religioſus veteris legis.
§. VIII.
Ex primatu voti virginitatis Deiparæ fit reflexio ad Sacramentum illud magnum in Chriſto,& Eccleſia contra prędictum ſtatum cum votis evangelicis in Synagoga.

(o) FINIS. (o)